DIVI PROSPERI Aquitanici, Episcopi REGIENSIS, OPERA,

ACCVRATA uetustorũ exemplarium collatione per uiros eruditos recognita.

VIRTVTE DVCE, COMITE FORTVNA.

LVGDVNI APVD SEB. GRYPHIVM, 1539.

AD LECTOREM.

Vino non opus esse bono suspensa hedera aiunt.
Nos tamen hæc tantùm: uenerandæ relligionis
Hic scaturire sacros fontes, ueræ hic pietatis
Flumina plena exundare: ac demum omnipotentis
Sanctum uelle Dei diuino hic ore tonari.

Senatui, Populoque Regiensi

SEBASTIANVS
GRYPHIVS
SAL.

ANTE annos plus minus quatuor recepi uobis Prosperi uestri lucubrationes nostris typis excudendas: quod quo minus praestiterim, in causa fuerunt exemplaria, tum parum accuratè descripta, tum nonnullis desideratis opusculis imperfecta. Quapropter ut uobis gratificarer, atq; studiosorum commodis inseruirem, editionem minimè praecipitandam putaui: sed primùm uehementer conandum, ut opus, si quo pacto fieri posset, prius pristino nitori, germanaeq; integritati restitueretur. Proinde huc illuc missis literis, negotium dedi amicis & Gallis, & Germanis, praesertim humaniorum literarum studiosioribus, ut quicquid huius autoris apud eos in antiquis bibliothecis lateret, tam lacerum, quàm integrum, ad me transmitterent. A quibus inter alia eius uetustissima exemplaria allata sunt simul quae desiderabantur opuscula: nempe duo uersu heroico, de Prouidentia Dei unum, alterum περὶ ἀχαρίστων*: praeterea Expositio in postremos quinquaginta Psalmos: omnia hactenus, ut opinor, à nostrae tempestatis hominibus non uisa. His igitur omnibus simul inter se diligentissimè collatis, effeci tandem, ut hic uester Prosper, uir tam sanctus, quàm eruditus, tot retro seculis in tenebris delitescens situm cariemq; passus, totus nitidus, purus, integerq; in lucem exiret: praetermisso tamen uno, idq; consultò, Chronicorum libello: quem quia nuper inter Eusebiana aliorumq; Chronica esset excusus, & quòd ob nimiam corruptionem lectori fastidio fore uidebatur, hic attexere noluimus. Quantum uerò hinc cumprimis sacrarum literarum studiosi mihi sint debituri, non magnopere laborandum censeo: modò hanc nostram in promouenda re literaria semper operam ac diligentiam aequi boniq; consulant, abundè mihi satisfactum putabo. Postremò ne liber in publicum prodeat absque aliquo patrocinio, non uideo cui id potissimum commendem, quàm uobis, Regienses: primùm quòd illius publicandi autores extiteritis, data praesertim prouincia curandi ut quàm pulcherrimè excuderetur, D. Iulio Scarlatino, ciui uestro cum in omni genere literarum peritissimo, tum utriusque iuris longè consultissimo. deinde quòd Regienses Regiensi episcopo praesidio esse,*

ipſumq́; à calumniatorum iniurijs uindicare, ut in primis eſt æquum, ita maxime decorum. Valete, ac quicquid hoc noſtri laboris, ut uobis debitum, benigno animo accipitote.

INDEX OPERVM DIVI PROSPERI.

D· PROSPERI AQVI TANICI EPISCOPI REGIENSIS VITA

A' IOAN. ANT. FLAMINIO IMOLENSI CONTEXTA.

BEATVS Prosper Regiensis episcopus, uir quidem multiplici doctrina & sanctitate insignis, ex qua urbe, quibus'ue parentibus ortus fuerit, non satis cõpertum habemus, illud satis constat, Aquitanum fuisse: qui cùm adhuc in patria esset, mira iecit futuræ sanctitatis fundamẽta futurus aliquãdo in ecclesia Dei præfulgens longè, lateq́ lucerna. Cùm autem sacræ scripturæ assiduus, ac diligens lector esset, ac frequenter Euangelistarum libros in manibus haberet, diuinitus ei oblatus est locus ille, ubi Christus quendam admonet, dicens, Si uis perfectus esse, uade, uende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & ueni sequere me. Igitur diuini consilij non surdus, aut segnis auditor, ad eam se ratus profectionem uocari, cœpit continuò, ut fidelis Domini sui dispensator, bonorũ, quæ possidebat, inter pauperes Christi suas facultates distribuere, ut rerum terrenarum sarcina leuatus, expeditus, ac liber Christum se uocãtem sequeretur, ac illi soli uacaret. Seruis etiam, & ancillis libertate donatis, Romam se contulit, ut celebrem in toto orbe principum Apostolorum ædem uiseret. Romanam tunc ecclesiam sanctissimus, ac facũdissimus Pontifex Leo primus administrabat: ad quem mox tanti uiri aduentus fama perlata est, cuius uidendi miro desiderio tactus, non prius destitit, quàm illum in suum hospitium attraxit. Quanta uerò charitate illum susceperit, & quanto sit affectus gaudio, ubi se talem esse nactum hospitem uidit, dici nunquam posset: nec aliter quidem gauisus est, quàm ex aduentu Pauli Petrum esse lætatum legimus. Videbat enim inter cætera, quæ suam lætitiam cumulabant, magnum sibi tempore maximè opportuno, adiutorem à Deo missum: inualescente quotidie magis diuersis in locis præcipueq́ in Chalcedonẽsi urbe Nestoriana, & Eutychiana hæresi, quæ unam tantum in Christo naturam asserebat: ad quam euertendam beatum Prosperum, cum multis alijs ecclesiæ Romanæ præsulibus misit: qui secundum sanctionem catholicæ fidei promulgatam in Synodo Nicena, sanctam trinitatem asseruerunt: & in Christo Deo uero, ante Luciferum ex patre genito, & homine simul, in fine seculorum de immaculata uirgine nato, duas esse naturas, certissimis approba-

* tionibus

tionibus afferentes, antedictas hæreſes ſuſtulerunt: & earum autores antichriſtos Eutichium, atque Neſtorium, iuxta chirographum, tunc ad Martianum Imperatorem miſſum, unanimiter damnarunt. Cùm autem uictus eiuſdem pontificis precibus aliquandiu ibidem commoratus eſſet, & miſsis ad diuerſas eccleſias epiſtolis, multas hæreſes contriuiſſet: pontifex supernè admonitus, Regienſi eccleſiæ, ualdè reluctanti, quòd ſe tanto imparem oneri diceret, præfecit. Cœleſti autem beatus Proſper uictus imperio, ad eccleſiam ſibi creditam iter ingreſſus eſt: ad quam dum tenderet, iam epiſcopus illius, ſenio confectus, & graui morbo correptus, diem ſuum obierat. Ingenti igitur mœrore ob amiſſum antiſtitem optimum ciuitas affecta erat. Tum ſacerdos quidam uitæ admodum probatę, & omnibus uenerabilis, cœlitus admonitus, omnem illam triſtitiam depulit: aſſerens, nouum aduentare antiſtitem, à Deo electum, & ab eius uicario ad regendam Regienſem eccleſiam ab urbe Roma miſſum, & mox affuturum. Quibus auditis, populus & clerus omnem mœrorem depoſuit, & miro cum deſiderio illius aduentum præſtolabatur. Quotidie autem magis iam uulgata de ſanctitate noui præſulis fama creſcebat. Vbi uerò factus eſt urbi uicinior, in occurſum illius tota ciuitas effuſa eſt: & cum incredibili gaudio ſanctum antiſtitem ſuum lætis acclamationibus ſuſcepit. In epiſcopali dein cathedra collocatus, ut iam populo ſuo, & commiſſo ſibi gregi lucerna ſuper candelabro eſſe inciperet, huiuſmodi orationem habuit.

VIDEO, fratres chariſsimi, quantum meis imbecillibus humeris onus impoſitum fuerit: neque enim maior, quàm animarum cura demandari cuiquam poteſt. Quod quidem onus eò certè grauius eſt, quò qui regendi ſunt maiora, & paucis conceſſa expectant. Iudicijs enim eiuſmodi, & concitatis ſui opinionibus reſpondere difficilimum eſt. Videre iam uideor quid expectetis, & quid de me uobis polliceamini: Quare dandam mihi enixè operam intelligo, ne quid à me prætermittatur, quod ad uerum animarum paſtorem pertineat. Verùm quia ſcio, quantò fiat leuior ſarcina, quam plurium colla ſuſtentant, mecum hoc filij onus diuidite, & ſanctum opus partimini, quod erit facile, ſi ueſtræ ſalutis, ſi mandatorum Dei memores, mutuam charitatem amplexabimini: de qua, uelut de quodam uberrimo fonte mirificæ uirtutes emanabunt: ſcilicet, humilitas, proximi dilectio, pax certa, & animorum concordia: quibus quidem bonis ſi non carebitis, ſicut carere uos minime decet: nuſquam à nobis Chriſtus aberit, & proſpera uobis omnia cedere uidebitis. Hoc erit, quod modo dixi, quodq; in primis opto, mecum onus diuidere: faciliora enim ſic mihi, & leuiora fient omnia. Nihil enim tam durum, ac tam laborioſum regenti eſt, quàm in peruerſa hominum incidere ingenia: quæ quò longius à recti ſemita abierint, hoc difficilius à facinoribus, & improbitate ſua retrahuntur. Subditorum uirtutes, ac uitia, aut ſuauem, aut duram faciunt regentis adminiſtrationẽ. Vos quidem dilectiſsimi, populus Dei,

& oues pascuæ illius estis. Quare si tales eritis, quales uos maximè futuros spero, & opto, cessura uobis, & mihi feliciter omnia præsente Deo minimè dubito. Vt autem tales esse possitis, Deum uobis in rebus omnibus proponite: illum in primis colite, illum ut æquissimum dictorum, ac factorum omnium nostrorum iudicem ueremini: iustum retributorem, si recta sequamini: districtum uindicem, si mandatorum illius contemptores inueniemini. Hæc sunt, quæ in huius nostræ pastoralis curæ primordijs uobis dicenda putauimus: quibus & bene currentes in cursu contineamus: & segniores, si qui sunt, ad eandem metam, tanquam subditis calcaribus, excitemus.

HAEC felicia fuere sanctæ administrationis illius initia: quibus, qualem se populo suo pontificem præstiturus esset, & qualis commisso sibi gregi pastor futurus, sic facilè declarauit. Sed & longè omnium opinionem superauit: & expectatione illa, quæ pectoribus hominum statim insederat, quotidie maior apparuit. Nihil studiosius quærebat, nihil procurabat attentius, quàm quomodo populum suum Deo maxime placentem efficeret. Iccirco crebris illum declamationibus, quibus nihil facundius, aut efficacius dici poterat, ad rectam uiuendi normam incitabat, & in uia domini continebat. Quæ tametsi gratia, & lepôre admirabili, ob innatam illi facundiam condiebantur, & sanctæ scripturæ testimonijs refertæ erant, & mirificè proderant: maiorem tamen uim, & autoritatem illis probatissimi eius mores, & uitæ sanctitas afferebat. Nihil enim dicebat, quod opere ipse non impleret: sciens, parum utilem esse doctrinam, quæ docentis uitam argueret. Erat illius pectus charitate ardens, mitis præsentia, omnibus affabilis, temperata in delinquentes seueritas, ut magis illos corripientis charitas moueret, quàm uerborum asperitas. Quid referam quantæ illi curæ egeni essent? qua pietate pupillos prosequeretur, & uiduas? non sexus, non ætas, non ordo erat in ciuitate, cuius tanquam omnium pater curam non gereret: ac propterea frequenter populum in ecclesiam uocabat, ac salutaribus documentis instruebat: &, quod audierant, ut opere complerent, diligenter procurabat. Oculos in omnes, de eorum salute solicitus, intentos habebat: super gregem suum incessanter euigilans, ne qua de sanctæ gremio ecclesiæ antiqui hostis fraude, ouis exiret. Iccirco mirus erat indagator, ut quæ uita, qui mores sibi commissæ multitudinis essent, nō ignoraret. Seniores ecclesiæ suæ sacerdotes, imitatus Apostolum, ut patres reuerenter admonebat: iuniores instituebat ut fratres, anus ut matres, puellas ut sorores, aut filias incredibili studio in uiam domini dirigebat, rectum, & uerum agens animarum episcopum. Ipse autem cauens cum Apostolo, ne cùm alijs prædicaret, reprobus efficeretur: exemplo magis, quàm uerbo prodesse suis, ac illorum animos confirmare studebat: propterea uigilijs, orationibus, ieiunijs, ac multiplici maceratione carnē domabat, & parēre spiritui cogebat. Magno etiā charitatis impulsu finitimarum urbium episcopos, tanquam collegas, cre-

bro per epistolas hortabatur, ne dignitatis suæ, ne impositi sibi oneris obliuiscerentur. Quæ quidem omnia tantam illi apud omnes non solùm suos, sed etiam alienos gratiam, & amorem conciliarunt, ut non aliter, ac omnium parentem illum diligerent, ac uenerarentur. Talis, ac tantus præsul, duos & uiginti annos Regiensem rexit ecclesiam: hoc est, ab anno aduentus Christi quadringentesimo quadragesimo quarto, usque ad annum quadringentesimum sexagesimum sextum. Floruit maximè sub Leone primo pontifice Max. cui, sicut ostendimus, charissimus extitit. Vbi uerò tempus aduenit, in quo tot uirtutum, ac meritorum suorum propositam sibi mercedem reciperet, in ægritudinem incidit, quæ uitæ finis illi fuit. Igitur suos ad se conuocans filios ueluti iam præsagientes, quod mox futurum erat, & ingenti metu perculsos, ac flentes, sic allocutus est.

VIDEO, dilectissimi, quantus pectora uestra mœror occupauerit, quia meæ uitæ finem aduentasse cernitis: nec miror: scio enim quàm molestum sit amantibus disiungi: cùm præsertim sic ab aspectibus inuicem separentur, ut uisuri eos amplius non sint, quorum præsentia maximè delectentur. Vehemens istud desiderium, uera charitas gignit: sed moderatè illud ferendum est, ubi credunt qui remanẽt, multo utilius esse discedentibus proficisci, quàm hîc diutius esse. Sic mihi quidem contingit, qui cum Apostolo cupio dissolui, & esse cum Christo. ea est meta, ad quam iam diu propero, & ad quam semper omnia mea contuli uota. Quare sic à uobis discessurus sum, ut multo magis in posterum sim uobiscum futurus. Neque uelim, discessum hunc à uobis meum arbitremini: sed ad longe meliorem statum accessum: ubi multo utilior uobis sum futurus, si in dilectione, ad quam uos semper hortatus sum, permanseritis: si mutuæ charitatis, & mandatorum Dei memores eritis. Si enim putatis, me potuisse uobis huc usque prodesse, qualem me futurum erga uos deinceps credere debetis, ubi inexhaustum bonorum omnium thesaurum attigero? Igitur abstergite iam lachrymas, & flendi finem facite, & gaudendum magis hac in re uobis, quàm dolendum existimate. Hæc cùm dixisset, & non solum sacerdotibus, ac leuitis, sed quamplurimis etiam de pópulo, qui frequentes aduenerant, benedixisset: oculos, & manus in cœlum sustulit. Tunc mirè facies illius exhilarata est, atq; resplenduit, & stupentibus qui aderant omnibus, & psalmis, ac hymnis egredientẽ animam comitantibus felicem, præsenti (ut creditum est) Deo, ac sanctis eius angelis spiritum tradidit. Quantum uerò sui desiderium reliquerit, totius ciuitatis mœror, ac luctus testatus est. Vbique suspiria, ubiq; gemitus audiebantur: nec ullus erat lachrymis modus: non enim aliter quàm si domesticus unicuique luctus esset, dolebant, ac lamentabantur. Ductæ sunt deinde solenni apparatu, ac totius populi, omnium ætatum, ac omnium ordinum, concursu, exequiæ: sepultusq; est extra urbem in templo, quod in honorem beati Apollinaris ipse consecrauerat. Obijt autem VII. Calend.

lend. Iulij: hoc est, quinto, ac uigesimo Iunij die, qui beati Ioannis Baptistæ natiuitatem subsequitur: anno ab aduentu Christi quadringentesimo, ac sexagesimo sexto, Hilario secundo Pont. Max. ecclesiam regente. Martiano uerò Romanum tenente imperium. Quàm uerò gratus Deo extiterit, & quem locum in Angelicis choris adeptus sit, mira ad illius sepulchrum prodigia continuo subsecuta declarauerunt: ad quod nullus, quacunque detineretur ægritudine, frustra confugit. Claudi gressum impetrarunt, cæci uisum, paraliticis confirmata sunt membra, ab obsessis corporibus dæmones fugati. Nemo uerbis satis dignè consequi posset, quanto splendore diuinum pontificem suum Deus populis omnibus, ac in ecclesia sua, ueluti coeleste quoddam iubar fulgere uoluerit: ut se tanto felicem præsule, ac patrono Regiensis ciuitas meritò dicere posit. Sed non tantus ad illius sepulchrum honor, ac ueneratio temporis longinquitate consenuit: sed ad hoc usque tempus perdurat, ac uiget: nec ullius ad id piè accedentis, diuina gratia fidem, ac spem esse irritam sinit.

De sacri corporis illius translatione.

VERVM, quia, sicuti ostendimus, extra urbis muros erat sepultus, & sæuientibus barbarorum bellis, quibus uexata diu fuerat Italia, frequentari sepulchrum ex more non poterat, ne tanti præsulis ueneratio paulatim obsolesceret, diuina prouidentia, quæ in sanctis suis clarescere non desinit, miro quodam modo cauere uoluit. Præerat ecclesiæ Regiensi uitæ, ac morum sanctitate uenerabilis episcopus nomine Thomas, qui dignus beati Prosperi successor ita gregem sibi commissum regebat, ut uerbo, & exemplo cunctis rectè uiuendi norma esset. Hic uigilijs, orationibus, ieiunijs, eleemosynis, & cæteris quæ episcopale fastigium decent, assiduè erat intentus. Is, dum ex more oraret in templo, subitus illum sopor inuasit: quiescenti beatus Prosper apparuit augusta specie, candida indutus stola, & uenerabili canicie conspicuus: qui ei mandauit, ut paruam ecclesiam, quam diximus, in qua corpus suum parum decenter quiescebat, amplificaret: & in ea locum extrueret, ubi sua deinceps ossa decentius seruarentur: addens, ne differret mandatum exequi. Diuino monitu expergefactus episcopus, sacerdotes statim suos, & populum ad se conuocauit: &, quid sibi mandatum foret aperuit: &, ne diuini præcepti parum diligens executor uideri posset, opus continuò est aggressus. Extructa igitur æde, ac preparato magnificè loco, in quem sacræ transferrentur reliquiæ, conuocatis religiosorum omnium collegijs, & populo, qui frequens confluxit, uetus sepulchrum, in quo usque ad Liutprandi Longobardorum regis Christianissimi tempora quieuerant, apertum est: de quo tanta diuini odoris fragrantia effusa est, ut nulla ei aromata, uel opobalsami riuuli, si per ædem fluerent, comparari possent. Ita eductæ cum ingenti omnium plausu, atque lætitia, manantibus ubertim, præ nimio gaudio, per ora cunctorum lachrymis, nouo sepulchro, magno cum honore,

cum

cum psalmis, & hymnis illatæ sunt. Vbi mira quamplurima, antedictis non dissimilia, meritis sancti Confessoris sui, Deus cum omnium stupore operatus est. Nam ibi opem illius implorantes, surdi statim audire, muti loqui, cæci uidere, claudi ambulare, paralytici confirmari cœperunt, & alij, quacunque laborarent ægritudine, sanari. Quid memorem fugatos ab obsessis corporibus immundos spiritus: & alia, quæ nimis longum esset, si omnia recensere uellem, omni admiratione, ac stupore digna miracula?

ET QVIA non solùm sanctitate insignis est habitus, sed etiam doctrina, & dicendi facultate plurimũ claruit, non ab re futurum duximus, si opera illius, quæ quod dicimus, abunde testentur, recenseremus: ex quibus quantum non modò prosa oratione, sed etiam metrica ualuerit, facilè constare posset.

SCRIPSIT luculentum illud de Promissionibus, & Prædictionibus Dei opus, in tres diuisum partes: in quo utriusque testamenti concordiam miro ordine ostendit. Tres insuper multę eruditionis libros ad Iulianum Summum Pontificem de contemplatiua uita, & actiua. Item nefariam Cassiani de gratia Dei, ac libero hominis arbitrio hæresim, libello, qui per omnes occidentis ecclesias magnum illi ornamentum, & autoritatem attulit, damnat, & destruit. De qua etiam materia alios libellos elegantissimos edidit. Chronicon præterea, in quo à condito orbe, usque ad Valentiniani augusti obitum, & captam à Genserico Vuandalorum rege, atque direptam urbem Romam, res gestas breuiter complexus est. Postremò Psalmos quinquaginta ultimos, hoc est, à centesimo usque ad centesimum quinquagesimum, expositione ut succincta, ita & pijssima explanauit. In poëtica autem quantum ualuerit, opera illius elimatissimis descripta uersibus testantur: è quorum numero sunt, de Prouidentia Dei liber unus: & alius περὶ ἀχαρίστων, hoc est, de Ingratis, carmine heroico: ac liber Epigrammaton, quem de sacris beati Augustini dictis elegiaco uersu magno lepôre contexuit: cuius est de uera innocentia principium: quem & per capita octoginta distinxit. Reliquum autem ad longè maiorem numerum soluta oratione perduxit: quod opus Sententiarum Augustini inscripsit, & pro libro sententiarum Prosperi, in decretis canonicis persæpe citatur: in quibus quidem omnibus operibus, quantus ingenij uigor, quantus eloquij nitor, ac uenustas, & maiestas eniteat, in scripturarum thesauris, & sancti Spiritus gratia, non attinet hic dicere, cum penè tantum ex utroque dicendi genere, apud omnes eruditos decus, ac famam sibi comparauerit, quantam ex uita sanctissimè acta, gloriam adeptum fuisse illum ostendimus. Plura quidem sese adhuc offerebant, quæ de utraque re scribere possemus, nisi hæc tot sanè, ac tanta, nec non adeò quidem admirabilia forent, ut etiam pauciora, tanti uiri claritatem, & excellentiam testari abunde potuerint.

FINIS.

A D. PROSPERI AQVITANICI EPISCOPI REGIENSIS IN LIBRVM PROMISSIONVM ET PRAEDICTIONVM DEI,

PRAEFATIO.

PAVLVS APOSTOLVS DIcit: Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. In hac igitur agricultura cœlestis & regalis patrimonij quam excoluerunt Apostoli, Patriarchæ, & Prophetæ, inter cæteros dominicos canes, ipse catellus, dum limites circumeo, ex diuinis scripturis, duce gratia, centumquinquagintatria, capitula uenando confeci: in quibus sunt Promissiones Dei centum & tres: Prædicta quinquaginta, distributa hoc modo. Populus ante legem Promissiones
B quas credendo uidit, & uidendo credidit, habuit X V I I I I. Quas credidit, & populo post se uidenda reliquit, V I. Prædicta quæ uidit X I I. Quæ credidit I I I. Populus sub lege Promissiones quas credendo uidit, & credidit, X V I I I. Quam creditam post se uidendam reliquit, unã. Prædicta quæ uidit, X V I I I I. Quæ credidit I I. Populus sub gratia Promissiones habebat X L. Quas ante nos uidit X X X I I. Nos quas uidimus, & uidemus impleri, V I I. Et unam, Finis mundi, quam omnes credimus. Dimidium temporis Prædicta quæ in fide sunt X I I. quæ uidimus I I. Promissiones quæ in fide & in fine uenturæ sunt V I. Tredecim etiam gloriæ sanctorum in fide sunt: quia soli sancti ea percipient facta. Promissiones impletæ L X X X I I I I. implendæ X I X. Prædicta impleta X X X V. implenda X V. Quis igitur durus adeò, & ferreus sensus est, qui dubitet impleri pauca, cum tot iam cernat impleta?

CAPITA PRIMAE PARTIS.

I. Promissio: Ex libris Geneseos creaturę, est in Adam, & in Euam: Christum, & ecclesiam.
II. Prædictio: In mandato contempto duas sequi mortes.
III. Prædictio: Diaboli sentẽtiã eos manere, q eius fecerũt uolũtates.
IIII. Prædictio: In maledicto mulieris sequi originale peccatum.
V. Prædictio: In Adam omnibus posteris labor, sudor, & dolor.

D. PROSPERI AQVITANICI, EPISCOPI REGIENSIS LIBER,

De Promissionibus, & Prædictionibus Dei.

PARS PRIMA.

PROLOGVS.

OMNIS FIDEI RATIO SPE,
dilectioneq́ concluditur: Etenim diligen-
do quisque promissum quod credit, fidem
B commodat, donec potiatur omni quod
sperat. Conuictionem rerum, quæ non ui-
dentur, esse fidem, Paulus apostolus defi- Hebr.11.
nit: cuius dispensatione creator omnium
deus, omnia ex nihilo formare dignatus Gene.1.
est (ut scriptura sancta proloquitur) ex ma-
teria inuisa, summa medijs, & media imis Sap.11.
libratione perpendens. Nam quædam in-
uisibilia uisibilibus præferens, rationalia irrationabilibus, & sensata in-
sensibilibus, & uiuentia uitæ expertibus, in mensura, numero, & pondere
cuncta disposuit. Quibus pro modo subsistentibus rebus, rationale ani-
mal hominem terrenis præferens creaturis, & soli ad imaginem & simili- Gene.1.
tudinem suæ diuinitatis condito tribuit liberam uoluntatem. Huic & le- Eccle.15.
gem dedit semper uiuendi, si mandata seruaret: moriendi, si sui creatoris Gene.3.
præcepta contemneret. Verùm serpentina fraude diabolus, superbia qua Rom.5.
ipse cum socijs ceciderat, homine decepto, dum se cum tota stirpe humani
generis Adam per inobedientiam præcipitaret in mortem, creatori præ-
iudicium, bene condita natura, inferre non potuit. Mortem licet causa
præuaricationis inuenerit, uitæ tamen essentiam, inquantum est, nec in
morte dimisit. Immortalis quippe anima creata, in hoc stadio mundi labe
uitiata, corporis subuersa eluuie, flagitiorum grauata ponderibus, nisi
sanguine redempta fuerit saluatoris, ablutaq́ spiritali unda, contagio in-

flicti uulneris carens, decorem collatæ gratiæ inuiolata fide seruauerit, C
eam in æternam pœnam cum carne uicturam, Euangelica fides adnun-
Ioan. 5 tiat: Quæ bonis æternam uitam, malis æternam pœnam, ea autoritate
firmauit, qua omnia, quæ à principio mundi prædixit, impleuit. Verum
ne longum prooemium huius libri humanus sterilisque sensus extendat,
quem in tres partes & dimidiam distributum, iuuante illo, cuius munere
loquimur, diuina testimonia collecta undique, coniunctaque supplebunt,
ex omnibus diuinis scripturis, quæ Prædicta, quæue sint Promissiones
Dei, ut occurrerint, per capitula decerpenda suscepimus: signantes tri-
faria tempora ab exordio mundi, usque in finem, in diuersis populis con-
sistere, ante legem, sub lege, sub gratia manifesta, quæ occultis signis sem-
per interfuit. Quorum tripartita diuisio hæc est: A' prima conditione pri
mi hominis usque ad Moysen ante legem est. A' Moyse, cui lex data est in
monte Sina, usque in aduentum saluatoris domini nostri IESV CHRI-
STI, sub lege est. Manifestato autem eo in carne, crucifixo, resurgente,
atque ascendente in cœlum, usque nunc, & in finem mundi: cum illo ipso
breui spatio Antichristi, tempus agitur gratiæ. Quibus tribus tempori-
bus moderatione sui creator iustissimus Deus ita iura promissaque sua or-
dinauit: ut non omnia fidei tantum credenda committeret, sed pleraque
intuenda oculis commendaret. E' quibus illa, quæ futura sperabantur, ex
his quæ uidebantur, crederētur implenda. Singulis igitur prædictis tem-
poribus, singulas partes huius libri, ut promisimus, cōsignabimus: quæ D
promissa sunt, quæue CHRISTO & ecclesiæ figuratē exhibita: quæ
credita relicta sint, intuenda futuris, capitula per ordinem posita de-
monstrabunt.

Promissio: Ex libro Geneseos creaturæ, est in Adam, & in Euam: Christum, & Ecclesiam.

CAP. I.

Gen. 1. IN PRINCIPIO fecit Deus cœlum & terram, ma-
re, omniaque eorum, in cœlo fulgentia, gradientia in terris,
in aëre uolantia, natantia in aquis. Quibus perfectis dixit
Deus: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem
nostram. Eoque formato ex limo terræ, insufflauit in faciem
eius spiritum uitę, & factus est homo in animam uiuentem. Et dixit Deus:
Gen. 2. Non est bonum solum hominem esse: Faciamus ei adiutorium simile illi,
consiliarium. Et paulò pòst: Immisit Deus soporem in Adam, & obdor-
miuit. Et sumpsit unam de costis eius, & formauit eam in mulierem: & ad-
duxit eam ad Adam, ut uideret quid eam uocaret. Dixitque Adā: Hoc nūc
os ex ossibus meis, & caro de carne mea, hęc uocabitur Virago, quoniam
de uiro suo sumpta est. Propter hoc, inquit, relinquet homo patrē & ma-
trem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Hoc itaque factū
esse, ut rem gereret, & figuram, Apostolus Paulus testis est. Exponens
quippe

A quippe hunc locum in epistola ad Ephesios ait: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in CHRISTO & in ecclesia. Sacramentum igitur magnum quod promissum sperauit Adam, sibi coniunctam uidit, quam credidit coniugem. Nobis per fidem uiuorum signauit futuram ecclesiam, matrem appellauit omnium uiuorum: ea scilicet causa, qua ex latere Adæ dormientis formata Eua, ex latere Christi in cruce pendentis, formandam, ut factum est, præuidit ecclesiam, quæ uere est mater omniũ uiuorum. Hæc est enim illa mulier, quæ custoditur per tempus & tempora, & dimidium temporis à conspectu serpentis, ut in Apocalypsi de ecclesia dicitur. Ephes. 5. Apoc. 12.

Prædictio: In mandato contempto duas sequi mortes.

CAP. II.

PRædixit Deus Adæ & mulieri eius mortem secuturam, si uetita tetigissent, dicens, Ex omni ligno Paradisi edetis, de ligno autem dinoscentiæ boni & mali non edetis ex eo. Qua die autem ederitis, morte moriemini. Præceptum autem fallente diabolo contemnentes, uetitum tetigerunt. Quod peccatum dum uir excusat per mulierem, mulier per serpentem, mortem prædictam non tantum sibi, quantum suis etiam posteris propinarunt. Hanc enim expẽdit omne simul genus humanum, aliam significans perpetuam mortem, cuius expers erit, omnis qui mandata CHRISTI seruauerit. Eum uerò qui monita salutaria domini nostri Iesu Christi temnẽda duxerit, sine ulla dubitatione suscipiet. Beatus enim
B & sanctus (ait Ioannes apostolus) qui habet partem in hac prima resurrectione, in qua mors non habet potestatem. Et dominus, Qui audit uerba mea, & credit ei qui me misit, habet uitam æternam, & in iudicium non ueniet, sed transiliet à morte ad uitam. Gen. 2. Gene. 3. Rom. 5. Apoc. 20. Ioan. 5.

Prædictio: Diaboli sententiam eos manere, qui eius fecerint uoluntates.
In Genesi credita & uisa.

CAP. III.

SEquitur in serpentẽ diabolum prolata, prædictaq́ sententia, in qua metuendum quiddam reperitur, quod ei inter cætera dictum est: Terram manducabis omnibus diebus uitæ tuæ. Terrenis enim cupiditatibus inhiantes animæ, terræ similes cõparantur, easq́ impias propheta Dauid in primo Psalmo designat, dicẽs: Erunt tanquã puluis, quẽ proijcit uentus à facie terræ. Et Hieremias propheta, Recedẽtes à te, ait, in terra scribentur. Iob etiã dicit: Terra tradita est in manus impij. Item Dauid: Memento domine, quoniã terra sumus. Se uerò exui à terra, quã peccati merito serpẽs comedendã accepit, in alio Psalmo dicit: Salua me de luto, ut nõ inhæreã. Item alibi: Hæsit in terra uenter noster: exurge domine auxiliare nobis, & redime nos propter nomẽ tuũ. Itẽ alibi: Ne tradas me domine à desiderio meo peccatori. Propter quod quotidie monẽdos nos per sacerdotes, censuit diuina clementia, cor sursum erigere: nosq́ profitemur habere, ad do- Gen. 3. Psal. 1. Hier. 17. Iob 9. Psal. 102. Psal 68. Psal. 43. Psal. 134.

minum. Si tamẽ ſponſio noſtra firma ſit, ut quod uerbis proferimus, iugi C
gratia factis etiam compleamus.

Prædictio: In maledicto mulieris ſequi originale peccatum.

Prædictum peccatum originale. In Geneſi credita & uiſa.

CAP. IIII.

Gen. 3. MVlieri autẽ dixit Deus: Multiplicãs multiplicabo gemitus & dolores tuos: in triſtitia paries filios. Sic naſci tranſgreſſorũ filios Dauid
Pſal. 50. propheta cõfirmat: In iniquitatibus, inquit, conceptus ſum, cũ peccatis in
Eccleſ. 40. utero me aluit mater mea. Salomon quoq; paria teſtatur: Graue, ait, iugũ ſuper filios Adã, à die exitus de uentre matris eorũ, uſq; in diem ſepultu-
Sap. 7. ræ in matrẽ omniũ. Itẽ ipſe: Et ego natus accepi, dicit, cõmunẽ aërem, & in ſimiliter factã decidi terrã: primã uocẽ ſimilem omnibus emiſi, plorãs, in inuolumẽtis nutritus ſum & curis magnis. Nemo enim ex regibus aliud habuit natiuitatis initiũ: unus eſt enim omnibus introitus ad uitã, ſimilis
Eſa. 1. exitus. Et paulò pòſt: Semen enim erat maledictũ ab initio. Et Eſaias: Se-
Iob 15. & 25. & 4. men nequã, ait, filij ſceleſti dereliquiſtis dominũ. Iob etiã dicit: Nullus eſt immunis à ſorde: nec infans, cuius eſt unius diei uita ſuper terrã. Itẽ ipſe: Nemo poteſt facere mundũ de immundo conceptũ ſemine, niſi tu qui ſolus mundus es. Pro cuius expiatione maledictũ feminis, immunditia pa-
Leuit. 12. rientis mulieris & infantis, ſacrificia ſunt legalia inſtituta, uſq; ad CHRISTVM regnantem: qui ſui corporis oblato ſacrificio, ſaluos facit puſillos cum magnis. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum, dictũ eſt, à pec- D
Matth. 1. catis eorum. Hæc tamen quæ prædicta ſunt, ita cernuntur impleta, ut uſque in finem mundi ſupplenda doceantur.

Prædictio: In Adam omnibus poſteris labor, ſudor, & dolor.

Prædicta propagataq; ſententia. In Geneſi credita & uiſa.

CAP. V.

Gen. 3. ADæ autẽ dixit Deus: Quoniã audiſti uocẽ mulieris tuę, & tetigiſti de arbore, de qua ſola pręceperã tibi, ne mãducares ex ea, & mãducaſti: maledicta terra in operibus tuis, ſpinas & tribulos pariet tibi: in triſtitia & gemitu edes pabulũ agri tui: in ſudore uultus tui mãducabis panẽ tuũ, donec reuertaris in terrã, de qua ſumptus es. Quoniã terra es & in terram ibis. Hanc prædictam pœnã peccati, quam radix humani generis Adam pro ſententia excepit, ac ſuis poſteris, tanquã ramis transfudit, per unum
Rom. 5. hominẽ, dicit Apoſtolus, peccatum intraſſe in mundũ, & ita in omnes homines pertranſiſſe, in quo omnes peccauerunt. Humus enim, quæ creatoris imperio fertiles ſalubresq; ex ſe herbas, ſine ulla cultura homini antè produxit, pòſt ærumnis ſentibusq; referta eſt, ut in ſudore ac labore ex ea omnẽ hominem edere panẽ oporteat, donec recurrat in mortẽ. Non tantum prædicta audire iſta meruimus, quàm etiã probata expendere. Vnde
Pſal. 103. & Dauid dicit: Exibit homo ad opus ſuũ, et ad operationem ſuam uſq; ad
Pſal. 137. 2. Theſ. 3. ueſperã. Et iterum: Labores manuũ tuarũ manducabis. Apoſtolus quoq; dicit

A dicit: Qui nõ uult operari, nec manducet. Et dominus usq; in undecimam horam operarios mittit ad uineam.

Prædictio: In Cain & Abel duorum populorum, Christianorum, & Iudæorum.

Prædictio figurata, duorum scilicet populorum. In Genesi credita & uisa.

CAP. VI.

EX primis igitur hominibus mortalibus iam effectis, duo filij procreati sunt, ambo mortales, Cain maior, minor Abel. Pastor ouium unus, alius agricola. Hi dum terram incolunt, laboribus iam obnoxiam iudicio diuinæ sententiæ, seq; à proprijs paternisq; delictis expiare contendunt, ex primitijs frugum suarum sacrificia obtulerunt: minoris Abel ex ouibus oblatum acceptabile suscipitur sacrificium: repudiatur Cain, non rectè diuisa terræ particula: inuidia hinc nascitur: præsciaq; diuinitas futurorum indicit patientiā furenti, diciturq; ad Cain: Peccasti, quiesce, ad te conuersio eius, & tu dominaberis eius: id est, ut peccato suo ipse dominaretur, nec fieret seruus peccati, si præcipienti humilis obediret. Ioan. 8. Verùm Cain contumax, suiq; impatiens, insilit super Abel in campum, & occîdit eum. Proh nefas, hæccine sunt Cain germanitatis fœdera? hæccine principia bonæ naturæ? hæccine bonæ indolis spes est? ut antè te norit pater homicidam quàm filium? Sed his ausibus, facinus suum

B Cain multis etiam uinculis connodauit. Effectus contemptor diuini mandati, superbiæ caput, autor inuidiæ, princeps illatæ mortis, & primus in hominibus parricida. Hic initia bellandi instituit, ut reus innoxium sanguinem diffundat, liuoris plenus gloriam impetit alienam. Nam præclara hinc fulsere martyria, dum iusti occiduntur ab impijs. Sed ut omne nobis quod actum est, proficere demonstraret diuina prouidentia, fratrem à fratre requirit, quem iam occisum nouerat: negantem terra teste conuicit: Vox, inquit, sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Gene. 4. Cain figurasse Iudaicum populum terrenis desiderijs inhiantem, Abel CHRISTUM pastorem ouium, ab eo populo occisum, nullus iam ambigit Christianus, cuius sacrum sanguinem omnis nunc terra accipiens, clamat Amen: quod estuerum: ut neganti Iudæo, quòd occiderit Christum, rectè dicatur à Deo: Vox sanguinis fratris tui, clamat ad me de terra. Gene. 5. Pro Abel quem occîdit Cain, natus est Seth, ex quo per ordinem successionis uenit Enoch, qui Deo dum placeret, translatus est ne gustaret mortem Heliæ sociandus, ut duo testes idonei secundo Christi aduentui præparentur, in confutationem Antichristi, & in gloriam iudicantis filij Dei: de quibus suo loco testimonia proferemus. 4. Reg. 2.

Prædictio: In diluuium arca, quæ significauit ecclesiam.

Prædictum diluuium. CAP. VII.

DVm filij Dei à proposito desciscerent sanctitatis, Deus Noë iustum sic admonuit: Finis, inquit, uniuersæ carnis uenit coram me: re- Gene. 6.

pleta est enim terra iniquitate eorum, & ego disperdam eos cum terra. C
Fac tibi arcam de lignis quadratis: tricameratam facies arcam, & bituminabis intrinsecus & extrinsecus: & sic facies eam: Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo ipsius. Fenestram facies in arca, & in cubito consummabis eam. Ostium autem arcæ pones ex latere. Ecce adducam diluuium aquæ super terram, & interficiam omnem carnem, in qua est spiritus uitæ, sub cœlo. Dum igitur fides commodat ac præparat mentem, creditq; futurum quod sperat implendum, mysticæ iussioni & fabricæ obediens Noë, arcam qua se cum mundis immundisq; animalibus, ut præceptum fuerat, conderet, fabricauit geometrica quippe mensura, quæ, ut fertur, sexies tantum quàm nostræ se extendit. De his autem adscriptis numeris, quantum diuinitus adiutus fuero, colligens pauca, archite-
1.Cor.3. cti illius nostri Pauli apostoli sententiam introducam: qui illius arcæ figuratam fabricam, omnemq; eius spiritalem constructionem ad ecclesiam sanctam referens, instar in ea crucis expresit. Ait enim in episto-
1.Ephe.3. la ad Ephesios: Flecto genua mea ad patrem domini nostri IESV CHRISTI, ut det uobis secundum diuitias gratiæ suæ, uirtutem, habitare Christum per fidem in cordibus uestris, in charitate radicati atque fundati, ut ualeatis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit altitudo, latitudo, longitudo & profundum: scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi. Quinque sententias in quinque articu- D
1.Cor.14. lis dixit, utpote is qui dixerat: Volo quinque uerba mente mea in ecclesia loqui. Quinque ergo istæ sententiæ ad prędictæ arcæ mensuras pertinere hac ratione monstrantur. Quinarius enim numerus ex pari & impari constitutus, habet duo & tria. Tria à trinitate: duo à duobus præceptis: quæ coniuncta, quinarium firmant. Huic additur unus, propter unitatem indiuiduæ trinitatis, & efficitur senarius perfectus, omni ex parte sibimet respondens. In primam, tertiam ac dimidiam. De quo numero multi iam dixere maiores. Hi igitur quinarius & senarius coniuncti numeri, ac multiplicati in inuicem, extenduntur ad prædictæ arcæ mensuras quinarias. Propter quod quinta die, excepto homine, uniuersa quæ creata sunt, fecerit Deus: atque in quinque libris Moysi uniuersa legis mandata conscripta sunt: & quòd perficiendæ legis causa, quinta feria ad patibulum traditus fuerit ipse saluator & dominus. Senarius uerò numerus hoc continet, quòd sexta die formatus est homo: & sexta ætate seculi ad redemptionem mundi hominem susceperit uerbum Dei. Et sexta feria suspensus in cruce, nostrum omne pretium ex suo latere, tanquam per ostium arcæ, pre-
Gene.8. tiosum sanguinem fuderit. Ex quo columba ecclesia tanto sanguine dotata processit. Propter quod & coruus hæreticus exiens, humani cadaueris cupiditate naufragus, ad arcam ecclesiam redire noluit. De quo intus
1.Ioan.2. posita munda animantia clamant: Ex nobis exijt, sed non erat ex nobis: nam

A bis: nam ſi ex nobis eſſet, manſiſſet utique nobiſcum. Hi igitur duo, ut dixi, numeri quinarius & ſenarius, dum multiplicantur in inuicem, ſupplent tricenarium. Quinquies enim ſeni, & ſexies quini ductus numerus tricenarium format. Et ipſi ſunt triginta cubiti, qui in altitudine arcæ præcepti ſunt conſtrui, ad ſublimem partem pertinentes Spei: in qua caput eminus confixum eſt crucifixi. Omnis enim ſpes in capite. Propter quod & ipſum caput noſtrum triginta annorum dignatus eſt crucifigi. Rurſum quinarius numerus in decalogo multiplicatus, propter decem præcepta legis. Decies enim quini & quinquies deni numerus ductus quinquaginta efficiunt. Et hi in latitudine arcæ ponuntur, qui ad Charitatis ſpatia in cruce ſignantur, in qua manus infixæ ſunt crucifixi. Decem enim præcepta digito Dei dicuntur eſſe conſcripta, nosq; ipſi manus noſtras lauare in ſancta iubemur. Item quinarius & ſenarius numeri in quinquagenario multiplicati arcæ longitudinem ſupplent. Quinquagies enim ſeni, & ſexagies quini trecentos efficiunt, qui noſtræ arcæ longitudini Patientiæ aſcribuntur, in qua corpus extenſum eſt crucifixi: cui dicitur, CHRISTVS pro uobis paſſus eſt, relinquens uobis exemplum, ut ſequamini ueſtigia eius. Quoniam uetus homo noſter ſimul cum illo affixus eſt cruci, patientesq; eſſe iubemur uſque in aduentum. Profundum uero crucis, diluuij magnitudinem ſignificat, qua & illa & noſtra arca portatur. Quoniam ſunt iudicia Dei (ut ſcri- 1.Pet.2. Rom.6.

B ptum eſt) ſicut abyſſus multa. Quod uero dictum eſt, tricameratam facies eam: hanc fabricam prædictus architectus noſter Paulus expreſsit. Manet, inquit, fides, ſpes, charitas: tria hæc. Nam cum in prima ac ſecunda habitatione beſtiæ, pecora, ſerpentes, auesq; in fide & ſpe manſerint: in tertia Noë cum ſuis in charitate manens (quia maior horum omnium charitas) diluuium formidare non potuit. Qui enim manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo permanet: quia Deus charitas eſt. Feneſtram uero arcæ melius accepimus reſpectum in ſalutem animarum, quæ ſunt bitumine intrinſecus & extrinſecus ſociatæ & colligatæ inuicem in unitate ſpiritus ſancti, & in uinculo pacis. In cubito dictum eſt conſummari arcam, ſic enim decuit ſignificare eccleſiæ unitatem. Quoniam finis legis CHRISTVS ad iuſtitiam omni credenti. Vnde & ille diues in Euangelio diluuium huiuſmodi formidans, ait ipſi domino rerum, Magiſter bone, quid faciens uitam æternam conſequar? Et dominus prædictæ arcæ illi menſuras oſtendens: Præcepta, inquit, noſti. Cumq; ei plurima dixiſſet ex numero, ille uelut quadratus arcæ cupiens ſociari, Omnia hæc mãdata, inquit, feci: quid adhuc mihi supereſt? Et dominus perfectionem arcæ noſtræ deſignans in uno cubito conſiſtere, Si uis, inquit, perfectus eſſe, uade, uende omnia quæ habes, da pauperibus, & ueni ſequere me. Quod cum ille facere nequiuiſſet, quia omni ex parte quadratus non fuit, ad cubitũ perfectionis arcæ non meruit pertingere. Abijt enim, ut dictũ eſt, cõtriſtatus. Quod uero quadraginta diebus Pſalm.35. 1.Cor.13. 1.Ioan.4. Coloſ.1. Rom.10. Matth.19. Gene.10.

& quadr

& quadraginta noctibus diluuium factum est super terram, non tantum C
præteriti in hoc numero, quantum etiam præsentis temporis animarum
diluuium ostendit. Quæ in scopulis seculi, atque in gurgite flagitiorum,
diuersarumq; uoluntatum, naufragis fluctibus submerguntur. Propter
3. Reg. 19. quod quadraginta diebus Helias, quadraginta diebus & ipse saluator ie-
Matth. 4. iunia consecrasse, hac tripartita ratione monstrantur: tanquam prædictis
tribus temporibus necessaria, ante legem, sub lege, sub gratia. Finis igitur
diluuij, sexcentesimo primo anno Noë terminatus, finem mundi signifi-
cat, post sex, ut dictum, ætates seculi, & breue Antichristi spatiũ: tot enim
ætatibus etiam hominis longæui uita protenditur, donec ab infantia re-
currat in senium. Nunc uero ecclesia aut arca, uelut munda & immunda
animalia, bonos malosq; portare cognoscitur, usq; in prædictum finem,
Matt. 24. de quo dominus & saluator noster in Euangelio testatus est, dicens: Sic fu
turum aduẽtum suum, quemadmodum fuit in diebus Noë, subitò man-
ducantibus ac bibentibus, emẽtibus & uendentibus. Credidit igitur Noë
quæ prædicta uidit in arca. Credidit, quæ futura erat nobis præsentanda
ecclesia, nobiscum sperat, quæ erit ultimo iudicio declaranda.

Prædictio: In tribus filijs Noë, gentes, quas Christus dominus sparsas inuenit, collegit.

Prædictæ gentes.

CAP. VIII.

EX tribus igitur filijs Noë, Sem, Cam, Iafeth, totidemq; nuribus eius, D
mortalium fœcunditas dum adcreuisset, radix peccati superbia, mun-
Gen. 11. do pereunte diluuio, ipsa perire non potuit. Turris superba à superbis
extruitur, cuius caput cœlũ hactenus occuparet. Huius cœpta à uero arti
fice Deo per cõfusionẽ linguarũ in irritũ deducuntur: sic enim scriptũ est:
Ecce labium unum est omni terræ, & hoc cœperunt facere. Et dixit Deus,
Venite, descendamus & confundamus ibi linguas eorũ. Deus trinitas lo-
quitur. Descẽdere uerò Deum est, humanos actus inspicere, uel eorũ sen-
sibus propinquare. Quæ ut prædicta sunt, mox impleta sunt. Confusæ
quippe linguæ non tantũ dispositа supplere nequiuerunt, quantum etiam
dispersæ per orbem, gentes quasque suo distinxere eloquio. Attamen
Philipp. 2. creatoris & iudicis impleta censura, per humilem CHRISTI gratiam
charitas uno sub dogmate congregauit, quæ superba impietas disperse-
rat. Omnis ergo nũc in unũ lingua confiteatur, quòd dominus IESVS,
Gen. 9. qui est turris fortitudinis, in gloria est Dei patris. Quem inebriatum ut
Noë ex uinea, nudatumq; in passione, Cam filius irridens, in Canaam fi-
Galat. 3. lio maledictum excipiens, gentibus propinauit. Quod abstulit IESVS
dominus qui pro nobis factus est maledictum.

Prædictio: In Heber gens Hebræa, quem primatum Christiano populo tradidit.

Prædicta

A Prædicta gens Hebræa, à quo exorta sit, primatum habens in omnibus linguis.

CAP. IX.

INter cæteros, quos linguarum confusio per gentes diuisit, Heber dictus est, in quo, ut fertur, Hebræa prima lingua resedit. unde etiam Hebræa gens nomen accepit. Primam uerò Hebræam esse linguam mysticus ille titulus à Pilato conscriptus ostendit. Erat enim is tribus linguis insignitus, Hebræa, Græca & Latina: quæ linguæ primatum ferè in omnibus retinentes linguis, eidem creatori in titulo consignatæ sunt, eo ordine diuino, quo prædicta antequam fierent, propheta Dauid testatus est, dicens: Tituli inscriptionem ne corrumpas. Regem enim Iudæorum crucifixum ille scripserat iudex. Hunc sua lingua Hebraici dum legerent, quæ primo in loco posita erat postulantes mutandum, diuinitus actus Pilatus, Quod scripsi, inquit, scripsi. ut & tituli inuiolata, sicut promissum est, maneret integritas, & lingua Hebræa sub testimonio in principalem locum, quem pòst amisit, merito signaretur. Ex isto igitur Heber currit progenies usque ad Abraham, à quo, ut quidam dicunt, Abræi, sicut ab Heber Hebræi appellati sunt. Primitiuum uerò esse hunc populum, licet ipse dominus attestetur dicens, Primitiuus meus Israël. in Deuteronomio libro plenius ostenditur: Cum dispartiretur altissimus, dictum est, nationes, statuit terminos gentium secundum numerum angelorum Dei. Et facta est portio eius Iacob, series hæreditatis eius Israël. Sed hic Iacob qui appellatus est B Israël, ex quo tramite ueniat per ordinem recurramus, ut Abrahæ, cuius hic nepos est, promissa suppleantur.

Gene. 10. Luce 23. Ioan. 18. Psalm. 58. Gene. 11. Exod. 4. Deut. 32.

Promißio: In Abrahæ uocatione terra uiuentium Christiano populo futura.

Promißio facta & figurata.

CAP. X.

EX semine igitur Sem filij Noë, natus est Heber, cuius fuit filius Phaleg, sub quo diuisæ sunt linguæ. Phaleg genuit Reu: Reu genuit Seruch: Seruch genuit Nachor: Nachor genuit Thare: Thare genuit Abraham, cuius fuit nepos Iacob. Hunc Abraham apud Chaldæos genitum, scriptura testatur. Ex qua gente uocatus, dum primus crederet, pater fidei, gratia uocâtis, meruit appellari. Chaldæi astronomiæ dediti, dum callidè positiones siderum perscrutantur, multum errantes circa cultum religionemque diuinam, creatorem omnium rerum minime perquirentes, euanuerunt, ut Paulus dicit, in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. E quibus Abrahã non calidæ creaturæ, sed calore diuini cultus accensus, ab stultis & insipientibus, domini munere segregatus est. Exi, inquit ei Deus, de terra tua, & de cognatione tua, & ueni in terram quancunque tibi ostendero. Ad præceptum uocantis, prima sede cognationeque relicta, per fidem credit quæ non uidit: donec uidere mereatur omne quod credit. Exiens igitur de terra Chaldæorum, habitauit Charræ, in

Gene. 10. Gene. 11. Rom. 4. Rom. 1. Gene. 12.

ræ,in qua omnibus repletus eſt diuitijs. Terræ quoq; ipſius, in ſpe ſui ſe- C
minis, futuram ſuſcepit hæreditatem. Cum etiam ex anu & ſterili coniu-
ge, uergens quoq; ipſe in ſenium, per promiſsionem expectat hæredem.
Hic nobis pater fidei oſtendit, nec incolatus noſtri longos exitus formi-
dandos, & in CHRISTO domino ſemper ſperandum. Cuius per gra-
tiam terram uiuentium ſempiternam potiemur hæreditatem. De qua Da
Pſalm.26. uid propheta dicit: Credo uidere bona domini in terra uiuentium.

Promiſsio: In Abrahæ ſemine multiplicari ut ſtellas populum Chriſtianum.

Promiſsio multiplicandi ſeminis: in Geneſi credita & uiſa.

CAP. XI.

Gene.15. FActus eſt ſermo domini ad Abraham per uiſum dicens: Noli timere Abraham, ego te protego, merces tua multa erit ualde. Dixitq; Abraham: Domine quid dabis mihi? ego enim ſum abſq; liberis, & filius præpoſitus domui meæ hic Damaſcus Eliezer. Dixitq; Abraham: Quia non dediſti mihi ſemen, uernaculus meus mihi hæres erit. Statimq; ſermo domini ad eum: Non erit hic hæres tuus, ſed qui ægredietur de utero tuo, ipſum habebis heredem. Eduxitq; eum foras, & ait illi: Suſpice in cœlum, & numera ſtellas, ſi poteris numerare eas. Et dixit: Sic erit ſemen tuum. Credidit autem Abraham deo, & deputatum eſt ei ad iuſtitiam. Hæc Pau
Rom.10. lus firmat apoſtolus dicens: Igitur fides, ait, ex auditu: auditus autem per D
Eſa.7. uerbum Chriſti. Et Eſaias ait: Niſi credideritis, non intelligetis. Fundamentum omnis rei futuræ, fides eſt: cuius culmen ædificij terras cœlumq; obtinuit in Chriſto Ieſu, qui eſt ex ſemine Abrahæ.

Promiſsio: In ſacerdotio Abrahæ, regale eccleſiæ ſacerdotium.

Promiſsio qua Abraham, poſcente deo ſacrificium, ſacerdos oſtenditur.

CAP. XII.

SEcundo oraculo dixit dominus ad Abraham: Ego ſum qui eduxi te de terra Chaldæorum, ut darem tibi terram iſtam, & poſsideres eam. At ille ait: Domine unde ſcire poſſum, quòd poſſeſſurus ſum eam? Et dominus: Sume, inquit, uaccam triennem, & capram trimam, & arietem trimum, turturem quoq; & columbam. Qui tollens uniuerſa hæc, diuiſit ea per medium, & utraſq; partes contra inuicem poſuit, aues autem non diuiſit. Deſcenderuntq; uolucres ſuper cadauera diuiſa, & abegit eas Abraham. Cumq; ſol occumberet, ſopor irruit ſuper Abraham, & horror magnus & tenebroſus inuaſit eum. Dictumq; eſt ad eum: Sciens prænoſce, quòd peregrinum erit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubijcient eos ſeruituti, & affligent annis quadringentis. Gentem autem, cui ſeruierint, iudicabo ego, dicit dominus. Poſt hæc egredientur cum magna ſubſtantia. Tu autem ibis ad patres tuos, nutritus in ſenecta bona. Quarta autem

generat

A generatione reuertētur huc:necdū enim impletæ sunt iniquitates Amorreorum.In hac promissione,& in hoc sacrificio tripartito (quod in præsenti ita actum est,ut tamē alia futura signaret) tria tempora quæ superius dicta sunt,in tribus his animalibus,spiritalis lector agnosce. Vaccam trimam,ante legem lasciuiētem plebem sine iugo legis.Capram trimam,sub lege,quam immolare debet plebs legem transgrediens,pro peccato.Arietem trimum,sub gratia,perfectum sacrificium,quod figuratè pro filio idē offerēs Abraham arietem nostrū CHRISTVM triennem, tribus temporibus prædicatū,pro peccato populi ara crucis excepit. Quoniam pro iniquitate populi,ait Esaias,ductus est ad mortē,& liuore eius omnes sanati sumus.Quòd uerò hæc animalia contra inuicem diuisa posita sunt, diuisiones & schismata,quæ sese inuicem impugnarent, futura apostolus Paulus ostendit,dicēs:Oportet & hæreses esse, ut probati manifesti fiant in uobis.Nam & ante legem,ut hæreticorū, Cain repudiatum est sacrificium:& in lege Chore,Dathan, & Abiron,dum hæresum schismatumq́ue autores,uiuos terra uorauit.Et sub gratia multarū hæresum dogmata,& aues circa diuisa cadauera mortuorū residentes,abiguntur à Paulo, cum dicit,Diuisus est Christus:nunquid Paulus pro uobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Præceptū est autē Abrahæ in illo sacrificio,ut turturem castum,& simplicem columbā nō diuideret. Quoniā spiritales filij casti,& simplices uirgines, dum in charitate sacrificiū illibatæ

Esa. 53. *1. Cor. 11.* *Nume. 16.*

B fidei offerunt,diuidi omnino nō possunt. Peregrinū uerò esse in hac uita semē corū,qui domino suo canunt,testatur Dauid dicēs: Inquilinus sum & peregrinus,sicut oēs patres mei. Vt uexati in Aegypto annis quadringentis dum gemunt & dicūt:Heu me quia peregrinatio mea elongata est, satis in promptu est.Quarta uerò generatione ad libertatē reuerti ex hac Aegyptia seruitute:nostra à peccato eruta libertas ostenditur: quæ tribus sæpe dictis expletis temporibus,in quartam,quam regenerationē dominus appellat,declarata per resurrectionem ueram, omnis nostra libertas exurgat,impletis peccatis Amorreorum; eorum scilicet qui non credunt Dei Euangelio. Quoniam qui non credit,ut dn̄s dicit,iam iudicatus est.

Psal. 118. *Psal. 119.* *Ioan. 3.*

Promißio: In nominis perfectione,qua in fide,pater gentium est Abraham.

In Genesi credita & uisa. Promissio figurata.

CAP. XIII.

TErtio oraculo promissio diuina, etiā in eius nomine, firmatē. Abram antè uocatus, Abrahā eū creator dn̄s nūcupat,cuius noīs proprietas designatē:Patrē,inquit,multarū gentiū posui te:Vt hæc promissio, nō ad solā progeniē carnis Abrahæ,ex qua populus Iudaicus ueniebat,crederetur pertinere: de qua gloriati in Euāgelio dixerūt: Nos patrem habemus Abrahā.Responsumq́ue est ab eo,qui & uocabulū tale dederat & fidē:Nolite,inquit,in hoc gloriari:potēs est enim Deus de lapidibus istis suscitare

Gen. 17. *Matth. & Luc. 3.*

filios Abrahæ:ut esset Abraham in CHRISTO pater multarum gen- C
Rom. 4. tium per fidem: cum unius tantum gentis fuerit per generationem.

Prædictio: In circuncisione, qua corde circunciditur Christianus.

Prædictio figurata.

CAP. XIIII.

Gen. 17. HVic Abrahæ iam uocato per fidem, pactum quoddã circuncisionis indicitur, in signo ueteris testamenti, quod ipse suiq; posteri seruare præcipiuntur. Omnemq; animam perituram de populo, quæ circũcisionem minimè celebrasset. Quæritur fortasse, cur placuerit Deo circuncidi omne duntaxat masculinum, eorũ qui se ad obediendum Deo uouerant. Grandi autẽ sacramento res hæc acta est: quæ media & præterita tempora respiceret, ac futura. Nam primæ præuaricationis causa à parte corporis, serpentis ueneno homo percussus, ardore libidinis estuans, puduit ex his, quæ pudenda creata non erant: eaq; parere uerecundiæ statuit, quæ fuerant inuerecundè nudata. Idcirco creator & iudex Deus, in ea parte corporis signum circuncisionis indixit, temperans morbum malè conceptæ libidinis ex copula debitum, aut per continentiæ bonum atque integritatis decus id repararet, quod fuerat uitiatum. Circuncisio quippe cordis, quæ in nouo fulget testamento, in illo signo figurata est: quia sunt
Matth. 19. spadones, qui se ipsos castrauerunt propter regnum Dei. Et filios Israël
Hiere. 9. incircuncisos corde Deus increpat, & obiurgat.

D

Promissio: In Isaac nato, qui risus dicitur, quid ostendat in Christo.

Promissio figurata.

CAP. XV.

Gen. 18. RVrsum eidem Abrahę ad ilicem Mambræ in tribus uiris diuina maiestas apparuit, proximè de filio suscipiendo ferens promissionẽ, ac supradicta confirmans: à quo etiã Sara uxor eius inquiritur. Dixit enim Deus Abraham: Vbi est Sara uxor tua? Qui dixit: In tabernaculo est. Dixitq; illi dominus: Reuertar ad te hoc tempore opportunè, & habebit Sara filium. Audiens uerò hæc Sara, cum esset in ostio tabernaculi post eum, risit intra seipsam dicens: Nondũ factũ mihi est usq; in hoc tempus, & dominus meus senior est. Ait dominus ad Abraham: Quare risit Sara intra se ipsam dicẽs: Ergo ego uerè pariam quæ senui? nunquid nihil potest uerbũ Dei? Rursumq; cõfirmat: Reuertar igitur ad te opportunè, & habebit Sara filiũ. Timendo negat Sara risisse, quòd riserit, cõuincitur ueritate. Quæ cõcipiẽs & pariẽs, appellatum est nomẽ eius Isaac, quod interpretatur risus. Ob quam rem & ipsa Sara, cum iam paruulum portaret in manibus, Risum, inquit, mihi fecit Deus. Omnis enim qui audierit senem & sterilẽ peperisse, cõgratulabitur mihi in risu. Proles risus excipitur, in quo benedictionẽ promissam omniũ gentiũ suscepit Abrahã. Gen-

tes

A tes enim quæ CHRISTO per illum senem in carne uenienti nunc credunt, in risum à Iudæis, suum saluatorem cõfitentur, eumq́ glorificãtes, agnoscunt illius contumeliosam passionem, suam esse ueram libertatem.

Prædictio: In Sodoma, & Gomorra futuri iudicij diem.

In Genesi credita & uisa. Prædictio facta & figurata.

CAP. XVI.

IMpiarum ciuitatum subuersionem prædictam Sodomorũ & Gomorreorum, idem fideli famulo Abrahæ dominus demonstrauit dicẽs: Clamor Sodomorũ & Gomorreorũ multiplicatus est, & peccata eorũ ualde inuisa. Descendẽs, inquit, uidebo si clamorẽ, qui uenit ad me consummauerint: sin autẽ, ut sciam. Descẽdit, & hîc dictũ est, Deus: quia famulo gratissimo nõ celauit suum iustũ iudicium, ac per quandã pactionem, quam supplex humilisq́ intercessor acceperat, Deum cognoscẽs iure prædictas uelle perdere ciuitates, ut irascentẽ mitigaret, hoc modo, Ne perdas, inqt, pariter iustum cum impio. Et erit iustus quo modo & iniustus? Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate, perdes illos? Non remittes omnem locum causa illorũ quinquaginta iustorũ? Cumq́ promisisset Deus nõ se perditurũ, si quinquaginta iustos in illis reperisset locis, ex eo loquẽdi sumpsit audaciam, pias precantis adhibẽs uoces, limum puluerem q́ sese confitẽs: Dei sententiam pro quinquaginta iustis addens quadraginta quinq́ mi- Gen. 18.

B ra celeritate suspendit. Quorum exiguum numerum minimè reperijsse dicitur. Eruensq́ Loth cum uxore & duabus filiabus eius, de populis & ciuitatibus quas cœlesti igne consumpturus erat, eos, quos liberauit, admonuit, nõ stare in tota regione illa, ne ue retrò respicerent. Quæ uxor Loth præcepta contemnens, retroq́ respiciens statua salis effecta, suo exemplo fatuos condiuit, in proposito sancto quo tendunt proficientes, noxia curiositate retrò non debere respicere: nec posse euadere tales statuta supplicia, hæc fœmina demonstrauit, quæ quod euaserat perdidit. Tales dominus in Euangelio increpat dicẽs: Remissius erit terræ Sodomorum in die iudicij, q̃ uobis. Quos uero CHRISTI gratia liberat, admonet p̃ Apostolũ: Exite de medio eorũ, & separamini: dicit dñs. Itẽ ipse, Quę retrò obliti, in ea quæ antè sunt extẽtus. Nemo eñ retrò attẽdens, exponẽs manũ suã super aratrũ, aptus est regno Dei. Cũ dñs diceret: Memẽtote, ait, uxoris Loth. Securi igitur diem iudicij expectant, quibus in cruce dñi gloriãtibus, mũdus eis crucifixus est, & ipsi mundo. Terruit eñ dñs corda fidelium, dicens: Vt factum est in diebus Loth, ita futurũ aduẽtum filij hominis, ne grauati in crapulis & ebrietatibus eos subitaneus inueniat dies. De quo dicit Apostolus: Quia dies domini, sicut fur in nocte, ita ueniet. Matth. 10. & 11. Heb. 13. & Esa. 52. 2. Cor. 6. Phil. 3. Luc. 9. et 17. Gal. 6. Luc. 21. 1. Thess. 4. & 5.

Prædictio: In Isaac immolando Christi passio.

Prædictio figurata.

CAP. XVII.

Gen. 22. TEntauit Deus Abraham dicẽs: Abrahã Abrahã. Et dixit: Ecce ego. Et C
dominus; Accipe filiũ tuũ unigenitũ, quẽ diligis Isaac, & uade in terrã excelsam, & offer ibi eum holocaustũ super unũ montiũ, quẽ tibi dixero. Eum sibi iubet offerri holocaustum, in quo semen Abrahæ ut stellas cœli multiplicari, & in eo gentes benedici, tot iam oraculis diuinitus ipse promiserat. Non tamẽ cunctatur pater in filio implere quæ iussa sunt, sciẽs, ut Paulus dicit, quòd etiã ex mortuis posset eum dñs excitare. Sed eius qui
Heb. 11. tentatur in filio, nõ tantũ collatæ fidei uirtus demonstrat, quantũ etiã nobis imitãda proponitur. Et ut præcepti noui ex Euãgelio maneret autori-
Matt. 10. & Luc. 14. tas: Qui amat patrẽ aut matrẽ super me, non est me dignus. Aut qui amat filiũ aut filiã plus quàm me, nõ est me dignus. Nam cum eum necdũ proli sciret idoneum, Deo tamen iubenti ea intentione paruit Abraham, qua sciebat Deum nec immemorẽ promissionum suarũ, & mysticum quoddã futuræ passionis dominicæ geri sacramentũ, illum scilicet respiciens diem nostræ redemptionis, de quo dominus in Euãgelio increpãs Iudæos dicit:
Ioan. 8. Abraham pater uester concupiuit uidere diem meum, & uidit & gauisus est. Diem scilicet passionis filij Dei in suo filio figuratum uidit Abraham: quòd unico filio nõ pepercit: quòd uelut ad aram crucis triduo cum insonti uictima conuolauit: quòd patiens, ac sine uoce: similis agno coram tondente se, filius patri, ut percuteret, pia colla præbuit: quòd se ligno, quod portauerat ipse, suspendi Isaac non reluctatus est: quòd aries cornibus in uepre detentus, spinis coronatum CHRISTVM ostendens, pro D
Isaac immolandus apparuit: quòd ideo Isaac immolatus non est, quia resurrectio filio Dei seruata est. Hæc omnia credens Abraham, uidere meruit per figuram, quæ nos per gratiam impleta esse cognoscimus.

Prædictio: In iuratione Dei, qua semen eius in Christo supra numerum extenditur.

Promissio figurata Abrahæ.

CAP. XVIII.

Gen. 22. PEr me iuraui, dicit dominus, propterea quòd nõ pepercisti filio tuo dilectissimo propter me: benedicã tibi, & multiplicabo semen tuũ sicut stellas cœli, & uelut arenã quæ est in littore maris. Et possidebit semẽ tuũ ciuitates inimicorũ suorum, & benedicẽtur in semine tuo omnes gẽtes terræ, quia obedisti uoci meæ. Multiplicatũ quidẽ semen Abrahæ, atque ad grandem numerũ peruenisse, liber Numerorũ ostendit. Non tamẽ scimus esse innumerum. Promissio uerò Dei ut stellas cœli, & ut arenam maris, quæ numerari nequeunt, cõtinet: quam in CHRISTO per fidem, gẽtiũ, quarum pater est Abraham, benedictionẽ esse suppletã, & ipse rerũ ordo demonstrat: simul & oracula prophetarũ, quæ filios Abrahæ non tantũ ex
Psal. 71. semine carnis, sed fide uocari ad infinitũ numerũ, per Dauid cæterosque testantur. Benedicẽtur, inquit, in eo omnes tribus terræ. Omnes gẽtes beatum dicent eum. Item: Adorabunt eum oẽs reges terræ: oẽs gẽtes seruient illi

A illi. Et Esaias, Erit radix Iesse, & qui exurget regnare in gẽtibus, in eo gen- Esa. 11.
tes sperabunt. Apostolus quoq; Paulus, fractos ramos Iudæos dicit per Rom. 11.
incredulitatẽ, atq; in fide radicis Abrahæ gentes, ut oleastro, fuisse inser-
tas. Itẽ ipse, Gẽtes autẽ super misericordiã glorificare Deum: misericordia Rom. 15.
qua, ablato, ut promisit, corde lapideo, daret eis cor carneũ. Lapides enĩ Ezech. 10.
appellat, lapideos deos colẽtes. Cum dicit: Dico uobis, si hi tacuerint, lapi & 36.
des clamabunt. Mirum in modũ qui erãt lapides, per gratiã facti filij, cla- Luc. 19.
mãt: Pater noster qui es in cœlis. & qui erãt filij, effecti lapides, dicũt: Fac Matth. 6.
nobis Deos, qui nos præcedant: quia derelinquẽtes Deum uiuum, seruie- Exo. 32.
runt Baal, & Idolis gentium. Gentes è contrario, spretis idolis, secuti sunt
Deum uiuum. Quæ nos uidemus impleri, illa scilicet quæ promissa sunt,
in semine suo futuro per CHRISTVM, quæ & credidit Abraham.

Prædictio: Ex femore Abrahæ Christum hominem suscepturum.

In Genesi credita & uisa. Prædictam carnem CHRISTI ex femore Abrahæ uenturam, sequens mystica actio ostendit.

CAP. XIX.

VOcat Abraham præpositum domus suæ: ait illi: Pone manũ tuã sub Gen. 24.
femore meo, & iura per Deum cœli, quia non accipies uxorem filio
meo à filiabus terræ huius, cum quibus ego habito: sed de tribu mea acci-
pies illi uxorẽ. In femore Abrahæ Deũ cœli fuisse, hic ordo ostẽdit, quòd
B Abrahã genuit Isaac: Isaac, Iacob: Iacob, duodecim patriarchas: in quibus
Iudas, ex cuius tribu Dauid, de quo ꝑ seriem gñationũ, uirgo MARIA
quę peperit CHRISTVM, qui est Deus cœli: quia ꝑ ipm̃ facta sunt oĩa.

Promissio: In geminis Rebeccæ populos duos, Christianos, & Iudæos.

In Genesi credita & uisa. Promissio facta & figurata.

CAP. XX.

CVm idem Isaac Rebeccam propinquam sibi accepisset uxorẽ, eamq; Gen. 25.
sentiens sterilem, pro gignẽda prole, Deum, qui multiplicem promi-
serat, deprecatus est. Statimq; ut poposcit, accepit. Quum autẽ cõcepisset
Rebecca gemini gestiebãt in utero eius. At illa hæc referens: Si sic mihi fu-
turũ erat, ait: ut quid mihi hoc? Abijt autẽ Isaac cum ea interrogare domi-
num, atq; huiusmodi responsum accepit: Duo, inquit, populi in utero tuo
sunt: & duæ plebes de uentre tuo prodibunt: & populus populũ supera-
bit, & maior seruiet minori. Suscepit duos promissos filios Isaac, duosq;
populos, fide tantũ futuros agnoscens, quos illa mystica actio nobis reue-
latos exhibuit. Esau quippe, dum prior pilosus prodiret ex utero, mino-
ris Iacob manus emissa post eum, plantam eius apprehẽdit: quod factum
mirum magnumq; uisum præbuit. Idem igitur Iacob iunior lenis, in ipsa
iam pueritia per cocturam rubram lenticulæ maiorem fratrem supplan-
tans, abstulit eius primatus: nec uacuum esse potuit tanti mysterij sacra-

mentum. Lenis illi iunior Iacob, lenem mitemq; signabat populum Christianum, ea lenitate prĕditum, qua innocuum gentilis furor crediderat ab Esau. Hic igitur lenis populus per cocturā, passionē scilicet CHRISTI sanguine rubratam, edaci & sæuienti Iudaico populo, cuius figuram gestabat Esau, qui etiam Edom dictus est, petenti uoluntariè obtulit, ac primatus quos habuit ille, uendidit, iste suscepit. Iudæus quod nascendo habuit, per concupiscentiam perdidit. Christianus per gratiam, quod in natura non habuit, acquisiuit. C

Promißio: In eosdem quæ gesserint per figuram.

In Genesi credita & uisa. Promissio facta & figurata.

CAP. XXI.

EA uerò quæ in duobus istis geminis acta sunt, quàm mira, quàm grandia, quàm iuxta promissiones sacramentis omnia plena sint, breuiter ut iustum fuerit explicare contendam. Cæcatus Isaac, pater eorum, exterioribus oculis, lumine uerò interiore fulgente, promittit Esau primitiuo filio benedictionem, si desideratas escas ex sua uenatione filius prĕpararet patri. Pergit ille implere quæ iussa sunt. Mater, quæ audierat benedictionem maiori promissam, diuinitus acta, ut minori Iacob proueniat, prophetica arte cōposita mysticam artem parat. Vestem accepit primogeniti sui, quæ erat apud illam in domo, hac iuniorem induit: ac super brachia eius, & nudam ceruicem pelles hœdorū imposuit: aptauitq; eum qui erat, ut posset intueri quod nō erat. Tanquam iam nobis illum figuratū ostenderet Christū, qui accepit non carnem peccati, sed similitudinē carnis peccati. Legem quoq; ueteris testamenti, tanquam uestem primogeniti excipiens, non eam se soluere dominus uenisse dixerit, sed implere. Sic compositus minor filius ille Iacob, qui fratri iam primatus abstulerat, usurpat insuper benedictionem, offerens patri paratas à matre escas, & dicit: Pater. At ille: Quis es tu fili? Ego sum, inquit, primogenitus tuus Esau. Feci sicut locutus es mihi. Cumq; pater uocem filij minoris agnosceret, palpandum æstimans, habitu mēbra maioris inuenit. Turbatusq; in filijs, factus est, ut ait quidam, gratus error parentibus. Acceptis igitur epulis quas parauerat mater, filius offerebat: pater quas libenter accepit, huiusmodi benedictionē minori filio dedit. Ecce, inquit, odor filij mei, sicut odor agri pleni, quem benedixit dominus. Det tibi, inquit, Deus à rore cœli & à fertilitate terræ multitudinem frumenti, uini & olei: & seruiant tibi gentes, & adorabunt te principes: & eris dominus fratris tui, & adorabunt te filij patris tui: & qui te benedixerit, erit benedictus, & qui te maledixerit, erit maledictus. Hæc omnia CHRISTO domino cōueniūt, post eius odorē benedictæ cōcurrūt omnes gētes. Venit peractis illis & filius primogenitus Esau ex minoris gratia iam reprobus. Offert & ipse escas patri, et dicit: Exurgat pater meus, & māducet de uenatione filij sui, ut benedicat me anima tua. Ad hæc pauefactus pater: Et quis est, inquit, qui uenatus est mihi,

Gen. 27. Rom. 8. Matth. 5. D

& intulit

A & intulit priusquàm tu introires? & benedixi illum, & benedictus est. Benedictus posterior populus Christianus, iam patri dicit: Dedisti lætitiam in corde meo, à fructu frumenti, uini, & olei sui multiplicati sunt. Maiori autem populo Iudæo pater dicit: Non accipiam de domo tua uitulos, neque de gregibus tuis hircos. Sacrificium enim laudis glorificabit me. Venit enim frater tuus cum dolo, & accepit benedictionem tuam. Quia igitur Iacob Deus dilexit, Esau autem odio habuit, propterea suppleto tempore, sacrificijs Iudæorum explosis, sacrificium mundum, ut prædictum est, offerri nomini eius omnis nunc populus Christianus agnoscit, qui per gratiam Iudæo & primatum & benedictionem abstulit. De isto enim dictum est: Eris dominus fratris tui. Cæterùm in illis geminis non prouenit. Minor enim & munera maiori obtulit, & famulum se esse professus, cum humilis adorauit: ut res, quæ tunc signata est per literam, nobis nunc manifestaretur in gratia.

Psal. 4.
Psal. 49.
Malach. 1.
Rom. 9.
Gene. 33.

Promißio: In Esau ex cuius semine Iob, & Christus in gentibus per fidem.

In Genesi credita & uisa. Promissa præmia uirtuti, & patientiæ.

CAP. XXII.

EX semine Esau Idumęa gens, in qua inter cæteros duces, Iob ille fortissimus athleta Dei enituit, in exemplum omnis patiētiæ productus, B ut agonistico certamine principem totius militiæ diabolum superaret, fultus auxilio Dei. Vir nanque cū esset iustus, ac sine querela Deo, eumque in confusione diaboli qualis esset, Deus ostendere dignaretur: Animaduertisti, inquit Deus diabolo, ad puerū meum Iob? nō enim est similis illi quisquā in terris. Et diabolus: Nunquid Iob, ait, gratis colit Deū? non'ne tu benedixisti domum eius, & pecora eius multiplicasti? Sed mitte manū tuam, & tange omnia quæ habet, & scies an in facie benedicat tibi. Ecce, inquit Deus, omnia quæcunque habet in tuas manus do: sed ipsum caue ne tangas. Fit grande certamen. Perfidus apostaticusque angelus, fidelem Dei famulum insectatur: atque, ut illi est plena à se ipso procreata malitia, uastat, fugat, disperditque omnia innocentis: & cum omni hæreditate, omnē simul cōsumpsit hæredem. Tot tamen iaculis emisis, illæsus manet Iob: cuius, ut militis Dei, uno ictu percutitur diabolus. Nudus exij, inquit, de utero matris meæ: nudus reuertar in terram. Dominus dedit, & dominus abstulit: sicut domino placuit, ita factum est. Sit nomen domini benedictum. Hoc superatus certamine, aliud maius inimicus indicit. Mitte, inqt Deo, manū tuam & tange carnes illius, & ossa, & scies an in facie benedicat tibi. Mitte manum tuam, nihil est aliud quàm, da potestatē. Hanc enim nec in porcis habuit diabolus, nisi ille dedisset, qui sub hac autoritate & Iob ei tradidit, ut præcepti non excederet modū. Ecce, inquit Deus, trado tibi illum: tantū animā illius custodi. Quem percussum graui uulnere, putrefacta totius corporis cōpagine, omnibus artubus solutis, sanie profluente,

Gene. 36.
Iob 1.
Iob 2.
Matth. 8.

ebullientibus uermibus, dum incorrupto corpore integer animus cõsiste- C
ret, sentiretq; diabolus intrinsecus fortem, quem forinsecus debilem æsti-
mabat: mulierem uiro suo illo articulo, quam sibi necessariã dimiserat, ar-
mat: atq; per uxorem fortissimũ uirum suo pulsat ex latere. Cum & mu-
lier uenenata iacula, quę ab inimico sumpserat, infunderet, ait inter cętera:
Dic aliquod uerbũ in domino, & morere. Statimq; ille ruinã primi homi-
nis recordatus, Euam nouã, atq; in illa illum inimicũ qui præliabatur ex-
pugnans, ait: Tanquã una ex insipientibus mulieribus locuta es. Si bona
accepimus de manu domini, mala quare non toleramus? His diuinis iacu-
lis prostratus inimicus, superatusq; per gratiã per hominẽ peruersus an-
gelus, & humilis patiẽtiæ pietas omnẽ molestiã superbiæ debellauit. Iam
enim per istum uirum potentẽ transitura CHRISTI uestigia in gentes
Psalm. 107. signabantur. De quibus Dauid ex persona eius dicit: In Idumęa extendã
calciamentũ meum. Iacobus quoq; apostolus, ad exemplũ patientiæ cre-
Iacob. 5. dentium corda confirmans, ait: Patientiã Iob audistis, & finem domini ui-
distis, quia misericors dominus & miserator est. Dupla enim præmia Iob
uictor accepit. Pugnantibus uerò suis, & sua gratia iuuante uincentibus
centupla hic se daturum dominus pollicetur, & uitam æternã in futuro se-
culo largiturũ. Quod in Valentiano Valentis fratre uidemus impletum:
qui dum pro Christo militiam tribunatus spreuit, huius mundi regnum
adeptus est, & uerus Christi confessor uitam acquisiuit æternam.

D

Promißio: In Iacob, cui per uisum Christus lapis angularis ostensus est.

In Genesi credita & uisa. Promissio figurata.

CAP. XXV.

Gene. 28. IAcob quoq; filius Isaac, nepos Abrahæ, per quasdã res secum mirabili-
ter gestas accepit promissionem. Fugiens enim fratris insidias, locum ei
mansionis præbuit solis uergentis excursus: illic lapidẽ capiti suppositũ,
talia sibi reuelata in somnio narrat. Scalam miræ granditatis, cuius caput
cœlum hactenus occuparet, ostensam: per quam angeli Dei ascendentes
& descendentes erant. Dominũ quoq; incumbere in ipsam, sibiq; dixisse:
Terram in qua dormis, tibi dabo eam & semini tuo post te. Qui euigilãs,
in sacramẽto lapidem quem ad caput habuit eminus erigẽs, eumq; liniens
oleo, CHRISTVM nobis lapidem angularẽ consecrauit. De quo Pro-
pheta dicit: Lapidem quem reprobauerũt ædificantes, hic factus est in ca-
Esa. 28. put anguli. Et Esaias: Ecce, inquit, pono in Sion lapidem angularem, ele-
Ioan. 1. ctum, pretiosum: & qui crediderit in illum, non confundetur. Hic lapis
angularis Christus Nathanaheli uenienti ad se, somnium quod Iacob ui-
Ephe. 4. derat exposuit: Videbitis, inquit, cœlos apertos, & angelos Dei ascenden-
tes & descendentes ad filium hominis. Qui enim descendit, Christus ipse
Matth. 7. est, & qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia. Scalam uerò
angustam uiam ponens, quæ ducit ad uitam.

Promissio:

A *Promissio: In ipsius Iacob claudicatione non credituros omnes Iudæos.*

In Genesi credita & uisa. Promissio facta & figurata.

CAP. XXIIII.

IPsi quoque Iacob reuertenti de Mesopotamia cum uxoribus, filijs, famulisque suis angelus in uia occurrit: qui cum eo sacratam luctam gerens, & angelus ab homine superari se passus est, uictorque à uicto exegit benedictionem: Non te, inquit, dimittam, nisi benedixeris me. Dixitque ei angelus: Quod tibi nomen est? At ille ait, Iacob. Iam, inquit, non uocaberis Iacob, sed erit Israël nomen tuum: quia præualuisti cum Deo, & cum hominibus potens eris. Tetigitque angelus latitudinem femoris eius, claudusque effectus est Iacob p omnes dies. Claudicatio ista quæ ex femore eius facta est, populum ipsum Hebræum significat claudicantem. Quibus ait Helias propheta: Quid claudicatis ambobus inguinibus? si Deus est, ite post illum. Et Dauid dicit: Filij alieni inueterauerunt, & claudicauerunt à semitis suis. Quod recto itinere ex illo populo, uiam CHRISTUM sequi non uoluit, claudicans per errores uarijs semitis aberrauit: quem uidens Deū (quod Israël appellatur) per gratiā Christianus populus apprehēdit. 3.Reg.18. Psalm.17.

Promissio: In filijs Iacob, & in Ioseph, qui gessit figuram Christi.

In Genesi credita & uisa. Promissio facta & figurata.

B CAP. XXV.

DVodecim filios, quos duodecim patriarchas scriptura testatur, ex suis fœminis suscepit Iacob. Non quòd liberet sanctos uiros plurimas habere mulieres concupiscentiæ scilicet causa: sed quòd gratia multiplicandæ prolis, daret Deus licentiam, qui & unam permisit, & postea aliquando prohibuit. Nam cum in lege dixerit: Maledictus homo, qui non suscitauerit semen in Israël: per Salomonem autem prophetam huic licentiæ terminum dedit. Tempus, ait, mittendi lapides, & tempus colligendi lapides. Tempus amplectendi, & tempus continendi ab amplexu. In his igitur duodecim patriarchis Iudas dictus est, ex quo Iudæi. Ioseph & Beniamin germani, ex patre Iacob, & ex matre Rachel: quorum actio omnis CHRISTUM sonat & ecclesiam. Dictum est enim, Iacob diligebat Ioseph. Dicit & Deus pater de filio: Hic est filius meus dilectus, in quo bene complacui. Fecit, inquit, Iacob Ioseph tunicam uariam. Dicitur & huic nostro Ioseph Christo: Adstetit regina à dextris tuis in uestitu deaurato, circumamicta uarietate. Somniauit Ioseph somnium, narrauitque fratribus suis. Putabam nos, ait, ligare gremia in campo. Surrexit gremium meum & erectum est: Conuersa autem gremia uestra adorauerunt gremium meum. Hoc in Christo futurum, idem Iacob ostendit in benedictione, quam à patre acceperat Iudas dicente: Adorabunt te filij patris tui. Hi enim dicunt: Venite adoremus & prosternamur ei, qui iam dicunt: Pater noster qui es in cœlis. Et ipse in Euangelio: Cum exaltatus

Gene.35. Eccle.3. Gene.37. Matth.3. Psalm.44. Gene.37. Gene.27. Gene.49. Psalm.94. Matth.6. Ioan.12.

exaltatus fuero à terra, traham omnia, ait, ad me ipsum. Rursum alia sa- C
Gene.37. cramenta uidet in somnio, & hæc suis fratribus indicauit. Quasi sol, in-
quit, & luna & undecim stellæ adorabant me. Dicitur & de nostro Ioseph
Psalm.ultimo. Christo domino per prophetam: Laudate eum sol & luna, laudate eum
Psalm.143. omnes stellæ & lumen. Et: Cœli enarrant gloriam Dei. Et Abacuc: Ele-
uatus est, inquit, sol, & luna stetit in ordine suo. Luna ex decedentibus ac
succedentibus mortalibus constans ecclesia, posteaquã sol Christus exal-
tatus est, resurgens ordine integro: hæc stetit in fide, fulgentibus stellis ei
qui numerat eas. Discipulis enim suis, quorum nullus est numerus, ait: Lu
ceant opera uestra sicut luminaria in mundo.

Promißio: In eodem, qui ut Christus dominus missus est ad uisitandas oues.

In Genesi credita & uisa. Præfigurata promißio.

CAP. XXVI.

Gene.37. Mittitur Ioseph à patre ad uisitandos fratres suos, & oues. Dicit & no
Matth.15. ster Ioseph CHRISTVS dominus: Non sum missus nisi ad oues
quæ periere domus Israël. Dictum est: Oderunt Ioseph fratres eius, pro-
pter somnia eius. Clamat & hic noster Ioseph Christus de Iudæis fratri-
Psalm.34. bus: Quoniam odio habuerunt me gratis. Viso Ioseph fratres eius dixe-
Ioan.15. re: Ecce somniator ille uenit, uenite occidamus illum, & uideamus quæ
erunt somnia ipsius. Et apud Salomonem de nostro Ioseph impios di- D
Sapien.2. xisse refertur: Venite occidamus iustum, quoniam insuauis est nobis. Et
sequitur: Promittit scientiam Dei se habere, & filium Dei se nominat.
Videamus si sermones illius ueri sunt, & tentemus an succedant quæ uen-
tura sunt illi. Hæc quoque in Euangelio ipse confirmat de filio, qui ad
Matth.21. cultores uineæ missus est, quo modo dixerint: Hic est hæres: uenite occi-
damus illum, & nostra erit hæreditas. Accipientes Ioseph fratres eius,
expoliauerunt illum tunicam illam uariam, & misêre illum in lacum.
Psalm.87. Hoc & noster Ioseph de sua paßione per Prophetam dicit: Proiecere me,
inquit, in lacum exteriorem, in tenebris & umbra mortis. Tunicam
Matth.27. uerò expoliatam desuper contextam, Euangelica autoritas narrat: quam
Luce 23. etiam milites diuidere noluerunt, unitatem ecclesiæ firmantes, à cuius
Ioan.19. Psalm.21. sorte excluduntur hæretici, quoniam sorte prouenit, ut eam unus, id est,
unitas, poßideret. Accipientes, inquit, hœdum de capris fratres Ioseph,
inquinauerunt tunicam eius sanguine, quam patri sub falsa testatione
proferunt, quòd bestia nequam comedisset illum. Tria illa genera sacri-
ficiorum, quæ Abraham obtulit mutato ordine, omne suum tempus ob-
seruat. Pro Isaac aries: pro Ioseph, hœdus ex capris: pro filio perdito re-
deunte ad patrem, ex iuuenco uitulus saginatus occiditur. Venite, in-
quit unus ex fratribus, uenundemus Ioseph, & non occidamus illum.
Hoc & Iudæi de Christo, quem uenditum tradiderunt Pilato ad necem,
Ioan.18. dixerunt: Nobis non licet interficere quenquam. Et uendiderunt Ioseph
fratres

A fratres eius Ismahelitis negotiatoribus euntibus in Aegyptum uiginti aureis. Venditum autem nostrum Ioseph Christum, Zacharias & Hieremias prophetæ testantur. Dederunt, inquit, pretium adpretianti triginta aureos. Quod etiam Iudam à Iudæis accepisse Euangelia narrant, ea ratione, qua distractus CHRISTVS à Iudæis transiret ad gentes. Iudas enim simul cum pretio & uitam perdidit. Iudæi & pretium & Christum, quem comparauerant amiserunt. Gentes uerò lucrum gratiæ posidendo possessæ sunt. Zach. 11.

Prædictio in eodem, quo castitas patiendo muneratur.

In Genesi credita & uisa. Promissio facta & figurata, qua afflictus non deseritur Ioseph.

CAP. XXVII.

ISmahelitæ uendiderunt Ioseph in Aegypto cuidam præposito coquorum Pharaonis. Ne hoc quidem uacat, quod dictum est, Præposito coquorum. Coco enim illa rubra uestis passionis CHRISTI signatur, qua posterior populus Christianus, ut sæpe dictum est, primatum auferat populo qui semper uendere, nec nouit Christum gratia comparare. Fuit dictum: Dominus est cum Ioseph. Et noster dicit: Non sum solus, quia mecum est qui misit me pater. Immisit uxor domini eius oculos in Ioseph, & ait illi: Dormi mecum. Cumque ille resisteret, gratiam quam apud suum dominum inuenerat narrans, & sancto timore Dei, quo plenus erat, metuens offendere, aliud opportunum tempus mulier auscultans, attraxit illum à uestimentis, dicens: Veni dormi mecum. At ille relinquens uestimẽta sua in manibus eius, fugit & exijt foras. Cumque eius dominus, suus maritus, aduenisset (notum quid furens fœmina posit) mentita est iniquitas sibi, falsa pro ueris affirmat, uiolentiã se dicit perpessam fuisse, quã fecerat. O impudica mulier, ardet amans, uulnus alit uenis, & cæco carpitur igni. Amat & persequitur: Concupiscit & sæuit: Et quia ei ad stuprũ non consentit, trucidandũ eum statuit, quęritque perire quem diligit. Hanc impudicã mulierem Aegyptiã impiæ idololatriæ merito comparauerim. Immisit enim & hæc oculos in Ioseph nostrũ, uidit speciosum forma præ filijs hominum, eumque ad illicitum consensum à uestimentis suis attraxit. Quæ sunt uestimẽta nostri Ioseph Christi, nisi sancti martyres? de quibus per Esaiam prophetã suo corpori ecclesiæ dicit: Viuo ego, dicit dominus, quia omnibus illis uestieris. Et in Cãticis canticorum: Quam rubicũda sunt tibi uestimẽta. Et Iacob benedictione prophetica. Lauabit, inquit, in uino stolam suam, & uestem suam in sanguine uuæ. Cum igitur attrahuntur Christiani ut sacrificẽt idolis in anima fornicentur, quid aliud quàm in suis uestimẽtis Christus attrahitur? Teneãtur Christiani, dicit impia impudicaque doctrina, aut cõsentiant, aut eis carceres, exilia, gladij, ignes, bestiæ, cæteraque supplicia præparẽtur. In his noster Ioseph Christus à uestimẽtis attrahitur. Cùm uerò suis dicit, Nolite timere eos qui corpus occidũt, eique respõdent: Propter te morte afficiũtur tota die, reliquit uestimenta sua in manib

Margin notes: Gene. 17. Gene. 19. Ioan. 16. B Psalm. 44. Esa. 49. Cantic. 5. Gene. 49. Matth. 10. Psal. 43. & Rom. 8.

manibus eius. Quod uerò dictum est: Fugit & exiit foras, relinquens ue- C
Psal.123. stimenta sua: animam liberatam ostendit, quæ clamat per Dauid: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo uenantium.

Promißio: In eodem Ioseph, quia Christi paßio figuratur.

In Genesi credita & uisa. Promissa CHRISTI passio per figuras.

CAP. XXVIII.

Gene.39. Esa.53. TRaditur Ioseph in carcerem. Noster Ioseph CHRISTVS, ut Esaias dicit, Inter iniquos deputatus est. Inter sontes insontem Dei sapientia dum gubernat, quæ descendit cum illo, ut scriptum est, in foueam, in uinculis non dereliquit illum. Exclamat hic noster Ioseph Christus: Factus
Psalm.87. sum sicut sine adiutorio inter mortuos liber. Quod uerò sequitur, gratiã, qua plenus erat, inuenisse apud præpositum carceris, uniuersasq; claues, totamq; custodiam traditam fuisse manibus Ioseph: illud intelligendum fuit, ut cui cœlum in sole, stellis, ac luna, & in manipulis terra, inferna
Philipp.2. quoq; carceris subderentur: ut nostro Ioseph Christo omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Neque illud à sacramento dominicæ passionis esse æstimo alienum, quòd duo Pharaonis spadones,
Gene.40. cum eo in illa passione detrusi sunt: ut trium crucifixorum quodammodo numerus suppleretur. E quibus noster Ioseph Christus reuelãdo mysteria, unum puniret per debitum supplicium, alterum per indebitam gratiam liberaret. Hæ sacratæ actiones tunc in rebus actæ sunt figuratis, D
ut nobis reuelanda omnia seruarentur.

Promißio: In eodem Ioseph Christi resurrectio est figurata.

In Genesi credita & uisa. Promissa resurrectio figurata.

CAP. XXIX.

POst duos annos dierum, tertio incipiente, de carcere educitur Ioseph. Et noster Ioseph CHRISTVS dominus die tertio à mortuis resurrexit. Præsentatur Pharaoni: mundo resurrectio declaratur. Exponit Ioseph Pharaoni somnia, ac futuræ famis arcendæ gratia ex abundantia annorũ septem per sapienteuirum condi debere frumẽta, & impleri horrea salubri consilio instruit. Et noster Ioseph Christus dominus mundo
Ioan.12. per septenariũ numerũ currenti in finem tale consilium dedit: Nisi enim, ait, granum tritici cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet.
Psalm.125. Si autem mortuum fuerit, multùm fructus afferet. Quia qui seminant in lachrymis, in gaudio metent. Data est Ioseph à Pharaone in tota Aegypto potestas. Et noster Ioseph Christus dominus post resurrectionem di-
Matth.28. cit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Misit Ioseph suos per totam Aegyptum, & collegit frumentum multum quasi arenam maris. Et noster Ioseph Christus dominus misit suos per mundum, dicens: Ite, baptizate gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti. Et collectus est credentium numerus sine numero, quasi arena maris. Constituit Io-

seph horr

A ſeph horrea per uniuerſam Aegyptum, & per totum mundum CHRI-
STVS dominus conſecrauit eccleſias, de quo Ioannes dicit. Frumēta re- Luc. 3.
condit in horreo. Aperuit Ioſeph horrea tempore famis, & miniſtrabat
populis. Hoc & de noſtro dictum eſt: Oculi domini ſuper iuſtos. Et ſequi- Pſal. 33.
tur: Vt eruat à morte animas eorum, & paſcat eos in fame. Famem uerò
animæ, Amos propheta oſtendit: Dabo eis, ait dominus, famem: non pa- Amos 8.
nis & aquæ, ſed famem audiendi uerbum Dei. Et in Euangelio ipſe domi-
nus: Quia abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. In hac fa- Matth. 24.
me poſitis, noſter Ioſeph Chriſtus dominus ex horreis ſuis nobis diui-
nam ſui corporis annonam adminiſtrat, quam guſtantes, uidemus quàm
ſuauis eſt dn̄s. Dictum eſt, quod acquiſierit Ioſeph Pharaoni totam Aegy- Pſal. 33.
ptum. Et de noſtro dicitur: Deus erat in Chriſto mundum recōciliās ſibi. 2. Cor. 5.

Promiſsio: In eodem Ioſeph, qui ut Chriſtus dominus ſuos dilexit inimicos.

In Geneſi credita & uiſa. Promiſſa ſublimas eis qui beneſecerunt inimicis.

CAP. XXX.

VEnerunt in Aegyptum, fame compulſi, fratres Ioſeph, ab eo quē uen- Gen. 42.
diderant ſub pretio, comparare frumenta. Venerunt & ad noſtrum
Ioſeph CHRISTVM dominum, qui eum crucifixerunt, ut eius refecti
B cibario famem, qua eorum animæ uexabantur, auferrent. Adorant illi,
adorant iſti. Videns Ioſeph fratres ſuos, agnouit eos: ipſi uerò nō cogno-
uerunt illum. Hoc & in noſtro impletum eſt, quòd ſui fratres non cogno-
uerunt illum. Si enim eum cognouiſſent, nunquàm dominum glorię cru- 1. Cor. 2.
cifixiſſent. Alienatus eſt Ioſeph à fratribus ſuis, eiſq; per interpretem di-
xit: Exploratores eſtis, conſiderare ueſtigia huius terræ ueniſtis. Hoc &
noſter Ioſeph Chriſtus dominus per interpretem Petrum ait perſecutori-
bus: Vos ſanctum & iuſtum negaſtis, & principem uitæ æternę interemi- Act. 2. & 3.
ſtis. Pœnitent fratres Ioſeph ex his quæ geſſerunt. Dicitur his: Pœnite-
mini. Dicunt illi: In peccato ſumus de fratre noſtro. Et Ruben illis: Non
dixi uobis, nolite uexare puerum? & non me audiſtis. Ecce ſanguis eius
exquiritur. Et Iudæi qui Pilato dixerant, Sanguis eius ſuper nos, & ſu- Matth. 27.
per filios noſtros. Dicunt apoſtolis: Quid faciemus uiri fratres, mon- Act. 2.
ſtrate nobis. Vt exploratores non eſſe crederentur fratres Ioſeph duode-
cim, ſed filios unius patris eſſe: teſtantur unum non eſſe, cum ipſe eſſet
cui iſta narrabant. Alium minorem apud patrem eſſe confirmant. Au-
diens Ioſeph germani ſui factam mentionem, eius deſiderio inardeſcens,
In hoc, inquit, probabo exploratores uos non eſſe, ſi frater ueſter iunior
uenerit uobiſcum. Accipiensq; Symeonem ab eis uinxit coram ipſis, tra-
diditq; in cuſtodiam. Si noſtrum Beniamin iuniorem fratrem, quem re-
quirit Ioſeph noſter Chriſtus, aduertas: ipſe eſt ille Paulus ex Saulo, ex Philip. 3.
tribu, ut ipſe dicit, Beniamin, qui ſe aſſerit minimum apoſtolorum. Sy- Act. 13. 1. Cor. 15.

meonem ligatum tribus uinculis negationis, quem timor ligauit, & amor C
soluit, possemus accipere Petrum. Sed melius per ipsum ligari & solui
peccata cognoscimus, cui dictum est: Quæcunque ligaueris super ter-
Matth. 16. ram, ligata erunt & in cœlo: & quæ solueris super terram, soluta erunt
& in cœlo.

Promissio: In eodem Ioseph figuratæ gratiæ.

In Genesi credita & uisa. Promissio facta & figurata.

CAP. XXXI.

Gen. 42. IVssit Ioseph fratrum suorum saccos impleri frumento, & reddi uni-
cuique pretium quod attulerant: ut gratia nostri CHRISTI nō esset
Rom. 11. ex operibus: alioqui gratia iam non esset gratia. Secundo fratres Ioseph
Gen. 43. cum Beniamin ueniunt, ut promiserant. Secundo ex Iudæis tria milia ue-
Act. 2. niunt ad Christum, subsequente minimo apostolorum Paulo. Vidit Io-
seph Beniamin fratrem suum ex una matre, & lachrymatus est. Vidit
IESVS Paulum sæuientem in ecclesiam matrem, & miseratus est. Idem
1. Cor. 15. enim Paulus tanquam abortiuo sibi dicit apparuisse Iesum. Beniamin au-
tem eo exitio natus est, ut matrem præcipitaret in mortem. Vnde filius
1. Cor. 15. doloris dictus est. Dicit & Beniamin Paulus noster: Non sum dignus
uocari apostolus, quia persecutus sum ecclesiam Dei. Dixit Ioseph præ-
posito domus suæ de fratribus suis, Introduc istos in domum, mecum
enim manducabūt panem. Dicit & noster per prophetam fratribus suis,
Prouerb. 9. Venite edite de meis panibus, & bibite uinum quod miscui uobis. Mu- D
nera dedit Ioseph fratribus suis. Et noster Ioseph Christus dedit dona ho-
Psal. 67. minibus, cum sanctum spiritum dedit hominibus suis. Beniamin autem
Gen. 45. minori fratri ampliora Ioseph dedit, quàm fratribus, munera. Hoc præ-
1. Cor. 15. dicat & Beniamin Paulus noster: Plus, inquit, omnibus illis laboraui:
Gen. 44. non ego autem, sed gratia Dei mecum. Rursum iubet Ioseph saccos fra-
Ioan. 1. trum suorum impleri frumentis, & reddi pretia. Hoc & fratres nostri
Ioseph clamant, accepisse gratiam pro gratia. Poculum suum Ioseph in
sacco Beniamin clàm iussit immitti: quod requisitum, cum fratres per-
turbaret suos, inuentum est poculum in sacco Beniamin. Calix passio-
nis Christi datus occulte per gratiā in corpore Pauli cognoscitur, quem
prædicans, cum omnem synagogam perturbaret in dictis, inuentum etiā
Gal. 6. in suo sacco ipse fatetur, cum dicit: Ego enim stigmata domini nostri Iesu
Christi in corpore meo porto. Cum autem iam uellet cognosci Ioseph à
Gen. 45. fratribus suis, emisit uocem, dicens: Ego sum Ioseph frater uester. Ad-
huc pater meus uiuit? Et noster Ioseph Christus, ut se ostenderet fratri-
Psal. 21. bus suis, dixit in Psalmis: Annuntiabo nomē tuum fratribus meis, quos
Matth. 6. docuit dicere: Pater noster qui es in cœlis. Dixit Ioseph fratribus suis,
Nolite metuere, non uos huc me misistis, sed Deus. Dicit & de nostro
Ioannes apostolus: Ad hoc enim misit Deus filium suum in mundum, ut
Ioan. 3. uiuamus per eum. Et ipse in Euangelio: Sic scriptum est, ait, & sic oporte-
Luc. 24. bat

A bat pati Christum, & introire in gloriam suam.

Promissio: Descensionis Iacob in Aegyptum, & Christi domini in mundum.

In Genesi credita & uisa. Promissio facta & figurata.

CAP. XXXII.

IVbetur Iacob uisitatus in Luza descendere in Aegyptum: apparuit illi Deus dicens: Ne timeas descendere in Aegyptum: in gentem enim magnam constituam te illic, & filius tuus Ioseph ponet digitos suos super oculos tuos. Descendit autem Iacob in Aegyptum cum animabus septuaginta quinque, occurritq́ illi Ioseph filius suus, quem cum uidisset: Video te fili, amodo libenter moriar. Quiddam subsimile in nostro Ioseph reperitur. Cum enim uenerabilis ille senex Symeon pater aetate, non generatione uidisset CHRISTVM, cuius ex causa in hac luce, uelut in Aegypto, decrepitus tenebatur: Nunc, inquit, dimittis seruum tuum domine, secundum uerbum tuum in pace: Quia uiderunt oculi mei salutare tuum. In animarum numero septuaginta quinque descendit. Dauiticus etiam Psalmus exclamat: Notus in Iudęa Deus, in Israël magnum nomen eius. Quia igitur Israël uidens Deum interpretatur, omnis illuminatus gratia Iudaeus & Graecus, necesse est ut ex hac Aegyptia seruitute liberetur, tametsi duro iugo diaboli deprimitur Pharaonis. Creuit, dicit liber Exodi, plebs, & multiplicata est in Aegypto. Hoc fit per fidem seminis Abrahae: ut in Christo multiplicetur, sicut promissum est, tanquam arena maris. Licet Pharao diabolus saeuiens poenas exquirat, quibus interficiat innocentes, necandos in fluuio, quod multiplicari uidet, minuendos arbitrans, ne populus augeatur. Augetur Dei iussu moriendo populus, frustrata potentia saeuientis: quod etiam nostris prouenit martyribus, & maxime paruulis, qui pro Christo ab Herode occisi, preciosa grana dum sata sunt, fidei seges multa surrexit ecclesiae.

Gen. 46. Luc. 2. Psal. 75. B Exo. 1. Matth. 2.

Promissio: In Moyse, qui personam habuit mediatoris Christi domini.

In Genesi credita & uisa, Promissio facta & figurata mediatoris.

CAP. XXXIII.

IN illo tempore natus est Moyses, & erat acceptus Deo, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui. Et hi tres menses tribus saepe dictis temporibus respondent. Cumq́ eum amplius celare non possent, accepit mater eius capsam, liniitq́ à foris bitumine, & misit infantem in eam, proiecitq́ in amnem. Figurae succedunt figuris, dum tamen omnes actiones CHRISTVM ecclesiamq́ significent. Tria quaedam etiam in isto Moyse acta nostro mediatori comparanda reperiuntur, futurum scilicet in carne sacerdotem, aquam fluminis in baptismo, lignum etiam quo pe-

Leuit. 2.

pendit in cruce. Descendēs filia Pharaonis lauari in flumine, cuius noster C
Moyses per lignum consecrauerat aquas, agnouit quod de infantibus
Hebræorum esset. Eumq; suscipiens educauit ut filium. Dum descende-
ret ad CHRISTVM doctrina huius mundi, abluta spiritali unda, de-
posuit superbiam: suscipiensq; quasi grandis paruum per humilem gra-
tiam ecclesiæ sociata personæ, quæ filia Christi efficitur mater. Propter
Psal. 44. quod scriptum est. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Sic dum erudien-
dum suscipit, eruditur. Stulta enim mundi elegit Deus, per quæ sapien-
1. Cor. 21. tiam mundi euacuet. Omnis etenim philosophia Christianæ cessit doctri-
næ, quam utiliter expugnans, inimicorum iaculis destruxit inimicos. Si-
cut Moyses ab Aegyptijs eruditus, illico expugnauit Aegyptios, ut in ru-
bro mari tanquam in baptismo, omnis superbia mergeretur. Per Moy-
Exo. 14. sem filij Israel ab Aegyptijs, & per Christum à spiritibus immundis ani-
mæ liberantur. Adultus factus Moyses, uidit quendam Aegyptium in-
Exo. 2. iuriam facientem cuidam ex gente sua, quem uindicauit, ac defensionem
dedit, mactando Aegyptium, eumq; obruit in arena. Hoc agit & Moy-
ses noster mediator Christus eruens animas de potestate tenebrarum in
illa multitudine spiritalis seminis Abrahæ, quæ creuit ut arena maris.
Mar. 1. Obruit Aegyptium, dum clamant dæmonia expulsa: Quid nobis & tibi
Iesu fili Dauid? uenisti ante tempus perdere nos?

Prædictio: In eodem Moyse, qui ut Christus pacem intulit iurgantibus. D

Prædictio facta & figurata, qua cum his, qui oderunt pacem, iubemur esse pacifici.

CAP. XXXIIII.

Gen. 2. Vidit Moyses alia die secum Hebræos altercantes, cœpitq; eos com-
ponere ad pacem, dicens: Viri fratres, ut quid alterutrum nocetis?
Dixitq; ille qui alteri iniuriam faciebat: Quis te statuit iudicem, uel prin-
cipem nobis? Nunquid & me uis occidere, quemadmodum occidisti he-
sterna die Aegyptium? Et noster Moyses mediator CHRISTVS cla-
Psal. 119. mat per Dauid: Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loque-
Psal. 47. bar illis, impugnabant me gratis. Et alibi: Retribuebant mihi mala pro
bonis. Fugit Moyses in illo sermone, & factus est transfuga in terra Ma-
Psal. 54. dian. Dicit & noster: Ecce elongaui fugiens, & mansi in eremo. Accepit
Moyses uxorem filiam Iethri sacerdotis Madian, ut nostrum mediato-
rem ex alienigenis sumpsisse coniugem signaret ecclesiam. Pascebat, di-
Exo. 3. ctum est, Moyses oues Iethri soceri sui in eremo. Et noster mediator Chri
Ioan. 10. stus pascens oues dicit: Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus
suis. Terribili uisione motus Moyses, pergit uidere cur ignis in mon-
tem descenderat, rubum minime concremaret. Noster Moyses testatur
ignem se uenisse mittere in terram, quem utiliter uult amplius inflamma-
Luc. 12. ri. Ipse enim dicit: Ego sum ignis, uitia, non homines consumens. Vo-
catus

A catus Moyses dum pergit in montem conscendere, dicitur ei: Solue calciamenta de pedibus tuis, ut sint liberi & speciosi pedes mediatoris annuntiantis bona. Iubetur Moyses pergere ad filios Israël, & ad Pharaonem regem Aegypti, ut populum Dei (quorum clamor duræ seruitutis ascenderat) dimitteret ex terra sua, mediationemque futuram susciperet. Per Matthęum dicit noster mediator: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël. Excusat Moyses, quod sit impeditus lingua & gracili uoce. Dicit & noster Iudæis: Sermo meus non capit in uobis. Rursum instanti Deo ut pergeret, omni ex parte excusat Moyses dicens: Domine prouide aliũ, quẽ mittas: ut uox mediatoris nostri, īfirmitatis humanæ susceptę signaretur dicẽtis: Pater si fieri potest, transeat à me calix iste. Dicitur Moysi, ut sibi societ Aaron fratrem suum, ipseque ad Deum agenda suscipiat, ille ad populum. Et quæ signa & prodigia in manu & in uirga traduntur. Dicitur & nostro mediatori: Dabo tibi gentes hæreditatem, & possessionem tuam fines terræ: reges eos in uirga ferrea. Paulum uerò electum qui loqueretur ad populum; per Aaron significatum possumus intelligere: de quo mediator noster in Deum, ipse ostendit Ananiæ dicens: Vas est mihi electionis homo iste, ut ferat nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Israël. Sic enim Moyses & Aaron Hebræo populo prædicantes, missos se à Deo, ut eos ex Aegypto eruerent, firmauerunt: quos audiens populus ingeniculans adorauit: quibus & signa facientibus credidit. Prædicante uerò Paulo gentibus ac Iudæis, salutem animarum per CHRISTVM fiducialiter promittente, signa dum faceret, ad agnitionem Dei populum mira celeritate conuertit, ipsosque reges ex futuro Dei iudicio eruit.

Deut. 4. *Esa. 52. & Rom. 10.* *Ioan. 8.* *Matth. 26.* *Psal. 2.* *Act. 9.* *Exo. 14.* (B)

Prædictio: In eodem Moyse, qui ut Christus dominus diabolum interfecit.

In Exodo credita & uisa. Prædictio facta & figurata, qua diabolus à Dei ministris expugnatus.

CAP. XXXV.

INgressi itaque Moyses & Aaron ad Pharaonem, non tantum iussione diuina uerba quæ audierunt narrauerunt, quantum signa quæ data fuerant exhibentes. Virga, quam manu Moyses portabat, coram Pharaone proiecta, effecta est serpens. Magi quoque Pharaonis, ut diuina potentia superarentur, talia signa facere permissi, proijcientes uirgas suas, etiam ipsæ serpentum species ostenderunt, uorauitque serpens Moysi, magorum serpentes: ut nostri ducis CHRISTI uirga doctrinæ omnium paganorum hæreticorumque dogmata, diuina uirtute consumpsit. Non tantum hac actione figurata signarent, quantum etiam prophetæ Dauid præconia resonarent dicentis: Virgam uirtutis tuæ emittet dominus ex Sion, dominare in medio inimicorũ tuorum. Aliud signum Moyses coram populo ostentat, in sinum suum manum mittẽs, eamque pro-

Exo. 5. *Exo. 7.* *Psal. 109.*

ducta uix effecta est: rursum reducta productaque, restituta est in colore C
Psal. 34. suo. In sinu signatur oratio pro peccato, dicente Dauid: Oratio mea in sinum meum conuertebatur. Quod uero manus de sinu producta niuem demonstrauit, significauit mediatoris CHRISTI domini fusa oratione
Esa. 1. pro nobis, nostra etiam peccata purgari. Sic per Esaiam ipse ostendit: Si fuerint peccata uestra ut coccinũ, ut niuem dealbabo. Et quæ cantat eccle-
Psal. 50. sia: Lauabis me, & super niuẽ dealbabor. Aduocatũ enim habemus apud
1. Ioan. 2. patrem, Iesum Christum dominũ, & ipse est exoratio pro delictis nostris.

Prædictio: In eodem, cum flagris, ut Pharao, cæditur diabolus.

Iam prædictæ plagę indurato Pharaoni, eiusque populo præsentatus, quibus iudicatus.

CAP. XXXVI.

Gen. 15. Sicut promissum est Abrahæ filios Israel, quos captiuos diu tenuerant, inuiti tandem aliquando dimittant. Mox quoque ipse Pharao digno exitio cum suis suppliciòque periturus dimisit. Decem sanè plagas illatas Aegypto, comparandas decem pręceptis quæ accepit populus in deserto,
Exod. 7. hac ratione domino adiuuante suscepimus demonstrare, qua sibimet respondentia comprobẽtur. Prima plaga Aegyptiorũ per Moysem, aquas fuisse in sanguine conuersas. Et primũ præceptum continet: Audi Israel.
Deut. 6. & Exo. 20. Ego sum dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Aegypti. Non erunt tibi dij præter me. Non facies tibi ullam similitudinem. Qui igitur relicto D uno uero Deo, dijs falsis seruiunt, in carne & sanguine uolutantur: & ca-
1. Cor. 15. ro & sanguis, regnum Dei nõ hæreditabũt. Corrupti enim mores elemẽtum aquæ corruptum habere meruerunt. Ideo aquæ in sanguinem mutã-
Psal. 105. tur, quia sacrificantes filios & filias suas dæmonijs, effuderunt sanguinem innocentem, puri liquoris fontem uerum Deum CHRISTVM repu-
Matth. 9. & Luc. 8. diãtes: cuius gratia ex fluxu sanguinis mulier sanata, animã ab idololatrię
Exo. 8. fluxu erutam demonstrauit. Secunda plaga Aegyptiorũ est, scaturiens ranarum multitudo, fœtido squalore omnẽ contaminans Aegyptum. Secundum quoque mandatum in lege est: Non accipies nomen domini tui in
Exo. 20. uanum. Non enim mundabit dominus talẽ. Omnis itaque hæreticus, periurus, sacrilegusque, dum aliud sonat lingua quàm nomen domini, fœtore
Psal. 11. disputationis suæ ranarũ in similitudinem clamitat contra Deum. Labia dolosa in corde, & corde loquuntur mala. Hæc immerito his animãtibus comparantur, qui in lacunar rebaptizatorũ cõfectas sordes non abluunt, sed potius cumulant delicta. Tertia plaga Aegyptiorum est, cynifes toto aẽre uibrãtes, morsu quoque pestifero medijs ęstibus infestãtes Aegyptios: in qua plaga omnis magorum doctrina defecit. Professique sunt digitum Dei esse in illa: ipsis quoque uexatis uacua inanisque eorum remansit astutia. Et tertium præceptum in lege est: Vacatio sabbati nisi fuerit obseruata, perituram animam de populo suo. Quam uacationẽ propheta Dauid,
Psal. 45. ex persona domini anuntiat dicens: Vacate & uidete quoniam ego sum Deus.

Hi igitur

A Hi igitur qui uotum uouentes ſeſe offerunt, Deo eiusq́ uerbo uacantes,
ſpiritale ſabbatum obſeruant: ut Maria quæ meliorem partem elegit. *Lucæ 10.*
A' quo declinantes in ſtrangulatione dum mundanis curis innodantur,
morſu peſtifero prædictæ plagæ læduntur in animam, redimẽdæ per du-
cem IESVM qui dominus eſt ſabbati. Quarta plaga Aegyptiorum, cyno- *Matth. 12.*
mia: caninæ ſcilicet muſcæ, ſecretis etiam membris pœnas morſibus infli-
gentes. Et quartum mandatũ in lege eſt: Honorandos eſſe parẽtes. Quod
primum ad homines refertur mandatum, quoniam ſuperiora diuinitati
uidentur aſcripta. Hi uerò qui non ea honeſtate uenerantur parentes, qua
mandatum eſt, canibus ſimiles rabiem ſuæ fœditatis exerentes, longè in
terra eſſe non poſſunt. Nec talibus ſanctum dandum dominus in Euan- *Matth. 7.*
gelio dicit: A' quorum conſortio Chananæa fide mundata humili pioq́ la
tratu, & ſibi gratiam & filiæ ſalutem nullis præcedentibus meritis impe- *Matth. 15.*
trauit. Quinta plaga Aegyptiorum eſt, omnium pecorum iumẽtorumq́ *Exod. 19.*
repentinus interitus. Et quintum mandatum legis eſt: Non occides. Non
igitur qui gladio tantum, uerum etiam qui odioſè uiuunt, homicidæ ſunt.
Dicit enim Ioannes apoſtolus: Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Ta- *1. Ioan. 3.*
les uelut Aegyptia animalia repentino impetu corruũt. Quia omnis homi
cida non habet in ſe uitam manentem. Sexta plaga Aegyptiorum eſt, ue-
ſicæ ebullientes, ulceraq́ manantia. Et ſextum mandatum legis eſt: Non
mœchaberis. Quid enim mœchi in anima patiuntur, compacta plaga de-
B monſtrat. Niſi enim ulcera peſsimi amoris ebulliensq́ libido rationem
animi perturbarent, adulter utique non eſſet: neque ut ſcriptum eſt, per
inopiam ſenſus perditionem animæ ſuæ acquireret. Et licet huiuſmodi *Prouerb. 6.*
puniantur etiam hic legibus humanis, fornicatores etiam & adulteros, *Hebr. 13.*
ut Paulus noſter dicit, iudicabit Deus. Septima plaga Aegyptiorum eſt,
grando cum igne permixta. Non tantum omne animal, quantum etiam
arbuſta ipſa uirgultaq́ ſubuertens. Septimumq́ mandatum eſt: Non fu-
raberis. Comparatio hæc eſt: fur parietibus domibusq́ infert alienis,
quod ſæuiens grando agit in campis: obnoxiusq́ eſt legi generali qua
dictum eſt: Quod tibi fieri non uis, alij ne feceris. Octaua plaga Aegy- *Tob. 4.*
ptiorum eſt, locuſtarum multitudo uexans omnia, radicitusq́ extermi- *Exod. 10.*
nans. Et mandatum octauum in lege eſt: Falſum teſtimonium non dicere
aduerſus proximum tuum. Falſarius enim multa uariaq́ confingens, ro-
dit ut locuſta famam, uitam, actusq́ alienos, donec totum aduerſus quem
falſa confingit, radicitus exterminet. Sed falſus teſtis non erit impunitus.
Nona plaga Aegyptiorum eſt, tenebræ denſiſsimæ plenæ imaginibus
terroribusq́ feralibus. Et nonum mandatum legis eſt: Non concupiſces
uxorem proximi tui. Quid deterius eſt concupiſcentia mala, quæ ita to-
tam excæcat mentem, ut non tantum timorem Dei, quantum etiam ipſas
pœnas legum infamemq́ mortem obliuioni dans, nihil in mœcho rema-
neat luminis, quod non totum occupent ferales tenebræ? Quos uerò
ex his gratia liberat, admonet & per Apoſtolum dicens: Fuiſtis enim ali- *Ephe. 5.*

quando tenebræ, nunc autem lux in domino, ficut filij lucis ambulate. C
Exod.11. Decima plaga Aegyptiorum est: Omnium primogenitorum mors. Et decimũ mandatum est in lege: Non concupisces ullam rem proximi tui. Primitiuam uerò esse concupiscentiã malam, Pharaoni diabolus, illud ostendit,
Esa.14. quòd & ipse concupiuit esse quod non erat. Et Adam qui cupiditatẽ præ
Gene.3. cipitauit in mortem. Vitia uerò angelorum eius, per quem mors introiuit in orbem terrarum, in primitiua Aegyptiorum in hoc mundo tanquã in Aegypto, dux noster interfecit: dum nos docet renũtiare diabolo, pompis, & angelis eius, ut ubi abundauit peccatum, superabundet gratia.

Promißio: Paschæ figuratæ, & transitus Christi ad patrem.

In Exodo credita & uisa. Promissio facta & figurata.

CAP. XXXVII.

Pascha, quod est transitus, in quo omnis actio fidei nostræ passionisq́;
Exod.12. dominicæ agitur sacramentum. Iubet Deus Moysi sic fieri, ut ab Aegyptijs Hebræi uasa aurea, & argentea, & uestem poscerent: quibus sublatis expoliarent Aegyptios cõmodantes, urgente necessitate primæ amissæ sobolis. Sibi quoq; dum metuunt ocyus Hebræos, cum uniuersis quæ de
Psalm.77. derunt, pepulerũt ut redderetur iustis, ait Propheta, merces laborum illo
& 104. rum. Duas enim Aegyptijs construxerunt ciuitates, pro quibus spolia
Sapien.10. illa non sunt furto ablata, sed merces est reddita. Transitus uerò ipse D
Exod.12. mysticus hic fuit, agnum sine macula anniculum iussione diuina per tabernacula occidendum, ac de eius sanguine postes domus liniendos, non comminuendo os ex illo, cum picridibus & azimis, succinctis lumbis in omni festinatione comedendum, nihil ex eo relinquendum in manè. Quæ omnia figurata dum fuerint, quomodo sint impleta, Euangelica autoritas narrat, quæ nobis carnes agni usque in manè quod uesperum non habebit, id est, usque in resurrectionem, comedendas præci
1.Cor.5. pit: Non in fermento ueteri, sed in azimis sinceritatis. Signatis sanè sanguine postibus, quorum in frontibus crux eius elucet. Cum picridibus
Matth.5. dictum est, amaram uitam lugendo agentibus. Sed beati, quia ipsi consolabuntur. Sanè expoliatos Aegyptios à nostris, hac ratione colligimus, quòd omnis mundialis scientia, qua inflati super ea superbiebant, moralisq́; sapientia transijt ad Christum, ut ea humilis recta fide posideat, populusq́; iure superbus amittat. Expulsi Hebræi per eremum ductitantur, quia omni Christiano renuntianti mundo, arcta illi angustaq́; neces
Matth.7. saria est uia, quæ ducit ad uitam. Huic populo columna nubis in die, &
Psalm.78. columna ignis per noctem iter ostendit: quoniam Christiani hominis
Hierem.10. gressus à domino diriguntur, & uias eius uolet. Vbi uerò populum eremus ac Rubri maris littus excepit, induratus Pharao ut totus cum suis periret, curribus equitibusq́; coniunctis secutus est fugientes. Hoc agit sæuiens diabolus cum uitijs angelisq́; suis, dum nostros à se fugientes

A gientes insequitur. Omnis enim qui his renunciat, ad baptismũ tanquam ad Rubrum mare festinans hostem fugit, ut saluator eum inueniat.

Promißio: In baptismo, ut in mari Rubro.

In Exodo credita & uisa. Promissio facta & figurata in baptismo.

CAP. XXXVIII.

Dixit dominus ad Moysem: Quid clamas ad me? dic filijs Israël & iungant se, & tu leua uirgam tuam super mare & diuide illud, & intrent filij Israël per medium mare per siccum. Ego enim indurabo cor Pharaonis & Aegyptiorum omnium, ut insequantur eos, & magnificabor in Pharaone & in omni exercitu eius. Cumq; id fieret, mare exequẽdo iudicium sui creatoris & regis sententiæ diuina iussa compleuit. Dein puniendo rebelles, innocuis uiam rescisis undis suspensoq; gurgite sicco puluere gradientibus præbuit. Reductaq; in sese unda hostes in ima demersit. En uindex aqua sacrata uerbo, rubrata sanguine, ligno crucis in mysterio uirgæ percussa, salutem ad saluatorem uenienti ministrauit. Peccata uerò cum autore diabolo, ut Aegyptios cum suo rege, in profundo detrusit. Hic est Deus noster, de quo Micheas dicit propheta: Ipse conuertetur, & miserebitur nostri: & demerget in profundũ maris omnia peccata nostra. Post dura exilia, post labores eremi, ac Rubri maris transitum, Dei populum B uictrix palma suscepit. Quamuis marath aqua amara fatigauerit sitientẽ, quæ ligno in eam misso dulcis effecta, ostendit sitientem Christianum statim ut amarum passionis poculum biberit, ligni & crucis dulcedine, omni amaritudine liberandum. Vnde & Paulus dicit: Mihi absit gloriari, nisi in cruce domini nostri IESV CHRISTI: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mũdo. Idem enim locus qui illi populo requiem præbuit in duodecim fontibus aquarum ex septuaginta palmarum arboribus, nostris in mysterijs sacratus fuit. Nanque post baptismum, duodecim apostolorum fontium fluenta puræ doctrinæ exuberant satiandis peccatoribus, quibus sacer Psalmus insonat: In ecclesijs benedicite dominum Deum de fontibus Israël. In septuaginta uerò arboribus palmarum omnis numerus sanctorum martyrum in milibus consignatur, qui pro ueritate usque ad mortem certantes, palmam supernæ uocationis accipiunt. Hos etiam Apocalypsis Ioannis apostoli designat dicens: Vidi turbam multam, quam dinumerare nullus hominum poterat, ex omni tribu, populo, & lingua. Et induti erant alba ueste, & palmæ fuerunt in manibus eorum, quas uincentibus illa palma sapientia dedit quæ exaltata est in Cades.

Exod.14. Mich.7. Gal.6. Psalm.67. Philipp.3. Apoc.7. Eccle.24.

Promißio: Panis cœlestis in manna, quod est Christus.

Promissa manna de cœlo.

CAP. XXXIX.

Consumptis

Exod.16. CONsumptis panibus quos secum attulerat ex Aegypto, panem à C
Moyse murmurãdo poposcit, carnes etiam desiderans Aegypti. Verum mediator ille Moyses panem eis & carnem ocyus à domino impetrauit. Iubetur populus manè panem, in uesperum carnes accipere. Sed hæc, figuræ nostræ fuerunt. Panem enim illum sanctum qui de cœlo descendit, suscepit primò populus manducandum, postea carnem CHRISTI
Ioan. 6. in passione confectam. De qua ipse dominus dicit: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, nõ habebitis uitam in uobis. Sanè sub certa diurna mensura, manna sanctus populus uescebatur. Quam si quis excederet, uermibus corruptum putrefactumq; projiciebat, auaritiæ atq; intemperantiæ suæ cupiditate frustratus. Tales doctor gentium Paulus expro-
1.Tim.6. brat dicens: Victum & tegmentum habentes, his contenti simus. Nam qui uolunt diuites fieri, incidunt in desideria multa stulta & noxia, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem. Hæc est putredo & hi uermes eorum, qui pereunte mũdo cupiunt suas augeri diuitias, nec sunt diurno pane contenti. Sed idem populus in deserto potandæ aquæ causa,
Exod.17. aduersus Moysem rursus murmurauit. Petenti Moysi à domino dictum est: Præcedam te, inquit, in Corep: & stabo super petram, & tu ueniens percuties petram, & exibit aqua, & bibet populus meus. Hoc factum est.
Psalm.77. Et Dauid testatur: Disrupit in deserto petrã, & potauit eos sicut in abysso multa. Quæ sit uerò hæc petra, Paulus exponit apostolus, omne quod
1. Cor. 10. tunc actum est in mysterio Christo domino assignans: Patres, inquit, nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transierunt, & omnes in Moysem baptizati in nube & in mari. Et omnes escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant enim de spiritali sequenti petra: petra autem erat CHRISTVS. Hæc petra etiam nos satians dicit: Qui biberit ex aqua quam ego dedero, non sitiet D
Ioan.4. unquam: sed fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Hæc petra percussa in cruce, sanguinẽ produxit & aquã, quibus sobriè inebriamur.

Promissio: In signo crucis expugnare inimicos.

In Exodo credita & uisa. Promissio figurata, qua omnes nostros aduersarios signo crucis expugnare præcipimur.

CAP. XL.

Exod.17. HVic populo, in quo omnis nostra figurata actio est, Amalech & omnis cum suo duce gens aduersa occurrit. Bellum rudi plebi indicẽs, quam à se credebat facile superandã. Conserta pugna aduersarij dum plurimùm præualerent, extendens Moyses manus ad Deum, crucifixi instar expressit. Quo signo cadentes hostes, dum manus Moysi inclinarentur, aduersarius fortior ueniebat. Vt autem manus Moysis stabiles fierent, Aaron & Vr sustentantibus manus eius, & quadam stabilitate firmantibus, cadens fugiensq; Amalech omnis extinctus est. Si nostri mediatoris
Psalm.140. hic respiciamus signum, cum per Dauid canentem recordemur: Eleuatio manuum

A manuū mearum sacrificiū uespertinū: Cuius in passione sol & luna habi- Matth. 27.
tum cursumq; mutauit, quis spiritus aduersarius, quæue inimica potestas
huic signo poterit obuiare? ac non potius aufugiat? si tamen spes pugnā- Coloss. 1.
tis ex manibus crucifixi pendeat, per quā quotidie eruimur de potestate tenebrarū. Nunc iam recurrētes omnes figuratas actiones temporis ante legem, cum omnia quę gesta sunt, ita ille populus promissa susceperit: ut ipse quoq; fide multò prospiciēs sibi credenda, posteris uidēda reliquerit. Quia igitur ad montē Sina per certas prædictiones promissionesq; perductus est populus, in quo Moyses legem à domino percipiens regendis tribubus iura cœlestia panderet: Vnde æstimo quòd ideo nuncupentur Iudæi, tanquā portātes uel sequētes ius Dei. Huc usq; tempus ante legem conclusum lector agnosce. Tanquam unum diem quatuor ex cardinibus mundi surgentem, patriarcharum scilicet procerum Abraham, Isaac, & Iacob, Orientis radio fulgente Melchisedech rege & sacerdote, in duodenario horarum numero. Qui ex illis progeniti, nostri quoq; patriarchæ nuncupantur. Vt in uesperum conclusum aliud tempus sub lege, uelut alius dies per cæteros numeros inchoatus exurgat.

FINIS PRIMAE PARTIS.

B *Incipit pars secunda legis tempore, quo per Moysem legislatorem annis* XL. *gubernatus in eremo est populus Dei, & deinceps usq; in aduentum domini & saluatoris nostri Iesu Christi. Quæ pars promissa prædictaq; continens connexis capitulis subsequitur.*

CAPITA SECVNDAE PARTIS.

Præd.

XIII. Præd.In Moyſe tranſeūte, Ieſum ſignaſſe dominū rectorem.
XIIII. Prom. In Ieſu Naue,Ieſu domini figuram oſtendit, terrenam expugnantem ciuitatem.
XV. Prom.Per Ieſum dn̄m animæ à ꝓſtitutione idolorꝫ liberanť.
XVI. Prom.Per Ieſum dominum omnia uitia expugnanda.
XVII. Præd.In figura eccleſiæ Delbora hoſtem ſuperauit.
XVIII. Prom.In figura Gedeon gratiā domini Chriſti commendat.
XIX. Præd.In Abimelech concubinæ filium,hæreticos ſignat.
XX. Prom.In Iephthe, figuratæ carnis Chr̄i, immolatio uirginis.
XXI. Prom.In Sanſon Nazareus dn̄s Chriſtus fortis in capite.
XXII. Præd.In eodem, quòd ligatus Chriſtus dominus à Iudæis, uincula omnia diſrupit.
XXIII. Præd.In Ruth eccleſia ex gentibus Iudæis illudens.
XXIIII. Prom.In Samuële Chriſtus dominus dux, ſacerdos, & propheta ſacerdotes arguens.
XXV. Prom.In Dauid Chriſtum paſtorem cytharizantem.
XXVI. Prom.In eodem inimicos diligentem,lapſos reparantem.
XXVII. Præd.In Abiſac animas Chriſti gratia calore ferrentes.
XXVIII. Præd.In Roboam ſciſſurā hæreſeum, è quibus Chriſtus ſuas colligit oues.
XXIX. Prom.In Helia Chriſtū,& in uidua miſericordiæ principatū.
XXX. Prom.In Heliſeo diſcipulos Chriſti duplū accipiētes ſpiritū.
XXXI. Prom. In eodem cùm mortuum figuratum Chriſtus dominus gratia ſuſcitauit.
XXXII. Præd.In Ezechia,qua ſuos Chriſtus docet in bono non debere efferri.
XXXIII. Præd.In regibus peccantibus qui ſecum populum in captiuitatem ducant.
XXXIIII.Præd. In Daniele qui Chriſtum dominum ſuis uiſionibus enarrauit.
XXXV. Præd.In eodem,dum eum de lacu leonum eruit,ut Chriſtum dominum à Iudæis.
XXXVI. Prom.In Ezechiele manifeſta reſurrectio per Chriſtum dominum.
XXXVII. Præd.In Eſdra domus Dei, id eſt, per Chriſtum dominum reſtauratio.
XXXVIII. Præd.In eodem cùm in figura eccleſiæ parabolam pandit.
XXXIX. Præd.In Tobia ex piſce Chriſto & dęmonia fugari,& illuminari cæcos.
XXXX. Præd.In Machabæis,qui & martyria,& ipſum Chriſtum regem natum ſuſceperunt.

A De Promiſsionibus, & Prædictio NIBVS DEI, PER D. PROSPERVM AQVITANICVM, EPISCOPVM REGIENSEM,

PARS SECVNDA.

Prædictio: In monte leges datæ: & Chriſti domini mandata in monte.

Prædictio facta & figurata. In Exodo credita & uiſa.

CAP. I.

VOCANS Deus Moyſem in monte Sina, legem in tabulis lapideis conſcriptam, ut populo traderet, dedit: quā rite ſeruans, terram promiſsionis acciperet. Noſter uerò mediator IESVS dominus, cuius figuram geſtabat etiam Moyſes, aſcendens montem cum diſcipulis ſuis, quibus modis beati homines fierent, legem, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus Dei ſpiritu ſcripſit: qua B non terra, ſed cœlo atque uita potiantur æterna, qui eius mandata ſeruauerint. Sed eidem cętero populo, prælatis decem præceptis, per Moyſem cœleſtia iura traduntur. De ſucceſsione hæredum. De ceſſante hærede fidelem amicum & domeſticum loco hæredis debere ſuccedere. De furto in quadruplum reſtituēdo. De depoſitis ſeu commodatis, caſu uel ui aliqua ſublatis. De puniendis adulteris. De uirgine uitiata in agro uel in ciuitate. De muliere prægnante percuſſa. Oculum pro oculo. Dentem pro dente, & cætera quæ in his iuris diuini tenet autoritas. Populus ſub lege ea teſtificatione ſuſcepit à Moyſe, qua ſe ſpopōdit omnia eſſe facturum. Mactās itaque Moyſes in ſacrificio uitulum, ſanguinem ipſius in teſtimonium accipiens, cum hyſopo & lana coccinea populum ipſumq́ librum aſperſit, dicens: Hic ſanguis teſtamenti, quod uobis mandauit Deus. Ad hæc mediator noſter CHRISTVS dominus, legem nō uacuans, ſed adimplēs, non tantum liberis & potentibus, quantum etiam ignobilibus ſeruiſq́ facientibus præcepta ſua, teſtamentum nouum ſuo ſanguine conſecrauit, non ſine hyſopo quod mixtum aceto in paſsione bibit: in quo teſtamento, diſcretio nulla eſt perſonarū. Ait enim apoſtolus Paulus: Non eſt Iudæus neque Græcus, non eſt ſeruus neque liber, non eſt maſculus neq́ fœmina. Omnes enim uos eſtis unum in Chriſto Ieſu, qui eſt fidelium indiuiſa ſempiternaq́ hæreditas. Fidem ſeruandam proximo, comodanti uel deponenti, per eundem Apoſtolum mandat. Bonum, inquit, ò Ti-

[Margin notes: Exo. 19. & 34. — Math. 5. — 2. Cor. 3. — Exo. 22. — Exo. 21. — Math. 5. — Matth. 27. Mar. 15. Ioan. 19. — Gal. 3. — 1. Timo. 1.]

mothee depositum custodi. Et iterum: Non quę sua sunt quisq; intenden- C
1. Cor. 13. Philip. 2. tes, sed & quæ aliorum. Et per prophetam Solomonem: Fideli homini to-
Ephes. 4. tus mundus diuitiarum est: infideli autem, nec obolus. Item Paulus: Qui furabatur, iam non furetur. Ipse quoque uirgini castæ timet serpentinam diaboli corruptionem, cùm se, pio affectu concipiens, spiritu prægnan-
Gal. 4. tem esse confirmat, dicens: Filioli mei, quos iterũ parturio, donec CHRISTVS formetur in uobis. Hos omni ex parte illæsos edere cupit, cum
1. Cor. 4. dicit: In Christo enim Iesu per Euangelium ego uos genui. Addit quoque noster mediator nouæ legis mandata, ueteris testamenti temperans uindictam: Nam cum illic adulteros puniendos statuit, hic adulteram ea pie-
Ioan. 8. tate liberat, qua legem non destruit, dicens: Vade, & noli amplius pecca-
Matth. 5. re. Non solum non mœchandum, sed nec oculis consentiendum ad concupiscentiam. Homicidium non tantùm perpetrandum non est, quan-
1. Ioan. 3. tum qui odit, fratrem homicidam esse. Oculum pro oculo nullatenus expetendum: uerùm insuper malum pro malo reddendum non esse. Qui
Matth. 5. abstulerit tunicam, dimittendum illi & pallium. Qui percusserit in maxillam, præbendam illi & alteram. Qui angariauerit, duplum cum illo eundum. Benefaciendum inimicis. Orandum pro persequentibus: & cætera quæ ab ipso cœlesti iuris conditore mandantur in Euangelio. Non esse contraria legi huic ostenduntur: quòd ubi mandatum fuerit, animal
Exo. 23. in uia si ceciderit inimici, erigendum cum eo, nec prætereundum. Dolose non loquendum cum proximo, neque pignus pauperis retinendum usq; D in uesperũ. Septimo anno sata, frumenta, non metenda. Fructusq; omnes eiusdem anni, proselitis, uiduis, & orphanis relinquendos. Eodemq; anno dandam Hebræis seruis libertatem. Decimas omnium fructuum primitiasq; in domum domini inferendas. Debitum septimo suppleto anno non repetendum: relaxans etiam pignoribus. Quinquagesimo uerò anno, reddenda omnia prædia quæ cautionum nexu obstrinxerat, pecunia non recepta. Et omnia quæ, ut dixi, noui ac ueteris mandata continẽt, discussa, nulla ex parte sibimet repugnantia inueniuntur. Cum & in nouo testamento non parua terribiliaq; exempla uindictæ processerint. Dum
1. Timo. 1. spiritui immundo superbus traditur, ut discat non blasphemare. Dum
1. Cor. 5. adulteri tradũtur Sathanæ in æternũ interitum carnis, ut spiritus saluus
Act. 5. sit in die domini nostri Iesu. Dum fraudantes mendacesq; Annania &
Matth. 20. Saphira, subita morte plectuntur. Dum manibus pedibusq; ligatis in tenebras exteriores mittitur, qui uestem non habuerit nuptialem. Quæ est
1. Timo. 1. charitas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Et quæcunque alia ex ueteribus signis in nouo suppleta noscuntur, sacro, ut dictum est, sanguine mediatoris simul cum ipso populo consecrata sunt.

Promißio: Domus Dei in ecclesia sancta.

Promissio facta & figurata. In Exodo credita & uisa.

CAP.

A CAP. II.

Eidem Moysi dicitur, Vide ut facias tabernaculum, quemadmodũ tibi demonstratum est in sancto monte. Et ex quibus rebus oblatis illud tabernaculum surgat, indicitur. Dabunt, inquit Deus, in oblatione filij Israël lanam hyacinthinam, byssum tortum, purpuram, coccum bis tinctum. E quibus opere uario tẽtoria tabernaculi, simulq; & uestis sacerdotalis confecta, mystica omnia in tempore futuræ ecclesiæ reuelarentur. In opertoria sanè tabernaculi pelles hyacinthinas aliasq; rubratas: & undecim uela ex pilis caprarum conficienda, diuina autoritas mandat. Quæ omnia signa fuisse, ipsius legis resonant testimonia. In hyacinthino colore pallor quidam est cum splendore concordans, ieiunijs eleemosynisq; conueniens. Vnde & sanctus Raphaël archangelus ad Tobiam: Bona est, inquit, oratio cum ieiunio & eleemosyna. In ieiunijs pallor, in eleemosynis splendor refulget, qui hyacinthi figuram ostẽdit. Byssum uerò mundum, ut Apocalypsis dicit, Iustitiæ sanctorum sunt. Quod dictum est, tortum: per multas tribulationes oportet iustos introire in regnum Dei. Purpura uestis est regia, qua ipse rex noster CHRISTVS dominus, in sua paßione indutus est. In cocco bis tincto martyria sancta rutilant. Quæ semel baptismo Christi in sanguine tinguntur, atque suo effusionis cruore denuo retincti. Sic enim & ipse tinctus est dominus semel in Iordane, iterum in paßione, de qua dicit discipulis suis: Baptisma habeo baptizari quod uos ignoratis. Hoc pelles rubratæ hyacinthinæq; testantur. Centum per centum cubitos duo latera tabernaculi protenduntur: aliaq; duo, frontalia, quinquaginta per quinquaginta, tanquam misericordia & ueritas occurrentes sibi, iustitia & pax osculantes inuicem. Quatuor ex partibus coniunctis angulis, dignum tabernaculum demonstrarent: futurum templum Dei ecclesiam, quæ in centenario & quinquagenario numero Psalmorum misericordiam & iudicium suo domino cantat. Neque sine mysterio undecim uelis cilicinis tabernaculum desuper operitur, quo reum esse ostendat totum mundum Deo, ac sub pœnitentiam degere. Ipsius enim numerus Psalmi habet principium: Saluum me fac Deus, quoniam defecit sanctus. Et cur defecerit, narrat: Quoniam diminutæ sunt, ait, ueritates à filijs hominum: pro quibus saluandis ueritas ipsa de cœlo descendit, quæ dignata est habitare cum hominibus in terra. Interiora uerò tabernaculi, his ex rebus ornantur, bisdenæ in parte columnæ ex lignis imputribilibus: non tam sanctos apostolos, quàm doctores quoque ecclesiarum præsignans, quos etiam Paulus ostendit, dicens: Petrus & Ioannes qui uidebantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis. Barnabas enim in apostolatum est susceptus in ordine, domino præcipiente & dicente: Separate mihi Barnabam & Paulum in opus, in quod prouocaui eos. In quo opere ipsa sapientia fabricans sibi domum, subdidit columnas septem. Quas, terra cum defluxisset, peccatis incursantibus, columnas eius ipsa confirmauit.

[Margin notes: Exo. 25. — Tob. 12. — Act. 14. — Luc. 12. — B — Exo. 26. — Psal. 84. — Exo. 26. — Psal. 11. — Gal. 2. — Act. 13. — Prouerb. 9. — Psal. 74.]

Harum igitur columnarum numerus, in duabus partibus tabernaculi C
undecim sunt, quadragesimum diem ascensionis domini demonstrantes, in qua suis ait discipulis: Vos sedete in ciuitate, donec induamini uirtute ex alto. Ternis seris connectuntur columnæ: quoniam fidei, spei & charitatis, trinitatis uinculo doctores ecclesiarum salubriter astringuntur ex uasis argenteis, capitibusque aureis tanquam in operibus misericordiæ, ut sanctitate uirginali columnarum omne decus exurgat. Sancta sanctorum in interioribus sunt tabernaculi, habentia arcam testamenti refertam mysterijs. In qua ingrediuntur sacerdotes in anno semel, cum sanguine alieno: ex qua accipiens responsum diuinum illud uerbum resonat: Quod uerbum carnem suscipiens nostram ob redemptionem consecrauit arcam non ueteris sed noui testamenti: in qua sunt omnes thesauri sapientiæ absconditi. Ad quam cum suo sanguine uerus ipse princeps sacerdotum introijt semel in sancta, quoniam semel CHRISTVS oblatus est, ut multorum peccata portaret. Cui dicit Propheta: Exurge domine in requiem tuam, tu & arca sanctitatis tuæ. Mensam quoque positam & arcam, quæ carnem sacram & sacrificantis exciperet: quid aliud in his quàm crucem intelligimus, in qua noster agnus immolatus est? Ipse sacerdos & uictima panem sanctificatum, suum sacratum corpus in sua mensa confirmans. Cui lucerna septiformi spiritu accensa toti lucet tabernaculo. Quoniam fulgor illius, ut lumen: atria uerò huius spiritalis tabernaculi, corda piorum scilicet confitentium & laudantium Deum. D
De quibus Propheta dicit Dauid: Atria eius in hymnis confitemini ei.

(Luc. 24. — Coloss. 2. — Heb. 9. — Psal. 31.)

Promissio: In Aaron sacerdotium figuratum in Christo.

Promissio facta & figurata. In Exodo credita & uisa.

CAP. III.

Exo. 29. PRæcepit dominus Moysi, ut Aaron fratrem suum ex oleo sanctificato unctum, sacerdotio consecraret: ut unctum nostrum præ participibus suis CHRISTVM dominum nomen ipsum unctionis ostenderet. Ipsius quoque Aaron uestis, mystica taxatione describitur: Indues, inquit, eum tunicam talarem ex lana hyacinthina, scapulisque eius superhumerale impones. Duos lapides smaragdinos sculptos singulos singulis, è quibus catenulæ ex auro purissimo percurrentes umbones ultimos humeralis apportent. Quadratum quoque ex diuersis coloribus pretiosisque duodecim lapidibus, fibulam rationalem sacerdotis in pectore collocandã, quæ duas principales partes superhumeralis astringat. Cingulum quoque lumbis eius dandum, atque in ora talaris tunicæ quinquaginta tintinabula aurea totidemque mala granata in medio tintinabulorum poni iubentur: ut omnis uestis ex supradictis speciebus uario opere confecta fulgeret. Capiti quoque ipsius hæc imponenda præcepta sunt: Cidarim ex bysso mundo, mitram quoque, ex qua lamina conscripta in titulum pendens

(Psal. 44. — Exo. 28.)

A pendens, caput frontemq; sacerdotis consecraret. Quæ singula nostro CHRISTO domino sacerdoti conueniunt. Nam cidaris ex bysso in capite eius, iustitiæ, ut diximus, sanctorum sunt. Quoniam omnis uiri caput, Christus est, à quo est omnis iustitia. Quòd mitram regalem, indicat sacerdotium spiritaleq; connubium. Quòd titulus conscriptus, in passione sacerdoti nostro Pilatus imposuit. Tunica talaris, uiscera sunt misericordiæ Dei nostri. De quibus Apostolus dicit: Induite uos sicut electos Dei uiscera misericordiæ. Superhumerale uerò, principatum eius ostendit. De quo dicit Esaias: Datus est uobis filius, & factus est principatus super humeros eius. Duo lapides in humeris, duo præcepta sunt dilectionis Dei & proximi, quibus duodecim tribuum sculpta nomina continentur, duodecim discipulos in hoc numero iam designantes, quos noster sacerdos in humeris perfecta dilectione portauit: Cum enim dilexisset, ait Euangelista Ioannes, discipulos suos, usque in finem dilexit eos. Ex his catenulæ portantes umbones, fructus sunt spiritus: charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia. Rationalis in pectore, ex pretiosis moribus omnis est doctrina pontificis, ut sit, sicut Apostolus dicit, habens rationale obsequium. Præcinctum sanè nostrum sacerdotem nonagesimus secundus Psalmus ostendit. Induit, inquit, dominus fortitudinem & præcinctus est. In quinquaginta uerò tintinnabulis, totidemq; malis granatis, linguæ
B sunt ecclesiarum, quæ per sanctum spiritum die Penthecostes in specie ignis diuisæ discipulis insederunt. Vt etiam numerus ipse ostendit, ex quo mala granata omnis ecclesia per mundum, connexos, ut grana intrinsecus, continens populos in uinculo pacis, & gratiæ unum eos tegmen operiat charitatis. Resonantibus enim tintinnabulis apostolis, mala granata statim mota sunt, in Actibus Apostolorum dicentia: Non'ne hi qui loquuntur natione sunt Galilæi? & quomodo agnoscimus in illis sermonem in quo nati sumus? & sequitur: Varijs enim linguis magnificabant Deum. Sed hæc omnia gressibus liberi sacerdotis mouentur, dum ingreditur in sancta sanctorum, quò pro nobis noster iam mediator ascendit apparere ante faciem Dei.

1. Cor. 11. — Ioan. 19. — Coloss. 3. — Esa. 9. — Ioan. 13. — Gal. 5. — Rom. 12. — Psal. 92. — Coloss. 3. — Act. 2. — Heb. 9.

Prædictio: In populis uindicta qui præuaricati, & qui mandata Christi non seruauere.

Prædictio facta & figurata. In Exodo credita & uisa.

CAP. IIII.

DVm hæc quæ supradiximus, in monte Sina Moysi facienda mandantur, populus prǽuaricatus à Deo idololatriæ crimē incurrit. Fingitur per Aaron uitulus ex auro, eiq; in contumeliam Dei ueri uictimas sacrificiaq; obtulit, dicens: Hi dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Et obliti sunt Deum qui liberauit eos, qui fecit magnalia in Exo. 32.

Psal. 105. Aegypto, mirabilia in terra Cham, & terribilia in mari Rubro. Per nostrum quoque sacerdotem huiusmodi apostaticæ animæ in Euangelio C
Ioan. 15. increpantur. Sic enim ait: Nisi fecissem meis signa quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Sequiturque ex graui culpa uindicta. Dixit autem dominus ad Moysem, Descende celeriter, præuaricatus est enim populus tuus, quos eduxisti ex Aegypto. Fecerunt sibi deos aureos eisque dixerunt: Hi dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Et nunc sine me deleam eos, & faciam te in gentē magnā ampliorem que quàm hæc est. Pius dominus dat intercedendi sibi tempus, cum dicit, Sine me. Non enim Deus ex hominis, sed homo ex Dei uoluntate pendebat. Cumque multis modis precaretur dominum Moyses, seipsum pro peccato populi offerens, nostrum mediatorem sub figura expressit, qui animam suam pro impijs posuit.
1. Cor. 15. Rom. 5. CHRISTVS enim, ut Apostolus dicit, pro impijs mortuus est. Nec tamen illud tam grande peccatum caret uindicta: quoniam peccatum impunitum esse non potest. Descendens enim de monte Moyses, diffluentem populum dum uideret, stans in medio castrorum ait: Si quis est domini, ueniat ad me. Cumque una tantum ex duodecim tribubus ad eum transiret, præceptum ei tale dedit: Hæc dicit dominus: Accipiat unusquisque uestrum gladium in manu sua, & pertranseat à castris usque in castra, & percutiat unusquisque patrem, fratrem, filium. Quod cum incunctanter fecissent: Impleuistis, ait Moyses, manus uestras hodie domino unusquisque in filio & in fratre, ut daretur super uos benedictio. D
Luc. 14. Tales in his discipulos nostri mediatoris ostendit, quibus ait IESVS: Si quis uenit ad me, & non odio habet patrem, matrem, fratrem, filios, insuper & animam suam, non potest meus discipulus esse. Et iterum scriptum est: Qui dicit patri suo & matri suæ, nescio uos: & fratribus suis, ignoro illos: & filios suos oderunt, hi testamentum tuum seruabunt. Quod sancti fecere martyres uocati per gratiam, felicitate perpetua munerati.

Promissio: In sacrificijs omnibus Christum dominum figuratum.

Promissio facta & figurata. In Exodo credita & uisa.

CAP. V.

Exo. 34. RVrsum Moyses secundò montem iubetur ascendere. Eique mandatur, quæ in sacrificijs ex animalibus auibusque populus offerat, sub certa mensura similaginis conspersæ ex oleo pro peccato, pro solennibus, pro uotiuis uel certis Neomenijs, diebusque festiuis. Vitulum, dictum est, sine macula: referens ad CHRISTVM ueritatem, quæ signa
Psal. 68. sunt rerum. Placebit, dictum est, Deo super uitulum nouellum cornua
Ioan. 1. producentem & ungulas. Agnum anniculum sine macula, ipse est agnus Dei

A Dei,qui tollit peccatum mundi.Ouem ex grege,ipse est de quo Esaias:Si- Esa.53.
cut ouis ad immolandū ductus est. Arietem ex grege, idem ipse est Chri-
stus dominus, qui dicit per Prophetam: Exaltabitur sicut unicornis cor- Psalm.91.
nu meum. Et Abacuc: Cornua, inquit, in manibus ipsius sunt. Hœdum Abac.3.
ex grege,ipse est CHRISTVS dominus,qui non propria,sed aliena pec
cata portans, pelles è quibus cilicia collatæ pœnitentiæ texuntur, suo in-
tulit tabernaculo: qui & per Dauid dicit: Omnia cornua peccatorū con- Psalm.74.
fringam,& exaltabūtur cornua iusti. In turture uerò & columba, ecclesiā
agnoscimus. Quoniam turtur inuenit sibi nidum, ubi ponat pullos suos. Psalm.83.
Vnamq; dicit esse suam columbam,sponsam electam suam. Cuius pullos Cantic.2.
in sacrificium offerri iubet,dum dicit dominus IESVS: Sinite paruulos Matth.18.
uenire ad me. Quoniam & paruuli dum eius baptismo consecrantur, si- Rom.6.
mul cum illo sepeliuntur in morte, ut etiam in eis euacuetur corpus pec-
cati. Illa uerò distinctio peccatorū ignorantiæ & scientiæ, pro quibus sa-
crificium contriti cordis, ut similago frixa ex oleo, offertur: etiam in no-
stro seiungitur sacrificio,cùm dicit anima: Delicta iuuentutis & ignoran- Psalm.24.
tiæ meæ ne memineris. Quæ beatus Petrus minus cautus incurrit, dum
prędicenti domino passionē suam, ignorans eam per legem atq; Prophe-
tas promissam fuisse, Absit à te, ait: Domine propitius tibi esto, non fiet Matth.16.
istud.Et dominus: Vade retrò Sathanas: nō enim sapis quæ Dei sunt,sed Marc.8.
quæ sunt hominum. Quod peccatum ignorantiæ, & scientiæ negationis
B simul & iuuentutis (de qua præsumens dixerat domino, Animam pro te Ioan.13.
ponam)respectus atq; compunctus omnia flendo deleuit.Docuitq; in his
peccatorem pręsumptoremq; dicere: Auertisti faciem tuam,& factus sum
conturbatus. Sana animam meam quia peccaui tibi. Pro uotiuis uerò & Psalm.40.
solennibus quæ CHRISTI domini offerat populus, Paulus apostolus
ostendit: Offeramus,inquit,sacrificium laudis semper Deo, id est, fructū Heb.13.
labiorum confitentium nomini eius.Beneficentiæ autem & communionis
nolite obliuisci:talibus enim sacrificijs placatur Deus.

Prædictio: In lepræ inspectione hæreticos uarios similasse.

Prædictio facta & figurata.In Leuitico credita & uisa.

CAP. VI.

IVbet Deus Moysi ut lepræ inspectio atq; purgatio, huiusmodi sacrifi- Leuit.13. & 14.
cijs expietur.Par gallinarū offerendū sacerdoti, ex quibus unā offerat,
aliamq; relinquat. Similiter quæ ex hircis cęterisq; pecudibus. Sed hæc
mysteria noster sacerdos IESVS dominus euidenter ostendit in Euāge-
lio, dicēs:Duo erunt in agro:unus assumetur,alius relinquetur:& duę in Matth.24.
molēdino, una assumetur,alia relinquetur.Quantum autem intersit inter
assumi & relinqui,columba coruusq; dimissi ex arca ostendūt. Columbā Gene.8.
enim Noë ad se recipiens in arca seruandā sacrificio custodiuit, coruum
uacantē errantemq; relinquens. Sic agnos ab hœdis discerni, sic uirgines Matth.25.
sapientes à stultis uoluit segregari: animas scilicet per gratiā: quas digna

oblatione purificās sacrificio contriti cordis (quod similago frixa ex oleo C
signauit) secum in æternam Hierusalem, cuius spiritalis sponsus est, intro-
ducit in patriam, repulsis hæreticis, quia leprosi foras extra castra mittū-
tur. Nec prætereundū existimo ipsam distinctionem lepræ, ut datum fue
rit, aliqua ex parte discutere. Nam lepra in capite, Manichæos, Priscilia-
nos, complicesq́ eorum demonstrat. Etenim cum uiri caput Christus sit,
caput uerò Christi, Deus: Deo ipsi capiti dum aduersarium nescio quem
principem tenebrarum disputantes opponunt, ipsi in capite sui erroris
aspersi lepra, foris extra castra pelli meruerūt. Lepra in barba, Arrianos,
Fotinianos, Nestorianosq́ designat. Qui nostrum pontificem Christum,
dum minorem in diuinitate: aut solum hominem, non Deum & hominē
prædicant, aliterq́ de Christo sentiunt, quàm tenet traditioq́ fides catho
lica, leprosi in barba eum lacessunt, quem in similitudinem Aaron, Dauid
propheta introducit: uerum principem sacerdotum Christum dominum
Psalm.132. dicens: Ecce quàm bonum & quàm iucundum fratres habitare in unum.
Sicut unguentum in capite, quod descendit in barba, in barba Aaron. Hi
igitur, qui unitatem catholicam relinquentes, unguentum quod in nostri
pontificis barba descendit, erroris sui dogmate fœdandum existimarunt:
ut leprosi in barba inuenti etiam ipsi extra castra pulsi sunt. Lepra in cor-
pore, Donatistæ, Maximianistæ, Luciferiani, cæteriq́ similibus errori-
bus obuoluti, dum per totum mundum CHRISTI corpus, domini ec-
clesiam humanis calumnijs insectantur, in lepra corporis sui eiecti, nisi à D
uero sacerdote Christo charitate mundati fuerint, castra eos populi Dei
non suscipiunt. Pelagiani uerò omni ex parte lepræ macula turpantur,
dum capiti & corpori nebulas suas peruersæ doctrinæ infundere conten-
dunt. Capiti, quòd Deus ante peccatum, mortalem hominem fecerit: qui
mortem non fecit, nec lætatur in perditione uiuorum: creauit enim, ut
essent, omnia. Corpori, quòd gratia Dei necessaria non sit, quòd Chri-
Gal.2. stus gratis mortuus sit, quòd unum baptisma in minoribus maioribusq́
diuisum sit: cum unum consecratum sit in remissionem omnium pecca-
torum. Sic in toto lepræ macula uitiati, è castris dominicis etiam ipsi
pulsi sunt. Cum uerò hæc noster sacerdos inspicit, uariasq́ dirimit pla-
gas, utrum sit tetra in Manichæis, an rubea in Arrianis, an in Pelagianis
1.Cor.11. alba, uel uaria: Quoniam oportet, ait Paulus, & hæreses esse, ut probati
manifesti fiant in uobis. Quandiu in his uarijs erroribus uelut in lepræ
maculis animæ detinentur, castra eos, ut dictum est, dominica non admit-
tunt. Ex quibus omnibus hæresibus compuncti Dei gratia dum mundā-
Lucæ 17. di redeunt, in illis quodammodo decem leprosis, nostro se offerunt sacer-
doti. Eosq́ iuxta legis præceptum dum ad sacerdotem Iudæorum mittit,
euntes in uia, id est, in hac uita, potentia uerbi mundauit. Pro quorum
mundatione sacrificium seipsum obtulit, gallina illa pretiosa quæ dicit:
Matth.23. Quoties uolui Hierusalem colligere filios tuos, sicut gallina colligit pul-
los suos sub alas, & noluisti. Colligit sanè etiam illa nolentes quos ad
unitatis

A unitatis ſuæ membra pertinere cognoſcit. Quoniam nouit dominus qui 2.Tim.2.
ſunt eius. Vnus enim ex decem mundatis reuerſus gratias egit noſtro 1.Cor.1.
pontifici. Quia unitas non in ſe cognoſcit, ſed in domino gloriandum, Hierem.17.
quæ ſpem noluit habere in homine, quæ intellexit bonam uoluntatem à Prouerb.16.
domino præparari, quæ uerè libera eſſe uoluit, quoniam cognouit quod Ioan.8.
etiam filius liberauit. Hi uerò qui mundati ingrati, uel in erroris ſui le-
præ maculis perſiſtunt, in caſtris dominicis ſuſcipi omnino non poterũt.
Contra quos excluſos claudens oſtium dicturus eſt noſter pontifex: Non Luce 13.
noui uos: ut à longè illi dimiſsi foris remaneant. Canes malefici, & o-
mnes homines qui operantur & faciunt mendacium. Multa hic dicere
non oportuit, cum Origenes ſingula diſcutiens, quæ recta fide ſenſit do-
mino conſignauerit Chriſto.

Prædictio: In eſcis mundis & immundis: eleemoſynis munda omnia fieri.

Prædictio facta & figurata. In Leuitico credita & uiſa.

CAP. VII.

INter omnia mandata quæ ad erudiendum Dei populum Moyſi in
monte Sina à Deo tradebantur, expleto ordine ſacrificiorum, animalia
munda ab immundis, quæ populus in eſcam ſumeret, iſta ſunt diſtinctio-
ne ſignata: Ruminantia, quæq; fiſſa ungula, habenda munda eſſe, & in Leuit.11.
B eſcam ſumenda. Quæ animas ſignant ruminantes uerbum Dei ex fiſſa
ungula duorum ſcilicet præceptorum. De auibus quoque uel piſcibus
nominatim mandata ſunt, quæ contingere quæ'ue abnuere populus de-
buiſſet. Quam legem in tabulis lapideis iuxta duritiam cordis Iudæo- Matth.19.
rum datam, dominus in Euangelio teſtatus eſt. Verum cum de ſingulis
priores noſtri patres, quibus reuelatum eſt, allegoricas omnes diſputatio-
nes longo uolumine ſplendidoq; ſtylo conſcripſerint, quid opus fuit
cuncta perſequi? cum de compendio noſter mediator IESVS domi-
nus, in quo iſta omnia perſonabant, uecordes Iudæos, qui legem litera,
non ſpiritu ſequebantur, increpauerit, dicens: Væ uobis ſcribæ & Phari-
ſei hypocritæ, quia decimatis mentam, cyminum, & omne olus, mundan- Matth.23.
tes catinum & calicem, cum intus pleni ſitis rapina & iniquitate. Eiſq; ſin-
gularis ipſe tranſiens, ſingulare ſacrificium oſtendit, dicens: Verunta- Luce 9.
men dico uobis, date eleemoſynam, & ecce uobis munda ſunt omnia. O
quàm breue compendioſumq; ſacrificium, quod intrinſecus atque extrin
ſecus totumq; hominem mundat. Eleemoſyna à morte liberat, & ipſa
purgat peccata. Eleemoſyna munus bonum eſt omnibus facientibus eam
coram ſummo Deo. Hæc eſt quæ perpetuos ignes extinguit: hæc eſt quæ
reſiſtit peccatis: hæc eſt quæ CHRISTVM paſcit eſurientem in pau-
pere: hæc ueſtit nudum: hæc uiſitat infirmum: hæc peregrinum hoſpi- Matth.25.
tio accipit: hæc, quæ omnem anguſtiam carceris tollit: hæc omnem ino-
piam finit; hæc diuitibus confert remedia; hæc uitam æternam compa-
rat: hæc

Matth.25. rat: hæc fœnerat Deum: hæc continet regnum cœlorum: hæc est quæ C discernit agnos ab hœdis: hæc est quæ ad dexteram collocat iudicis: hæc angelis sociat: hæc ex seruis filios Dei fieri præstat. Concurrite omni ex genere peccatores: concurrite omnes ex uitijs erroribusque leprosi: concurrite omnes quolibet flagitio maculati atque immundi pœnitentes uouentesque: concurrite ad tam magnum, compendiosum, utileque sacrificiũ, 2.Cor.9. cum omni lætitia offerentes. Hilarem enim datorem diligit Deus. Prout quisque quod offerat habuerit, hoc offerat munus. Quod ita noster princeps sacerdotum instituit, acceptumque præ omnibus esse mandauit, ut Mar.12. Matth.10. Luce 2. usque ad duo minuta calicemque aquæ frigidæ mensuras huius perduxerit sacrificij: pacem promittens (etsi hæc desunt) hominibus bonæ uolun- Exod.33. tatis. Ista sunt posteriora Dei, quæ faciem eius dum uidere non posset Moyses, spiritu sunt ei reuelata prophetico in Christo IESV domino & homine: qui est æternus princeps omnium sacerdotum. Hæc in Leuitico suppleta noscuntur.

Prædictio: In escis desideratis Aegypti, Christum manna renuisse.

Prædictio facta & figurata. In libro Numerorum credita & uisa.

CAP. VIII.

Num.26. IN Numerorum libro populus, principibus sibimet à Moyse constitutis, certa sub descriptione quantus sit, designatur. Immemor quoque fa- D ctus libertatis & gratiæ Aegyptiæ, idem escas desiderãs, aduersum Deum Num.11. & Moysem murmurasse compertus est. Quis nos, inquiũt, cibabit carne? Rememorati enim sumus piscium, quos manducabamus in Aegypto gratis: cucumeres, porros, allium, & cepas. Nunc autem, aiunt, Arida facta est anima nostra, nihilque aliud nisi manna in oculis nostris. Repudiantur dulcia, desiderãtur amara. Hoc periculosa grauisque animæ ingerit ægritudo, ut noxia sumere uelit, & quæ utilia sunt ac saluti proficiunt, spernat ac re- Ioan.9. nuat. Sic repudiauerunt manna CHRISTVM, dicentes: Nos scimus, quia cum Moyse locutus est Deus, hic uerò, nescimus unde sit. Eosque increpans dicit: Si crederetis Moysi, crederetis & mihi, de me enim ille scri- Ioan.5. psit. Ego enim sum panis uiuus, qui de cœlo descẽdi. Non'ne mãna sanctũ Ioan.6. Ioan.18. Matth.27. repudiauerũt, quãdo Pilato, uolenti Iesum dimittere, dixerũt: Noli ipsum dimittere, sed Barrabã. Barrabas autẽ fuit insignis latro, quem sibi dimitti poscentes, uelut porros, cepas, allium, asperas lachrymas, absque Aegyptijs Psalm.77. escis ex latronis sceleribus desiderasse professi sunt. Sanè murmurãtibus, carnes diuina maiestas exhibuit. Nõ quę reficerẽt, sed quæ uexarẽt potius 1.Cor.2. comedẽtes. Quoniã igitur animalis homo, nõ percipit quæ sunt spiritus Dei, Eccle.23. & in cõcupiscẽtijs est omnis segnis: recteque spiritalis petijt auferri à se uentris concupiscẽtias: ostensum est, impiũ esse ea desiderare uel peti à Deo, quæ sint animæ perniciosa: & maximè quod cũ murmure postulatur. Fugiat anima tali desiderio Deũ offendere, si terrã promissionis cupit intrare.

Præd

A *Prædictio: In Moyse, Christo domino, & ecclesiæ fratres detraxisse.*

Prædictio facta.

CAP. VIIII.

ERat, dicit scriptura, Moyses mitis præ omnibus hominibus qui sunt super terram. In hac mansuetudine, noster resonat mediator, cui dicit Dauid: Tu domine suauis ac mitis es. Et ipse in Euangelio: Tollite iugum meũ super uos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde. Detraxerunt Aarõ & Maria, Moysi germano suo, quòd Aethiopissam accepisset uxorẽ. Detraxerũt & nostro domino sui fratres, quòd cum publicanis & peccatoribus uesceretur. Quibus cum dixisset, Non est opus sanis medicus, sed malè habentibus. Non ueni uocare iustos, sed peccatores in pœnitentiã: ostendit illam Aethiopissam se accepisse ex gentibus. Quæ dicit, Fusca sum, & decora filiæ Hierusalẽ. Maria quæ detraxerat, illico ex uindicta pœnam lepræ suscepit, quam metuere animæ debent, quæ CHRISTO detrahunt & ecclesiæ. Dicit enim de talibus per Prophetam: Pro eo ut diligerent me, detrahebãt mihi, ego autem orabam. Oratione enim Moysi, Maria mundata indulgentiam meruit, ut talis anima tanto exorante pontifice, omni ex culpa sanetur. Iussu tamen diuino Moyses, duodecim electos de plebe uiros explorandam Chananæorum terram misit, quibus in mandatis dedit, non tantum ciuitates homines'ue prospicere, quantũ etiam secum ex terræ fructibus asportare. Pergentes dum agunt, quæ iussa sunt, uallis eos quædam excepit: ex qua botrum abscindentes pro magnitudine phalangæ impositum, simul cum malis granatis ficusq; portantes, ad castra redeunt, fructus ostendunt, ea narrantes quæ uiderant. In tribus his fructibus, mysteria CHRISTI domini resonant ecclesiæ. Botrus in Christo, uox ecclesiæ in Canticis Canticorum: Botrus cypri, fratruelis meus. Quod ligno portatur, crucifixum significat. Agnosce quòd in medio duorum exploratorum. Abacuc Propheta, In medio, inquit, duum animalium cognosceris. Item ecclesia de seipsa in eodem Cantico: Floruit, inquit, uitis: floruerunt mala granata. Ficus uerò, cuius ex folijs transgressores primi homines sibi succinctoria fecerunt, ostendunt originale peccatum, quod per mala granata ecclesiæ botriq; sanguinem absoluitur, qui fusus est in remissionem omnium peccatorũ. Hi autem qui cum exploratoribus ascenderant, his dictis populum terruerunt: Terræ illius promissæ audaces esse homines, magnosq; uiros ciuitatesq; munitas. Gigantes se quoque illic uidisse confirmant, quorum in conspectu ipsi ut locustæ fuerint super terram. Horum metu perculsus populus, rursum aduersum Moysem murmurauit, sibiq; statuit eligere ducem, qui eos reduceret in Aegyptum. Hoc malum eorum est, qui liberati per baptismum metu dæmonum, non antè, sed retrò respiciunt, Dei beneficia eiusq; mira facta obliti, deprecantes erga se impleri promissa Dei. Eligunt ad eum reuerti, cui iam renunciauerant: illum, cui crediderant

Marginalia: Exod. 12. — Psalm. 65. — Matth. 11. — Num. 12. — Luce 15. — Matth. 9. — Cantic. 1. — Psalm. 108. — B — Abac. ult. — Cantic. 1. — Cantic. 6. — Gene. 3. — Num. 14. — Philipp. 3.

rant

2.Paral.29. rant ſpernentes, eiuſq; potentiam abnegantes. Hos increpans dicit: Verterunt ad me dorſum ſuum, & non facies ſuas. Et Petrus apoſtolus: Melius illis erat non cognoſcere uiam ſalutis, quàm cognoſcentes retrò reſpicere à tradito ſibi ſancto mandato. Contigit illis res ueri Prouerbij: Canis reuerſus ad uomitum, & ſus lota in uolutabro luti. Ieſus uerò filius Naue, & Caleph Iephonæ qui terram inſpexerant, ſimul cum Moyſe & Aaron ſacerdotibus proſtrati, agunt pietatis officia, ab intentione deſperatæ uoluntatis populum reuocant, dicentes: Nolite metuere populum terræ, quoniam deuoratio nobis ſunt. Diſceſsit enim tempus ab illis, dominus autem in nobis eſt, nolite timere eos. Quæ omnia ſubuerſione idolorum etiam populo reſonant Chriſtiano, ne ſint homines apoſtatæ à Deo, qui homines metuunt, à quibus iam per Dei gratiam liberati ſunt. C

2.Pet.2.

Prouerb.26.

Num.14.

Baru. 6. Quorum pompam inanem deſcribens Hieremias ait: Inter cætera ingreſsi in Babiloniam uidebitis ibi Deos aureos & argenteos portari in humeris. Ipſi autem ſunt manufacta & inania, ſed neq; præſtare, neq; nocere poſſunt, ideo quòd nihil ſint: ne ergo timueritis eos. Dominum autem ſanctificate in cordibus ueſtris, & ipſe erit uobis timor, ſicut Eſaias ait. De dæmonum autem cultoribus Hieremias ſcribens ait: Ibi fuerunt gigantes nominati ſcientes prælium. Non hos elegit dominus, nec uiam ſcientiæ dedit eis. Et perierunt, propter quod conſilium non habuerunt. Et Solomon ab initio ait; Cum perirent ſuperbi gigantes: Contra quorum ſuperbiam humilis CHRISTI populus, uictor exurgit. Sed cum Hebræus populus indignatus uellet lapidare precantes pro ſe, honor domini apparuit in tabernaculo. Sic enim ſemper audacia malorum comprimitur præſentia diuinæ uirtutis. Cumq; exacerbantes ſe dominus perdere uoluiſſet, mitis ille præ omnibus Moyſes, gratiæ interceſsionis uerba quæ proferret, inuenit: Audient, inquit, Aegyptij, cum contriueris hunc populum, & dicent: Quoniam non potuit illos introducere in terram quam iurauit illis, proſtrauit illos in deſerto. Et nunc exaltetur manus tua domine ſicut dixiſti: Ego ſum Deus patiens & multum miſericors, & uerax. Quibus precibus propitiatus Deus, ita temperauit iram ſuam, ut tamen peccantes ſequeretur digna uindicta. Non ipſos intraturos in requiem promiſſæ terræ teſtificando prædixit: excepto Ieſu filio Naue, & Caleph filio Iephoniæ, omnesq; defuncti in eremo. Filij eorum obedientes ſuſceperunt hæreditatem, quam illi amiſerant contumaces. Sic noſter mediator IESVS dominus, rebelle aduerſum ſe eodem populo, & cum Herode de ſua nece conferente, ſpretis atque in hac uita mortuis etiam in anima Iudæis, filijs eorum ſempiternam hæreditatem dedit, quos pro eo impius Herodes occidit. D

Bar. 3.

Sap.14.

Num.14.

Matth.2.

Prædictio: In uirga Aaron germinante, confirmatio ſacerdotij Chriſti domini.

Prædictio

A Prædictio facta & figurata. In libro Numerorum credita & uisa.

CAP. X.

CONtemptores præceptorum suorum, officiumq; sacerdotale usurpare uolentes Chore, Dathan & Abiron, præsens Dei iudicium dum puniret: condemnans in illis omnes hæreticos (ut iam suprà posuimus) signum quoddam indicit Moysi, quod à se electum confirmet principem sacerdotum. Dixit dominus Moysi: Sic dices filijs Israël, ut dent omnes principes illorum singuli in tribus uirgas suas. Duodecim igitur uirgas accipiens Moyses, & uirgam Aaron inter uirgas illorum, posuit eas coram domino, intulitq; in tabernaculum testimonij. Et factum est in crastinum introijt Moyses & Aaron in tabernaculum. Et ecce germinauit uirga Aaron ex domo Leui & produxit germen, florem germinauit & nuces. Quo profectò signo quietum populum esse iubet, dicens: Desinat murmuratio eorum à me, & non morientur. Sic omnes hæretici pereunt contra domini sacerdotem legitimum murmurantes. Quod uerò florescens uirga Aaron produxit nuces, nostrum hæc CHRISTVM dominum indicant sacerdotem. De quo dicit Esaias: Exiet uirga de radice Iessæ, & flos de radice eius ascendet. In nuce uero mundum ecclesiamq; in mūdo ostendi, qui pie quęrit, intelligit. Ex duabus quippe partibus cōiunctis, tanquam intra cameram cœli, & spatia terræ uelut quatuor partes orbis intrinsecus cum populis continentur. Tenue quoddam corium B habens in medio sui, ut maria diffusa per partes. Ecclesiæ quoque mysteria hæc in ea sunt, duorum ueteris & noui testamentorum operta secretis, quatuor cornua crucis, quibus orbis redimitur, & aquam baptismi in medio sui habens, qua uirens semper fructificans florescit. Huius pomi arbor celsa petens, opacis ramis asperfa, per tenues mollesq; surculos aut singulas in unitate, aut binas in duobus præceptis, aut ternas in trinitatis numero, quatuor'ue connexas in quatuor Euangelijs gemmarum in modum producens, sui artificis pulchritudinem operaq; mira declarat. Harum expressus succus ex tegmine, quædam in se tincta alba colorat, ac medendi gratia exasperatis faucibus adhibetur. Hæc uirentium nemorum fronde uestita tegmina, fouent æstuantes in requiem suorum scilicet foliorum, temperantq; flatu suo ægrotantis incendia. Nec immeritò Hieremiæ Prophetæ iubet dominus baculum sibi nuceum facere debere, in quo omnis ecclesia in mundo, & mundus in ea Christi sustentetur auxilio, eiusq; gratia sufferatur, quæ canit in Psalmis, & dicit: Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.

Num. 16. Num. 17. Esa. 11. Psal. 22.

Prædictio: In æneo serpente, Christum dominum à morsu diaboli liberantem.

Prædictio facta & figurata. In Numerorum libro credita & uisa.

CAP. XI.

Num. 20. Sitiens rursum in alia eremi parte populus, aduersus Moysem & aduer- C
Exo. 17. sus dominū murmurauit. Ex petra qua, ut prius aderat Moyses pro- duci posse aquam diffidit, is qui talia uel ampliora signa iam fecerat, ex hoc offensam incurrēs, quod non clarificauerit Deum coram filijs Israel, non ipsum introducturum populum in terram promissionis, uindex sen- tentia diuina confirmat. Ibi Aaron in Or monte defunctus Eleazarum fi- lium sacerdotemq; dimisit. Moyses paululum reseruatur, cuius in locum IESVS Naue filius transijt, qui populum in terram promissionis indu- xit. Recte huic nomini etiam terrena hæreditas distribuenda seruata est.
Act. 4. Quoniam non esse aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo nos
Phil. 2. oporteat saluari, Apostolica est sententia præfinitum, quæ nostrum du- cem Christum Iesum dominum ostendit, suis hæreditatem perpetuam se-
Psal. 15. ipsum distribuentem, qui eum percipientes dicunt: Hæreditas mea præ- clara est mihi. Dum uero idem populus pergit per certas gentes, quas ei dominus mandauerat extirpandas, quarum scilicet ex culpa idololatriæ,
Num. 21. suppletis peccatis iam finis aduenerat, fatigatus itinere aduersum domi- num murmurans serpentum morsibus uexatus in eremo est, pœnitensq; Moysem supplicē pro se domino fieri precibus exorat. Verum ille sem- per pius & misericors Deus, qui partibus iudicans dat locum pœniten-
Sap. 12. tiæ, remedium exaltati serpentis in ligno contra mortiferos serpentum morsus dedit. Iubetur enim Moyses æneum formare serpentem, eumq; alto ligno confixum populo præcipere, ut si quis se uulneratum cuiusli- D bet serpentis morsu sentiret, statim æneum respiceret serpentem, cuius aspectu continuo sanaretur. Hic etiam sic ille illuditur serpens diabolus,
Psal. 103. de quo per Dauid dicitur: Draconem quem finxisti ad illudendum ei. Cum enim in huius uitæ eremo diuersis ex uitijs, iam cōsecratis in baptis- mo tanquam in mari Rubro, pestiferos morsus inflixerit diabolus, statim exaltatum in ligno crucis Iesum dominum respiciat, id est, à cœlesti medi- co non recedat, ut omnis qui uiderit & crediderit in eum, sicut ipse in
Ioan. 3. Euangelio dicit, non pereat, sed habeat uitam æternam.

Promissio: In eis, qui pro Christo parentes contempserint, uenire benedictionem.

Promissio facta & figurata. In Numeris credita & uisa.

CAP. XII.

Num. 22. Benedictum à Deo populum Balaac rex Moab conducens Balaam Prophetam ex gentibus, licet unius ueri Dei uatem, ut malediceret, inuitauit. Quem maledictum existimabat se facilè superaturum. Sed Pro- pheta à domino requirit, utrum pergat an maneat. Prohibeturq; à domi- no ne ueniat, ac regi mandat sibimet interdictum. Alijs nuntijs Rex am- pliora munera promittens Prophetam hortatur, ut ueniat. Rursum ille ab eo qui iam prohibuerat, corde peruerso quærit tentans, utrum locus daretur eundi. Huic recte resonat scriptura: Non tentabis dominum Deum

A Deum tuum. Datur igitur iam mente saucio pergendi potestas, ita ut si quid dominus in os eius dedisset, hoc ipse proferret. Dum uadit auaritiæ suæ iam corde captiuus, obuius ei angelus, iumento ipsius quo uehebatur se potius manifestare uoluit, quàm illi. Quia homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insensatis, & non similis, sed Psal. 48.
peior factus est illis. Subiugale enim, ut Petrus apostolus dicit in epistola 2. Petr. 2.
sua, humana uoce respondens uetuit Prophetæ dementiam. Tunc coram rege cōductus ille Propheta, dum cogitat maledicere, benedixit. Illorum deputatus ex numero, quos Propheta Dauid designat, dicens; Maledicent illi, & tu benedices. Et alibi: Ore suo benedicebant. Hoc enim exitus Psal. 108. Psal. 61.
posterior docuit. Suppletam enim benedictionem Propheticam, quam etiam per talem aduētum unici filij sui ex illo populo Deus gentibus promittebat. Quo uaticinio actus dixit inter cætera: Orietur stella ex Iacob, Num. 24.
& exurget homo ex Israël, & confringet omnia regna terræ. Quæ de CHRISTO domino dicta, Euangelia diuina attestantur. Is igitur qui maledicere uoluit nec potuit, consilium nequissimi serpentis exquisitum regi dedit, Speciosas quasque fœminas, quarum forma ornatusque ferrum uirtutemque molliret, electas à suo populo ad concitandam libidinem Hebraico populo dimittendas. Harum ex concupiscentia persuasi, sacrificanteis idolis ac sacrificata uescentes, offenso Deo, totum penè Israël in mortem duxere captiuum. Diuina quippe manu percussi, dum plurima Num. 31. Apoc. 2.
B multitudo caderet in deserto, tota penè synagoga perisset, nisi Phynees sacerdos, adulteros mente & corpore ferro transfodiens, iram Dei hoc facto placasset. Admonetur Ioannes Apostolus in Apocalypsi, scribere angelo, id est, rectori ecclesiæ Pergami, quòd in plebe eius essent tenentes Apoc. 2.
doctrinam Balaam, qui docebat Balaac mittere scandalum sub oculis filiorum Israël, edere de sacrificio, & fornicari. Esse etiam nunc tales ostendens, quos aut uindex ira consumit, aut obiurgatos sub pœnitentia indulta gratia liberat sacerdotis. Num. 25.

Prædictio: In Moyse transeunte, Iesum signasse dominum rectorem.

Prædictio facta & figurata. In Deuteronomio credita & uisa.

CAP. XIII.

MOyses uicinum se dum cognosceret sepulturæ, populo omnem recapitulans legem, benedictionibus maledictionibusque, atque terribili illo Deuteronomij cantico totam synagogam astrinxit, testem inducens cœlum & terram, nihil se ex mandatis domini celasse, omnique uigili cura egisse, nequid existeret, quod lęderet populum: monetque à præceptis domini non discedendum, neque ab eo in aliquo declinandum: metuendumque esse prosperis, ne sequantur aduersa. Addit quoque prophetico spiritu eis futura designans, post suum obitū relicto uero Deo post gentium cos uana & noxia concursuros. Quorum ex cultu peccatorum ponderi- Deut. 31. & 32. Deut. 31.

bus grauati in ima mergũtur: eosq́ dimitti à Deo, si ipsi dimiserint Deũ. C
Deut. 33. Quibus dictis omnes tribus mystica benedictione consignans, Iesu filio
Deut. 31. Naue traditam gubernandã plebem, ipse iam prouectus ætate, ad domi-
Deut. 34. num ex hac uita migrauit. Cõmendauit quoq; noster mediator IESVS
dominus fidem ac pacem suam discipulis suis transiens de hoc mundo ad
Ioan. 13. patrem, eosq́, ut Ioannes Euangelista dicit, usq; in finem diligẽs, erudijt.
Act. 20. Illud quoq; propheticum, futurum discentibus per suum Paulum aposto
Matth. 24. lum mandans, quòd post eius obitum introirent graues lupi non parcen-
tes gregi, & ex ipsis discipulis exurgerent pseudoprophetæ loquẽtes per-
Phil. 3. uersa. De quibus in epistola sua dicit: Videte canes, uidete malos opera-
rios, uidete concisiõnem. Commendansq́ Deo & uerbo gratiæ, eius ulte-
rius non uisuros faciem suam Paulus affirmat, eosq́ domino Iesu tradi-
Matth. 28. dit gubernandos, qui est cum suis usque in consummationem seculi.

Promißio: In Iesu Naue, Iesu domini figuram ostendit, terrenam expugnantem ciuitatem.

Promissio facta & figurata.

CAP. XIIII.

Deut. 31. IEsus Naue filius, iubente Deo manu Moysi cõsecratus dux effectus est
populi. Neq; enim, quod sæpe dicendum, decebat Dei populum in ter-
ram promissionis alium introducere, nisi illum qui & nominis, & rei sa-
cramenta salutemq́ portaret. Hic exploratores duos in Hierico mittit, D
Iosue 2. quæ prima in ciuitatibus promissæ terræ esse uidebatur. Misit & noster
Iesus dominus exploratores duos, qui sui primi aduentus terram prædi-
cando concuterent, Zachariam scilicet sacerdotem eiusq́ filium Ioãnem.
Luc. 1. De quo idem pater sacerdosq́ eidem suo filio dicit: Tu puer propheta
altissimi uocaberis, præibis enim ante faciẽ domini, præparare uias eius.
Item de ipso Ioanne angelus: Præcedet, inquit, ante eum in spiritu & uir-
tute Heliæ. Exploratores terræ illius excepit Rahab meretrix, quę eos ab-
scondens à suis persequentibus liberauit. Et quos dominus Iesus misit, su-
scepit anima fornicaria, quæ nominis Iesu expectans salutem à prostitu-
tione idololatriæ per coccinum signum eius sacri sanguinis liberata est.
Gen. 38. Has animas ex hac fornicatione uehemẽter etiam Thamar illa nurus Iu-
dæ in suis geminis signat, dum minor eius filius manum prior ex utero
cœpit mittere, & accepto signo coccino posterior natus est: Gentium in se
populũ ostẽtans, qui uagus, dum prior manũ misisset in sacris idolorum,
posterior ad CHRISTVM per signũ eius sanguinis baptismo renatus
aduenit. Sub lino illa Rahab exploratores abscondit. Sub lino & nostri
Iesu domini exploratores fuisse abscõsos, Esaias propheta testatur, dicẽs:
Esa. 42. Arundinẽ quassatã non cõminuet, & linũ fumigãs nõ extinguet. Gentem
ipsam Iudæam signãs, quæ ut linũ fumigans in sacrificijs, omnem usq; ad
Christũ tectã celauit prophetiã, ipsosq́ præcursores nostri Christi Iesu.
A quo nõ extincta, nũc usq; seruatur: ut quæ in ea adhuc tecta latẽt futu-
ra, in

A ra,in tempore reuelētur. Metu enim Iesu ducis suos territos ciues mulier illa explorātibus prodidit,ut etiā illud impleretur,quod de nostro IESV domino dictum est: A' facie tua gentes turbabuntur, cum feceris mirabilia. Reuersi exploratores ad Iesum,cū omnia quæ egerāt, retulissent, iussu diuino duodecim tribuū Israël iubet castra moueri, simulq; omnes trāsire Iordanem arca præeunte: quæ iam figura,ut dictum est, nostri Iesu ducis sacramenta portaret. Hæc dum in medio fluminis moraretur, diuisas in partes inferior unda dum iret, superiorq; immota subsisteret, solum siccum ipse alueus præbuit transeuntibus. Statimq; præcepto domini duodecim lapides à singulis tribubus de medio fluminis Iesus iussit auferri: quibus,in sacrato numero, duodecim Apostoli nostri Iesu signarentur. Transeunte autem populo, famulatu, quem unda Dei iussu præbuerat, suppleto,rursum recurrens in sese fluuius lætos per se reddidit transeuntes. Baptismi & hic instar expressum,ut hi qui in eremo nati Rubri maris sacramenta non nouerant,Iordanis in transitu abluti, circuncisionem ex cultellis susciperent petrinis. Omnis enim sub nostro Iesu consecratus in baptismo,ex petra corde circunciditur: quia omnis uirtus eius in petra firmatur. Quam petram CHRISTVM esse,iam suprà ostenditur.

Psal. 64. Iof. 3. Iof. 4. 1. Cor. 10.

Promißio: Per Iesum dominum animæ à prostitutione idolorum liberantur.

Promissio facta & figurata. In Iesu Naue credita & uisa.

CAP. XV.

B Hiericonta Dei populus cum Iesu duce ueniens,eamq; munitam omni ambitu prospiciens ciuitatem,obsidione uallauit. Mirabilis autem in diuinis præceptis illic uidetur uirtus fuisse. Conflictus actumq; quodammodo certamen spiritale,septem tubarum clangoribus septies in die septimana tota recurrente die ultimo concrepantibus, iubilātibus cunctis, omnis illa superba murorum constructio,non humana, sed diuina manu concussa intercidit. Subuersa ciuitas,concremataq; cum populis incendio,sola ex eo Rachab cum suis per signum sanguinis potuit liberari. His tubis,hoc fremitu iubilantum præcepto Iesu domini etiam noster pugnat exercitus. Nam septiformi spiritu sapientiæ & intellectus, consilij & fortitudinis,scientiæ & pietatis ac timoris Dei, dum resonant qui canunt in tubis ductilibus,& uoce tubæ corneæ,iubilatq; populus in conspectu regis domini, septies in die dum laudes dicunt super iudicia iustitiæ eius, omnis Hierico ciuitatis terrenæ superbia debellatur. Concrematur incēdio ab eo de quo dicitur: Ignis ante eum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. In qua spes salutis datur fornicariæ animæ pœnitēti, dum signo sanguinis Iesu domini liberata dicitur elatis & tumidis: Meretrices & publicani præcedunt uos in regnū Dei. Tales quippe animas inuenit Iesus dominus noster,siue in Iudæis,siue in gentibus. Quarū exemplo ut à sua prostitutione transirent ad legitimū uirū, iubetur Osee propheta

Esa. 2. Psal 95. Psal. 109. Iof. 5. Psal. 148. Ioan. 2. et 6. Matth. 21. Osee 1.

pheta mulierem accipere fornicariã, atq; ex ea procreare filios, ut sit iam C
uxor, quæ paulò antè fuerat meretrix, habeatq; filios, quæ studebat filios
nõ habere, nec iam libidini, sed suscipiendæ seruiat proli. Euidentius hoc
Hier. 3. per Hieremiam prophetam exponitur, cùm tota arguitur Iudæa: Si cõtaminata fuerit mulier, ait dñs, nũquid reuertetur ad eam uir suus? Et tu fornicata es in pastoribus multis, & sic reuertere ad me dicit dñs. Et p Oseã:
Osee 1. & 2. Vocabo non plebem meã, plebem meã: & non dilectã, dilectã. Apostolus
1. Cor. 5. quoq; Paulus, huiusmodi animas salubriter obiurgat, dicens: Auditur in uobis fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gẽtes. Sed tales etiam sua gratia IESVS noster dñs dum suscipit ad salutem, diuinitate illa potentiæ suæ fornicariam, uirginem facit. Quam pronubus in se Paulus ca-
2. Cor. 11. sto spiritaliq; connubio componit, dicens: Aptaui enim uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo. De qua filios non carne, sed spiritu excipiens, facit ecclesiam uirginem, matrem filiorum fœcunditate lactantem. Quos secum admonet Ioannes apostolus dicens: Charissimi filij Dei su-
1. Ioan. 3. mus, & necdum apparuit quod erimus. Coniungit & Paulus: Si autem fi-
Rom. 8. lij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

Promißio: Per Iesum dominum omnia uitia expugnanda.

Prædictio facta & figurata. In Iesu Naue credita & uisa.

CAP. XVI.

EXpugnat Iesus Naue filius, Chananæũ, Cettheum, Pheresum cæterasq; gentes, quarũ terras populo suo dominus in hæreditatẽ promiserat. Expugnat & noster IESVS dominus idololatriã, superbiam, inuidiã, luxuriã cæteraq; uitia, ut suis seipsum præparet æternã hæreditatẽ. In funiculo Iesus Naue filius, uictori populo terram diuisit. Dicit & noster triumphans in Christo Iesu populus, Funes ceciderunt mihi in præclaris. D
Psal. 15. Nam & hæreditas mea præclara est mihi. Iubet dñs filius Salphat, quia
Num. 36. uirũ hæredẽ non relinquit, paternã suscipere hæreditatẽ, ut in his animæ
Psal. 15. auxilio destitutę signarẽtur. Quas dũ respicit Deus, dicũt: Dominus portio hæreditatis meæ & calicis mei, tu es qui restitues mihi hæreditatẽ meã. Terminos positos quæq; tribus inuiolata fide custodit. Dicitur & nostro populo: Non trãsgredieris terminos æternos, quos posuerunt patres tui.
Iosue 18. E mundo migraturus Iesus, ultima cõtestationis suę uerba, sicut Moyses, hæc populo tradidit: A mãdatis dñi nõ discedendũ, si uellent semper esse liberi, & ab inimicorũ insidijs alieni. Nihilq; se ab eis accepisse: uel eos in aliquo læsisse cõfirmat. Et suos Iesus noster dominus trãsiens, hac pactio-
Ioan. 8. ne cõstringit: Si feceritis, inquit, quæ mãdo uobis, uerè mei discipuli estis, & cognoscetis ueritatẽ, & ueritas liberabit uos. Quibus cum dedisset exercendorũ miraculorũ potestatẽ, nequid ab aliquo sperarẽt, quod ipsi nõ derant, dixit, gratis date. Post abscessum Iesu populus ille non ducem, sed iudices regendus accepit. Et cum noster Iesus dominus transiret de hoc mundo ad patrem, rectores ecclesiæ suæ per uniuersum instituit mũdum.

Prædictio

A *Prædictio : In figura ecclesiæ Delbora hostem superauit.*

Prædictio facta & figurata. In Iudicum credita & uisa.

CAP. XVII.

PRimus Iudas inter cæteros iudices fuit qui iudicarunt Israël. De cuius *Iudic.1.*
tribu, ut sæpe diximus, dominus CHRISTVS huic mundo in carne iudex omnium animarum præsentatus est. Relicto uerò Deo populus Israël oblitus mandatorum Moysi & Iesu famulorum Dei, seruiuit idolis *Iudic.2.*
gentiũ, eosq́; sequens uindicta, per cõfines inimicos uexauit. Hoc & nunc agitur, dum renati per baptismum filij Dei, uanis superstitionibus curisq́; huius seculi implicãtur, uinculisq́; peccatorũ suorum unusquisq; constringitur. Clamauerũt filij Israël ad dominũ, cum pressurã paterẽtur: & de necessitatibus eorũ liberauit eos. Dicit etiam noster dominus per Prophetã: Erit cum clamaueritis ad me & dixeritis, pater, exaudiã uos ut populũ san- *Psalm.106.*
ctum. Cuius in manifestatione clamantẽ ad patrem filium perditum, cum *Luce 15.*
magna miseratione pius pater in Euangelio pœnitentẽ suscipit redeuntẽ. Subsequens in iudicibus Delbora prophetes mater surrexit in Israël, quæ *Iudic.4.*
iudicauit populum annis quadraginta. Huius in tempore Sizaram regem Iabin aduersus plebem domini rebellantem, diuina uirtus in manu fœminæ conclusit illum. Illum scilicet terribilem curribus, equitibus, populisq́; metuendũ. Nec eum ferro, sed fœmina uirum ligno confixit, palo ac maleo tempora illius transfodiens. Quæ nostræ matris ecclesiæ similitudinẽ
B gerens, uoce resonaret in psalmis: Hi in curribus & hi in equis, nos autem *Psalm.19.*
in nomine Dei nostri magnificabimur. Ipsis obligati sunt pedes & ceciderunt, nos uerò surreximus & erecti sumus. Hæc & alia cantat ecclesia expugnans idola idolorumq́; cultores, necnon & uicinos hostes suos hæreticos. Qui dum aduersus eam castra constituunt, non timere cor suũ dicit: *Psalm.26.*
&, Si exurgat, ait, in me bellũ, in illud ego sperabo. Et in alio Psalmo: Sępe *Psalm.129.*
expugnauerũt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi. Quia dominus iustus, per crucis lignum contriuit ceruices peccatorum.

Promißio : In figura Gedeon gratiam Christi domini commendat.

Promissio facta & figurata. In Iudicum credita & uisa.

CAP. XVIII.

RVrsum pro peccato idololatriæ affligitur populus, cum deprimente *Iudic.6.*
Madian: missusq́; angelus domini ob redemptionẽ eorum, Gedeon filium Ioab unum ex Hebræis ad iudicandũ præliandumq́; pro eo mittẽs hoc dicto instruit, Dominus tecũ potẽs in uirtute. Et Gedeon, Si dominus nobiscum est, ait, quare nos inuenerũt mala hæc? Et angelus, Vade, inquit: in manu enim tua liberabitur Israël, de manu Madian. Cumq́; Gedeon in minima tribu se esse in Israël coram domino fateretur, ab eo qui exaltat humilem, eumq́; fœdere facit cum principibus populi sui, roboratus, statim aram Baal, quam filij Israël construxerant, subuertit. Hunc populus pro

hoc facto insectatus in domum patris sui fugientem obsedit. Cumq; im- C
petum populi declinasset, pater eius Ioas furentem plebem his mitigauit
uerbis: Nunquid uos, ait, iudicatis Baal, aut saluū facitis eum? qui in eum
iniurias ingessit, morietur in manè. Si Deus est, ipse se uindicabit. Verum
cum populus placatus abscederet, spiritus domini induit Gedeon, eumq;
uirtute suffultum ad præliandum mittit, signum uictoriæ uoluntati eius
assignās. duo tamen ipse poposcit, quæ in magno mysterio usque in tem-
pus uelata noscerentur. Volo, inquit domine, ut uellus quod est in area,
impleatur aqua, & area sicca sit. Factum est: Sicca area ros descendit in
uellus, quod expressum peluim repleuit aqua uellus repletum. In area sic-
ca, agnoscimus synagogam. Ecclesia tunc sicca in fide gentium, quæ cùm
nullo imbre supernæ doctrinæ rigaretur, synagoga ut uellus repleta erat
diuinis oraculis sacrisq; mysterijs. Quod uera uirtus IESVS dominus
eò usque expressit in peluim, ut propinquante passione pedes in ea la-
uans, suis discipulis omnem synagogæ gloriam uacuans, tanquam uellus
expressum inanem relinqueret: Gentibus gratiam noui testamenti mini-
strans, quam in secundo signo euidenter ostendit. Volo domine, inquit
Gedeon, ut uellus siccum sit, & area omnis compluatur. Vtrunq; factum
futurumq; in Christo, & per Christum, Dauid propheta confirmat dicēs
in Psalmo septuagesimo primo: Descendet sicut pluuia in uellus: quod
pertinet ad synagogam. Et sicut guttæ destillātes super terram: quod per-
Deut.32. tinet ad ecclesiam. Et in Deuteronomio: Excipiatur, inquit, sicut pluuia D
pronuntiatio mea, & descendant, uelut ros, uerba mea. In uellere ros, tunc
refertam synagogam, & pluuia in area, nunc repletam ecclesiam gratia
Esa.55. ostendit. Dicit & Esaias: Sicut ros aut pluuia descendens, non discedit
quousq; inebriet terram & germinet, & det panem ad edendum his qui
eam colunt: ita & uerbum quodcunq; exierit ex ore meo, non reuertetur
quousque perficiat quæ uolui. Perfectis igitur uniuersis sacramentis, quæ
alijs condita tegebantur in uellere, Iudæorum scilicet synagogam inanem
remansisse, omnis iam mundus agnoscit: Aream uerò, ecclesiā per omnes
gentes gratia repletam fœcunditate credentium populorum. Sed eidem
Gedeon præceptum est, congregato agmine egredi ad præliandum con-
tra inimicos populi Dei. Veruntamen quia sacramentis omnia tegeban-
tur, idem qui ductabatur exercitus, ad aquam probandus accessit. Dixit
Iudic.7. enim dominus ad Gedeon: Deduc populū ad aquam, adhuc enim multi
sunt tecum: eritq;, qui lambens lingua ut canis biberit: statues eos seor-
sum, cæteros dimittes è castris. Repertiq; sunt trecenti uiri. Hos, inquit do
minus, adduces tecum, ne dicat Israël, Quoniā manus meæ saluum me fe-
cerunt. Sic enim agit diuina prouidentia gratiam cōmendans, ut non in se
1.Cor.1. quisquam, sed in domino glorietur. Quoniam non in multitudine exerci-
tus potentia est belli, sed de cœlo est fortitudo Dei. Præliātur autē milites
domini hoc modo succincti lumbis hydriasq; portantes in manibus faces
quoq; succēsas. Igniti mente & corpore in hoc uictoriæ signo gladius do-
mini

A mini & Gedeon. Explorãs igitur Gedeon per noctem castra partis aduersæ, sentiensq́ꝫ quibus somnijs dominus eorũ terruerit aduersarios, diluculo suos ad milites redit, eosq́ꝫ ut certam iam uictoriã potitos alloquitur. Iubetq́ꝫ Dei milites hydrias eius manibus in terram proijcere, ac protinus in aduersarios omni cum fiducia prosilire. Ita etiam sub nostro iudice IESV domino, noster uicit & uincit exercitus. Cui pręcipitur: Sint lumbi uestri accincti & lucernæ ardentes, portantes gladium bis acutum, uerbum Dei. Quorum fortium corpora martyrum in terra illisa, uelut hydriæ dum concrepant, eorum scilicet qui pro ueritate certant usq́ꝫ ad mortem, suo grandi sonitu omnes fugauere inimicos. Horum triumphus suaui cantu resonat dicentium: Habemus thesaurum istum in uasis fictilibus, ut eminentia uirtutis sit Dei, & non ex nobis. Gratias agentes Deo, qui dedit eis uictoriam, per dominum nostrum Iesum Christum. Transierunt enim & nostri probandi per ignem & aquam, lambentes lingua ut canes domini: quos Dauid memorat, dicens: Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Hi enim pro eo nunc latrant, qui eum aliquando adorant, quorum latratu omnis CHRISTI fugatur aduersarius.

Luce 12. 2. Cor. 4. 1. Cor. 15. Psalm. 67.

Prædictio: In Abimelech concubinæ filium hæreticos signat.

Prædictio facta & figurata. CAP. XIX.

B ABimelech filius ex concubina post obitum patris sui Gedeon, interfectis à se septuaginta legitimis eius filijs, solicitato populo iudex effectus in Israël. Vnus è septuaginta dum euasisset absconditus transeuntẽ, sub quadam parabola totum increpat Israël: quòd infructuosa ligna syluestria uitem & ficum, dum sibi peterent regem, respondisse fructuosa infructuosis, non se posse relinquere fructus pinguedinis suæ, & regnare in lignis. Hæc figura præsumptam audaciam hæreticorum ostendit, qui cùm sint non filij liberæ, sed ancillæ, ut syluestria syluestribus, id est, infructuosis animabus, ea intentione delictorum spinis obruti, potentantur ut filios ueri regis & iudicis in anima rebaptizando interficiant. Hunc tamen Abimelech audacem principem mulier è muro misso fragmento quassato capite occîdit. Sic enim decet perire hæreticos, qui caput nostrum Christum dominum, cõtumeliosa disputatione expugnare nituntur. Quoniam hæredes esse non poterunt ancillæ filij, sed liberæ. Ecclesia ut mulier ex gentibus, molam asinariam eorum collo alligans, eos mergit in profundum.

Iudic. 9. Gal. 4. Matth. 18.

Promißio: In Iephthe immolatæ carnis Christi immolatio uirginis.

Promißio facta & figurata. CAP. XX.

IEphthe quoq́ꝫ ordine subsequente Dei populum per annos sex iudicauit. Hic dum bellum gerit aduersus filios Ammon, uiditq́ꝫ sibi aduersarios præualere, temeraria præsumptione uotum uouit, quòd si inimicos uincere

Iudic. 11.

uincere cõtigiſſet, quicquid ei primitus ex domo ſua obuiam fieret, offer- C
ret in ſacrificium. Cuius audacia hoc modo correpta eſt, ut non animal cu
iuſq; pecoris exiſtimatum, ſed unica filia uirgo triumphantis more cõcur-
rens, affligeret grauiter de promiſsione uictorem. Quam reſpiciens: *Heu mihi, ait, filia, offenſio facta es in oculis meis. Voui enim ſuper te uotum Deo, & nõ poterit auerti.* Dixitq; ei filia, *Si in me aperuiſti os tuum pater ad dominũ, fac ita ut promiſiſti.* Propter quod fecit dominus uindictã de inimicis ſuis. Induciaſq; petit à patre, quibus in monte cum ſodalibus ſuis fleret uirginitatem ſuam. Quæ conſummato tempore reuerſa, ſui ſacrificij ex ea Iephthe uota cõpleuit. Et hæc, ut dictum eſt, non nouerat uirum. Quæritur fortaſſe, cur non ei præceperit Deus parcere debere unicæ filiæ, ſicut Abrahæ unico iuſsit ut parceret filio? Naſciturq; famoſa illa & ad ſoluendum difficilis quæſtio, quam reuelante domino hoc modo perſoluam. Primo quòd Deus non popoſcerat à Iephthe tentando eum, ſicut ab Abraham. Sed hic ſponte uouit, non, ut dixi, tentatus à Deo, ſed ipſe quodammodo tentans Deum. Secundo dignum fuit ut non taxata uictima canem uel ſubiugale, aut quodlibet aliud dignum pecus ſibi primitus occurrens, ut promiſerat, immolaret. Quia ergo non tentatus tentare uoluit Deum, hoc ei occurrit, quod probaret uirtutem, uotum, & animum
Hebr. 11. promittẽtis. Sed hunc Iephthe Paulus apoſtolus in epiſtola ad Hebræos, inter cæteros fide plenos, ex hoc ipſo operatum dicit fuiſſe iuſtitiã: cõme-
morãs Barach, Samſon, Samuẽlem, cæteroſq; heroas noſtros, ne ſola ter- D
rena ciuitas plauſu uanitatis ſuos extolleret ciues, ſi pro ea filiũ Torquatus occidit, ſi Mutius dexterã porrexit in flammas, ſi Curtius ſe præcipitẽ dando uoragini, pro eius ſæuitia uita priuauit: cum longè celſiora noſtri & multi ac multiplicia fecerint ciues Hieruſalẽ cœleſtis ciuitatis magnæ. Huius tamen Iephthe operatio iuſtitiæ admonet nos inquirere myſteria actionis dominicæ, uelut datum fuerit tantæ rei explicare ſecretum. Hæc itaq; figurata myſteria ad iudicem ducemq; noſtrum IESVM dominũ ita referũt, ut cognoſcamus eum pro noſtra redẽptione de inimicis noſtris uindictã uolentem ſuſcipere, unicã uirginem carnẽ ſuam eamq; filiã immo laſſe. Et à ſe ipſo quippe formatus in utero dicitur per Dauid prophetam:
Pſalm. 86. *Mater Sion dicet homo, & homo factus eſt in ea, & ipſe fundauit eã altiſ-*
Coloſſ. 2. *ſimus.* Hæc occurrit in hora paſsionis, cũ creator eius principatus & pote
*Id eſt, palã traduceret: ac oſtẽtui ludibrioq; haberet, id enim ſignificat τὸ παραδειγματίζειν. ſtates aëris huius * exẽplaret, fiducialiter triumphãs eas in ſemetipſo. Occurrit inquã in hora de qua in Euãgelio dicit: *Pater quid dicã? Tranſeat hæc hora: Sed ꝑpterea ueni in hanc horã*, ut is, qui eam creauerat, immolaretur. Quod uerò illa petit inducias, ut fleret in monte uirginitatẽ ſuam
Lucæ 22. cum ſodalibus ſuis: Aſcendit in montem IESVS cum ſodalibus propin-
Matth. 26. quãte paſsione, illic orans, ut Euãgeliſta teſtatur, ſudãs, pro lachrymis guttæ ſanguinis ſtillare uidebãtur in terrã. Admonuitq; ſodales ſuos uigilare & orare, ne intrarẽt in tentationẽ: adijciens triſtem eſſe animã ſuã uſq; ad mortẽ. Deſcendẽs uerò de monte, hãc, quam pro nobis ſuſceperat carnẽ,
ſine corr

A fine corruptione uirginem quæ non nouerat uirum, obtulit sacrificium Deo patri. Quoniam & hic aperuit os suum super carnem suam dicēs per Prophetam: Quæ procedunt de labijs meis, non reprobabo. Et ipse in *Psalm.88.* Euangelio: In hoc me, ait, diligit pater meus, quoniam animā meam pono *Ioan.10.* pro ouibus meis. Et iterum: Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm *Ioan.15.* ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Neq; enim uel in morte, caro illa corrupta est. De qua dicit in Psalmo: Caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam apud inferos, neq; dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Viuit itaq; Deo, qui uitam istam finit *Psalm.15.* propter Deum. Mihi enim uiuere, ait Apostolus, Christus est, & mori *Philipp.1.* lucrum.

Promissio: In Samson Nazaræus dominus Christus fortis in capite.

Promissio facta & figurata. In Iuda credita & uisa.

CAP. XXI.

Manue dictus est in tempore illo quo iudices Dei populum gubernabant, cuius uxor sterilis fuit. Huic angelus domini adstitit promit- *Iudic.13.* tens filium talem futurum. Ferrum, inquit, non ascendet super caput eius, & uinum & siceram non bibet. Quoniam Nazaræus erit puer à die natiuitatis usq; in finem mortis. Iam Nazarenus uirtus sonat in capite, quoniā B uiri caput Christus. Natus est igitur Samson ille fortissimus, plenus, ut di- *1.Cor.11.* ctum est, uirtute ex coma capitis sui, qui iudicauit Israël annos uiginti. Huius omnis actio in figura CHRISTVM dominum resonat. Cuius gestorum ordinem adiutus Dei gratia ita percurram. Descendit, dicit scri- *Iudic.14.* ptura, Samson in Taumatha, & dilexit illic mulierem alienigenam, suosq; parentes petit, ut eam sortiretur uxorem. Descendit & noster de cœlo fortissimus, de quo dicit angelus ad Mariam, Quoniā Nazaræus uocabitur: ut sibi dilectas ex gentibus animas sociaret, & fide coniungeret. Dum pergit Samson uidere desponsatam sibi, catulus leonis ei obuiam factus est, quem repletus spiritu discerpsit, eumq; misit per partes. Rursum rediens declinansq; uiam, dum cadauer inspicit animantis, fauum mellis in ore leonis suspiciens abstulit. Idq; comedens suis ex eo parentibus dedit, neq; illis factū sui operis intimauit. Hoc & noster Nazaræus IESVS dominus egit. Discerpsit populum Iudæorum & catulum leonis, misitq; per partes. De quo Abacuc Propheta gentilis ait: Catulus leonis Iuda fortis- *Num.21.* simus Israël. Huius particulas per orbem sparsas Dauid propheta testatur dicens ipsi forti nostro domino: Disperge illos in uirtute tua. Quod *Psalm.51.* factum non credimus sed uidemus. Fauum uerò mellis quem in ore leonis huius inuenit, legem spiritalem populi huius auditor intellige, quod apes Patriarchæ atque Prophetæ construentes, in eum mella infuderint diuini eloquij. Hoc ex ore leonis mortui abstulit, qui repulsis Iudæis legem ipsam etiam gentibus ministrauit. Idq; comedit corpus fortissimi

nostri

Psalm.118. nostri iudicis Christi domini, ut dicit: Quàm dulcia faucibus uerba tua C
Prouerb.16. super mella & fauos ori meo. Et Solomon ait: Faui mellis, sermones boni. Dedit ex eo, dictum ut est, parentibus suis, siue discipulis, cum aperuit
Ioan.ultimo. sensum eorum, ut intelligerent scripturas: siue his qui ex Iudæis transierunt ad fidem Christi, ut etiam ipsi gustantes uiderent, quàm suauis est
Iudic.14. dominus. Huius actionis ænigma Samson in conuiuio nuptiarum protulit sub certa sponsione triginta sindonum totidemq; stolarum uiris, qui aderant, si proposita narrauissent. Ex deuorante, inquit, exijt esca, & ex forti dulcis. Quam propinquante solutionis die cum intelligere nequiuissent, eius mulierem nimis terroribus coactam explorare faciunt sensus uiri, ac per ipsam propositionis solutione compertam parabolam pandunt, dicentes: Quid dulcius melle? & fortius leone? Quibus ille ait: Si non domassetis uitulam meam, nunquam intelligeretis parabolã meam. Magnum igitur illud pietatis dominicæ sacramentum, quod in lege fuit
Coloss.1. uelatum, fuitq; absconditum à seculis in Deo, reuelatum per Christum, manifestatum est in gentibus. Sanè à se prostratus exuens se spolijs, promissa Samson omni celeritate persoluit, ut de nostro quod dictum fue-
Esa.53. rat, etiam signaretur, Fortium diuidet spolia. Salubriter enim noster suos
Rom.8. occidit inimicos, dum peccato peccatum occidit in carne, reddens spoliorum promissiones, non merita meritis, sed pro malis bona conferens miseris. Pergens uerò Samson ad diem festum Hebræi populi, ut cum suis agere potuisset, mulierem eius, uiro alij parentes tradiderunt. Hoc fa- D
ciunt leues uilesq; animæ, quæ consortium unici sponsi CHRISTI casto fideliq; corde minime retinẽtes, cuilibet se hæreticæ tradunt sociantq; doctrinæ. Admonetq; Apostolus animas unius sponsi Christi, pudico
Coloss.2. amore cubile seruantes: Videte ne quis uos seducat ullo modo. Reuersus igitur Samson, cum cognosceret uxorem suam alteri uiro fuisse coniun-
Iudic.15. ctam, insidijs illam gentem pro dolore confecit. Trecentis itaq; uulpibus apprehensis earum in inuicem caudas innectens, faces his ardentes posuit, easq; per segetes Allophilorum ire dimisit, omnesq; eorum fruges miro compendio succendit. Dicit quidem & noster fortis dominus (hæreticos
Cantic.2. signans): Capite nobis uulpes pusillas exterminantes uineas, quibus sunt faces incendij potius erroris, quàm diuini amoris. Nec sunt in capite, sed in cauda. Ardent enim studijs peruersisq; doctrinis, quibus imperitos uel potius peritos uaporis sui aspersione afflãtes, omnes eos, quasi ignis agreste fœnum, consumunt. Quoniam in conspectu nostri iudicis Christi do-
Psalm.96. mini ignis ardebit, eruntq;, ut dicit Propheta, omnes alienigenæ, stipula: & succendet eos adueniens dies, dicit dominus. Illa uerò mulier, quæ relicto tanto uiro alij se credidit sociandã, incendio cum suis parẽtibus à suis ciuibus dignoscitur esse cõsumpta. Vt omnis anima hæretica cũ suis parẽtibus, id est, doctoribus, igni extinguibili, peccatis traducẽtibus, exuratur. Quoniã traducent illos ex aduerso iniquitates illorũ, cùm eis dixerit dñs:
Matth.25. Discedite à me in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.

Prædictio:

A *Prædictio: In eodem Samson, quod ligatus Christus dominus à Iudæis, uincula omnia disrupit.*

Prædictio facta & figurata.

CAP. XXII.

IDem Samson in illo populo aliam dilexit mulierem, quam dum pergit accipere, transeunti uiam inimicorum insidiæ irruerunt. Cui uirtus diuina statim adfuit. Apprehẽsa etenim asini maxilla, mille uiros ex ea prostrauit, cæterosq; uertit in fugam. Qui cum siti præliando deficeret, inuocato Deo ex rima eius maxillæ aqua profluẽs priscæ uirtuti reddidit satiatum, eumq; aduersarijs superatis fecit esse uictorem. Si nostrũ fortem dominum respicias hoc animali uectatũ, tantundẽ atq; ampliorẽ numerũ ab eo prostratũ inuenies inimicorũ. Cum ei dicit Dauid propheta: Cadẽt à latere tuo mille, & decem milia à dextris tuis: tibi autẽ nõ appropinquabunt. Quoniã sitienti corpori eius, ex latere tanquam ex rima, sanguis & aqua manauit: qua satiata omnis anima Christiana dicit: Super aquas refectionis educauit me, animã meam cõuertit. Post illud mirabile prælium Samson sociauit sibi aliam quam dilexit mulierem nomine Dalila. Duas istas mulieres (ut ipsa actio mystica multipliciter discussa reuelat) duas illas existimo ciuitates quas Ezechiel propheta his uocabulis consignauit, Oola & Oobila, Samariam scilicet & Hierusalem. Samaria quæ scissurã B regni in undecim particulis suscepit, tanquã illa prima mulier, quę relicto legitimo uiro se hæreticis tradidit. Hierusalẽ uerò ut hæc Dalila, quæ mysteria passionis CHRISTI domini, ordinata omni actione conclusit. Quæ res gestæ, ita sequũtur. Dixerunt Allophili ad Dalilam: Seduc uirũ tuũ, et indicet tibi in quo sit uirtus eius, & dabimus tibi singuli mille centũ argenteos. Ecce est illa triplex uenditio. Venditur Christus in Ioseph ante legem, uenditur in Samson sub lege, uenditur à Iuda Iudæis sub gratia. Seducit Dalila mulier uirũ illis suadẽtibus, & dicit: Indica mihi in quo infirmari possit uirtus tua. Aperuit quodã modo os suum Samson in parabolis & dixit, Si ligatus fuero neruis humidis, id est, recentibus, infirmabor, & ero sicut omnes homines. Sinit se fortis his uinculis colligari, insidiantibusq; aduersarijs ac dicẽte illi uxore: Philistijm super te Samson: ita illa uincula uirtute dissoluit, tanquã stupa cum tetigerit ignẽ, aduersariosq; omnes uertit in fugã. Noster etiã dominus fortitudinis apud Hierusalem uelut his uinculis se ligari permisit. Adducunt enim ad eum foris mulierẽ in adulterio deprehẽsam, & dicũt tentãtes, Magister modò hanc deprehẽdimus, Moyses iussit huiusmodi lapidari, tu uerò quid de ea statuis? Neruorũ uelut ex lege uinculis se crediderant ligasse Iesum, & maxime recentiũ, cum dixerũt, modò. Quæ noster fortis hoc respõso disrupit. Qui, inquit, uestrũ sine peccato est, prior in illã lapidẽ mittat. Quo audito unus post alterũ discesserũt, ut illud uinculũ, quo ligauerãt, ita solueretur, queadmodũ dixit Propheta: Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereãt peccatores

Iud. 16. Psal. 90. Ioan. 19. Psal. 22. Iud. 16. Ezech. 23. Gen. 37. Matth. 26. Ioan. 8. Psal. 67.

f

tores à facie Dei. Rursum Allophili per mulierem insidias tendunt. Dixit C
mulier ad Samson: Indica iam mihi, in quo infirmetur uirtus tua. Et Samson: Si ligatus fuero funibus nouis, infirmabor, & ero sicut omnes homines. Cumq; id fieret, Aduersarij ad te, inquit, Samson. At ille repletus spiritu disrumpēs funes à brachijs suis tanquā filum spargit, omnesq; fugauit aduersarios. Ligari se sinit & noster dominus fortis, dum secūdò ueniunt ad eum Pharisęi & dicūt: Magister, scimus quia in ueritate doces, &
Matth. 22. nullius personā accipis, Licet tributū dare Cæsari, an nō? In hac tētatione fortem nostrū bicipiti quasi laqueo ligauerunt. Sed spiritu uirtutis fortis noster, nodos omnes ista uoce disrupit: Quid me, inquit, tentatis hypocritæ? adferte mihi nomisma censūs. At illi attulerūt ei denariū. Et dominus: Cuius est imago & superscriptio? Dixerūt, Cæsaris. Reddite, ait dominus, Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ Dei sunt. His dictis mira celeritate uincula illa disrupit, ille susceptus homo qui Deo suo canit in
Psal. 115. Psalmis: Dirupisti uincula mea, tibi sacrificabo sacrificium laudis. Tertiò solicitat mulier uirum. Quousq;, inquit, illudis me? Indica, inquit, mihi in quo infirmetur uirtus sua. Penè eadē uerba & Iudæi dixerunt nostro iu-
Ioan. 10. dici CHRISTO. Quousq;, inquiunt, animas nostras tollis? Si tu es Christus dic nobis palàm. Sed Samson tertio se ligari hoc modo permisit. Si alligati fuerint, ait, capilli capitis mei in palo orsorio, infirmabor & ero sicut omnes homines. Quod cum faceret mulier: Iidem insidiantes ad te, inquit, Samson. At ille exurgens disruptis omnibus, fugatos plagatosq; D
inimicos prostrauit. Fit & nostro forti Iesu domino huiusmodi colligatio, uelut in orsorio palo contextio capillorū. Dicūt Scribæ & Pharisæi ad
Matth. 22. Iesum: Scripsit nobis Moyses, quòd si quis mortuus fuerit non habens filios, accipiat uxorē eius frater ipsius, & suscitet semen fratri suo. Septem autē fratres erāt, accipit uxorē fratris secūdus & tertius, & mortui sunt nō relictis filijs, postea uerò omnes eam acceperunt, sine liberis mortua est & mulier, in resurrectione, aiunt, cuius erit uxor? Quantò uehemētius se ligasse nostrū fortē crediderūt, tantò uelocius soluit quam intulerant quæ-
Matth. 7. stionē. Et uere sicut potestatē habēs, quia nec ligari his tentationibus posset, nisi ipse permitteret: Filij, inquit, seculi huius generāt & generātur, qui autē digni fuerint seculū illud cōtingere, neq; nubunt neq; nubētur. Non enim iam mori poterunt, quoniā sunt similes angelis & filijs Dei. Quibus dictis omni cōfusione pstrati, eius fugati sunt inimici. Et uenit hora mor-
Ioā. 12. et 17. tis Samson. Dicit & noster: Venit hora ut clarificetur filius hominis. Nisi enim granū tritici cadens in terra mortuū fuerit, solū manet: si autē mortuū fuerit, multū fructū affert. Instāte & flente mēdaciter corā se muliere,
Matth. 26. pusillanimis factus est, ait scriptura, Samson usq; ad mortē. Vt nostri figurata actio impleretur dicētis: Tristis est anima mea usq; ad mortem. Si rasi, inquit Samson, fuerint capitis mei capilli, infirmabor, & ero sicut oēs homines. Antè, quàm hæc fierent, mittit mulier ad uiros dicēs: Afferte argentū, iam enim mihi omnia ueraciter indicauit. Fit certa traditio, quam

suppleuit

A suppleuit Iudas percepto argēto. Impleturq́ in Samson per figurā, quod in nostro CHRISTO domino actum est etiā manifestè. Nam quòd eum accipiēs mulier dormire fecit in sinu suo, hoc est quod noster fortis dominus dicit: Nō expetit mori Prophetā extra Hierusalē. Quòd eum inebriauit poculo mortifero, hoc est quod & noster dixit: Dederūt in escam meā fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Quòd uerò nouacula adhibita rasit caput eius, hoc est quod eū in loco Caluariæ crucifixit. Raso capite Samson discessit & uirtus: & noster pendens in ligno clamauit: Deus, Deus meus respice me, quare me dereliquisti. Et iterum: Multiplicati sunt super capillos capitis mei qui me oderūt gratis. Effoderūt inimici Samson duos oculos eius. Duæ partes uelut lumina discipulorū effusæ sunt ad tempus. Alij fugiēdo, pro quibus clamat noster fortis: Oculi mei defecerūt absperando in Deum meū. Et iterū: Illumina oculos meos, ne unquā obdormiā in mortē. Quod factū in discipulis nouimus, quando illo resurgēte aperti sunt oculi eorū, eumq́ cognouerūt in fractione panis. Accipientes inimici Samson ligauerūt eum ferro. Hoc claui indicāt crucifixi. Quę uerò illudētes fecerūt dādo palmas in facie, sputis linire, flagellis cædere, hæc omnia Esaias ꝓpheta prędixit, et impleta in Christo dn̄o sancta Euāgelia testant̄. Vbi uelut cæcatū illudūt Iudæi, dum calamo percutiētes caput eius dicūt, Prophetiza nobis Christe, quis te percussit. Vnū uerò extremū in morte sua miraculū fecit Samson, quod etiā noster dominus & fortis impleuit. Psal. 68. Psal. 21. & 30. Psal. 68. & 12. Luc. 24. Luc. 22. Esa. 50.

B Crescēte coma capitis cū ei creuisset & uirtus, ad templū ductus ab inimicis, quò omnis populus ille conuenerat dare laudes & uictimas dijs suis, quòd eis acerrimū suū tradiderāt hostē, illic positus, puero qui sibi ducatum præbebat, eius manibus columnas supra quas totū illud ædificiū ferebatur traderet, imperauit. Quas singulis manibus apprehendens, inuocato Deo, semel se adhuc confirmari petit: atq́ impetu spiritus columnas euellens, omne illud ædificiū cum populis cadens, plures Samson occidit in morte sua, quàm occiderat in uita sua. Noster etiam dominus manifestius, quod ille mysticè fecerat exhibuit. Duos angulos mundi circūcisionem scilicet ac præputiū uelut duas columnas in sua morte mouēs, omnē culturā idololatriæ subuertit. Soluēs inimicitias in carne sua, ut duos conderet in se, in unum nouum hominē. Faciens pacem & reconciliet utrāq́ in uno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso. Hucusque in iudicijs figurate, quæ acta sunt, cucurrerunt.

Prædictio: In Ruth ecclesia ex gentibus Iudæis illudens.

Prædictio facta & figurata. In Ruth credita & uisa.

CAP. XXIII.

RVth in illo populo dicta est, quæ cum esset alienigena, id est, ex Moabitis ueniens, sub lege Dei & populo posita, ea egit, quæ figuram gestarent ecclesiæ uenientis ex gentibus. Cuidam enim ex populo Hebræo se in cōiugio matrimonij obtulit. At ille seruans mandata legis non specie Ruth 1.

tractus iuuēculæ,non adolescentiæ suæ captus ardore,sese ingerentem ad C
eum mittit,cui propinquiori ex lege debebatur. Recusat eam is, qui iure
Deut. 25. diuino pulsatus est.Excalciandū lex censuit, qui propinquā accipere uo-
Ruth 4. luisset:qua nota iste uexatus,illa illi sociata est,qui locum in propinquiori
seruauerat.Sic ecclesia gentiū etiā populo Israëlitico in fide CHRISTI
domini,in propinquiori sese obtulit,quam suscipere uolens ritè excalcia-
tus est gloria collatæ legis,& infamiæ nota inustus:quoniā noluit benedi-
Act. 13. ctionē,& longè fiet ab eo.Sicut Apostolus eidē populo dicit: Vobis pri-
mò oportuit annūtiari uerbū Dei:sed quoniā expulistis illud, nec uos di-
gnos uitæ æternæ iudicastis,ecce cōuertimus nos ad gentes.Domus enim
excalciati in illo populo,hoc crimine notabat̄.Qui uerò eam posterior ac-
Ephes. 6. cepit,populus est,calciatos pedes habēs in præparatione Euangelij pacis.
Quod Euāgeliū adnūtiat Booz et Ruth,Obed genuisse,cuius p̄ successio-
nē seminis usq; ad Ioseph & Mariā ipsiusq; Chri dñi natiuitatē puētū est.

Promißio: In Samuēle Christus dominus dux,sacerdos,& Propheta sacerdotes arguens.

Promissio facta & figurata. In Regum credita & uisa. CAP. XXIIII.

1. Reg. 1. ANna uxor Helchanæ, quæ sterilis fuit, uotū uouit Deo, si ei daret fi-
liū,eum ab infantia usq; ad seniū futurū in domo domini:datus,atq;
ex ea natus est Samuēl,quem ablactatū,ut promiserat, reddidit domino.
Eiusq; gratiæ fuit dum paruulus uersaret̄ in templo,ut & diuina responsa D
acciperet,& ei futura dn̄s nūtiaret.Sed is nō tantū in figura mutauit ordi-
nē sacerdotij,quātū in illo tria quædā inueniuntur,quæ Christo sunt dn̄o
cōsignāda:Dux eñ & sacerdos atq; Propheta effectus est populi. Ducē si
Dan. 3. quæris Christū,Daniel propheta de ipso:Dux,ait,militię cœlestis.Sacer-
Psal. 109. dotē si quæris Christū,Dauid dicit:Tu es sacerdos in æternū secundū or-
dinē Melchisedech.Prophetā si quæris Christū, ipse de seipso in Euange-
Luc. 4. lio dicit: Non est Propheta sine honore nisi in patria sua.Dū igit̄ filij Heli
1. Reg. 2. sacerdotis malignè ageręt,indebitè pręsumētes partes alias uesci ex carni-
bus immolandis,quas illis nō mandauerat Deus: ac primitus sibi, postea
Deo debere offerri:insectātes etiā mulieres ueniētes ad tēplū cū eis flagitia
1. Reg. 4. perpetrabāt.Quibus sceleribus cōfectis iratus Deus prælium eis aduersæ
gentis immisit.In quo nō tantū cæsus populus, quantū etiā illi ipsi sacer-
dotes interfecti.Ipsa quoq; arca Dei ab hostibus capta est. Sic enim Deus
Israël irascit̄ peccātibus sacerdotibus,ut ętiā sacratis locis suis uasisq; non
Psal. 77. parcat.Dicit eñ Dauid: Repulit Deus tabernaculū suū,in quo habitabat
in hominibus,& tradidit eos in manus gentiū,& dñati sunt eorū,qui ode-
Psal. 88. runt eos.Et iterū: Repulit eos Deus sanctificationē suā.Item alibi: Si pec-
1. Reg. 2. cauerit populus,exorabit pro eo sacerdos : si autē sacerdos,quis exorabit
pro illo? Hei mihi cum magno gemitu & inexplebili fletu dicam, dicam
præcurrentibus peccatis impieq; agētibus nobis,nostris quoq; hæc mala
prouenire temporibus. Arcam uerò Dei quam ceperant hostes, ea uene-
ratione

A ratione colendam esse crediderũt,ut in templo Dei sui Dagon, collocan- 1. Reg. 5.
dam arbitrarẽtur. Sub cuius potẽtia sequenti die idolũ suum elisum, pro-
stratumq́ uiderũt. Sed hoc casui dantes, eum uncis fortioribus, ualidiori-
busq́ desigunt. Quem postera die cõfractum cõminutumq́ corã arca in-
tuẽtes, quidnam illud esset minimè repererunt: ipsaq́ gens graui atrociq́
plaga percussa est. Quã Dauid propheta sub quodã pudore testatur, di- Psal. 77.
cens: Percusit inimicos suos retrorsum, opprobriũ sempiternũ dedit il-
lis. Nec ualuerunt huius turpitudinis euadere ultimã pœnam, nisi arcam
Dei, quam ceperãt, donis appositis reddidissent. Videant, metuantq́ re- 1. Reg. 6.
ges & gentes, quæ penes se sacrata omnipotẽtis Dei uasa nunc usq́ capti-
ua retinẽt, eaq́ reddere detractant. Quę enim mala uentura credimus eis, Phil. 2.
qui nomen illud, quod est super omne nomen, in uasis eius sacratis hono-
rare noluerunt? cum sic punitos arcam Dei honorãtes diuina testetur hi-
storia, ob quam uisam & hic cœperit uindictam facere Deus de inimicis
suis. Idem uerò ille contumax Hebræus populus spreto Samuẽlis ducatu
sibi regẽ fieri petijt. Iratusq́ dominus, ait Samuẽli: Nõ te isti, sed me spre-
uerunt: ut illud tunc signaretur quod pòst dixerunt Pilato spernẽtes do-
minum IESVM regem: Nos nõ habemus regem nisi solum Cæsarem. Ioan. 19.
Dedit tamen eis dominus regem Saul, filium Cis de tribu Beniamin qui
eos regia potẽtia afflixit annis quadraginta. Omnis itaq́ anima quæ legẽ
CHRISTI domini iugum repudiat, sic meretur affligi, quibus dum do-
B minãtur mali duces, principes, sacerdotes audiunt: Dedi uobis regẽ secũ-
dum cor uestrum. Ipsi quoq́ caueant qui has accipiunt potestates, si cupi-
ditate dominantis, nec consulentis affectu suscipiũt: si ministrari eligunt,
ac nõ potius ministrare. Quod dominus per semetipsum, & per Prophe-
tam Osee increpat, dicẽs: Canaan in manu eius statera iustitiæ, domina- Osee 12.
tionem enim elegit. Et in Euangelio ipse: Qui uoluerit maior esse in uobis,
erit uester seruus. Sicut filius hominis nõ uenit ministrari, sed ministrare. Matth. 12.

Promissio: In Dauid Christum pastorem citharizantem.

Promissio facta & figurata.

CAP. XXV.

CVm idẽ rex Saul superbia captus Dei præcepta cõtemneret, spretus 1. Reg. 15.
à Deo, Dauid ille quod dicitẽ manu fortis, paruus licet in fratribus,
unctionis regiæ sacramẽta suscepit. Pastor sanè ouium, ut nostrũ signaret
pastorẽ unctum CHRISTVM dominum, qui dicit: Ego sum pastor bo- Ioan. 10.
nus. Eripuisse se prædã ex ore leonis Dauid fatetur. Et noster manu fortis 1. Reg. 17.
de ore leonis diaboli, & Petrum negantẽ & latronem eripuit confitentem.
Suaui sono citharizans Dauid nõ tantum animalium mulcebat auditus, 1. Reg. 16.
quantum etiã in ipso Saule uexationẽ mali spiritus temperabat. Si nostri
manu fortis Christi domini citharã respicias personantẽ, quam ligno cru
cis carnis membrorumq́ suorũ cordis aptatam plectro dum tangit sancti
spiritus omne animal replẽs benedictione, ipsum quoq́ diabolum fuga- Psal. 144.

f 3 uit

Luc. 23. uit de cordibus inimicorum,pro quibus orans in cruce suauē illū sonū pro- C
tulit,dicens: Pater ignosce illis,quia nesciunt quid faciunt.Idē tamen Da-
uid dum Sauli regi gratus esset ex cithara,cumq; turbatum nuntijs Goliæ
cognosceret,qui sub cōditione seruitutis prouocaret singulare certamen,
cōtra potentem illum uirum hic se Dauid paruus opponit. Non, inquit,
corruat cor domini mei: ego ibo & pugnabo huic Allophilo. Cui Saul:
Non potes,ait,quia tu puer es,& ille uir bellator est à iuuētute sua.Et leo-
nem,ait Dauid, & ursum occidit seruus tuus. Sic erit iste unus ex illis ex
Psal. 90. semine suo,ut promissum fuerat,signās illū esse uenturum,qui cōculcauit
leonem & draconem. Suscepto itaque prælio renuit Dauid Saulis arma
quibus erat indutus, quinq; sibi lapides leues eligens de torrente fundi-
bula manu capta,nō in specie regis regem: sed magnum hostē paruus pa-
stor expugnat.Ita noster pastor CHRISTVS dominus,sapientiā huius
1. Cor. 1. mundi tanquā illa arma reijciēs,in quinq; lapidibus stulta mundi elegit,
quibus confunderet fortia. Omnis etenim ille terribilis ambitus superbi
uno ictu lapidis fronte percussus prostratus est, suoq; gladio dignoscitur
esse truncatus.Ex quinq; enim libris legis unus lapis prædictus,fundibu-
la carnis locutus, manu forti expressus, totam superbiam diaboli elisit,
Sap. 2. suoq; peremit gladio, dum mortem morte occidit. Inuidia enim diaboli
mors introijt in orbem terrarum. Hanc suscepit innocuus pastor ille bo-
Ioan. 10. nus,qui pro suis animam posuit, ut sua morte diabolum debellaret. Ex-
1. Reg. 18. tincto prostratoq; hoste aduersus Dauid Saul iniquè inuidiam concepit
ex uictoria. Retribuensq; mala pro bonis, fugat, odit, persequitur inno- D
Psal. 34. centem. Dicit & noster dominus de talibus: Retribuebant mihi mala pro
1. Reg. 19. & 20. bonis, & odium pro dilectione mea. Quòd uerò Dauid per latebras
montium,per speluncas & per deserta Saule persequente discurrit: cor-
poris sui noster dominus, id est, sanctorum membrorum suorum mar-
tyrum uidelicet in hac figura persecutiones expresit. De quibus aposto-
Heb. 11. lus Paulus dicit: Cùm his dignus non esset orbis terrarum, per deserta
1. Reg. 24. errabant, & per speluncas, & per cauernas terræ. Quòd uerò persecuto-
rem suum Saulem non occidit Dauid, cum ei traderetur in manibus, ab-
scindensq; pinnam clamydis eius, se odienti pepercit: hoc quotidie agit
noster pastor & rerum CHRISTVS dominus, circa osores persecu-
toresq; suos. A' quibus dum abscindit uitium magnum superbiæ, parcit
Eze. 18. etiam regibus sæuientibus: quia non uult mortem impiorum, sed ut re-
Rom. 3. et 4. uertantur,& uiuant. Quod in omnibus suis fecit,& facit inimicis ille: ille
qui non meritis, sed gratis iustificat impium. Eundem Dauid declinan-
tem rursum insidias Saulis, gentes excipiunt. Sic se noster CHRI-
STVS dominus sæuientibus subtrahens Iudæis, gentibus dedit. Pro-
diderunt Allophili Sauli regi, quòd Dauid esset penes eos absconditus
Psal. 40. in Geth. Proditum & nostrum regem idem Propheta, dicens: Aduer-
sum me, inquit, susurrabant omnes inimici mei, aduersum me cogita-
Psal. 2. bant mihi mala. Et iterum: Astiterunt reges terræ, & principes con-
uenerunt

A uenerunt in unum aduersus dominũ & aduersus Christum eius. Sed Dauid proditũ sese cognoscẽs agit quædã, imò per eum agũtur futura mysteria, arreptitium simulans, saliuæ eius in barbã defluebant, ferturq; ut dicit scriptura totus in manibus suis. Talem gentis illius rex aspiciẽs, à se proijciendo dimittit dicẽs: Quid mihi introduxistis istum fanaticũ? Nihil enim in lege dictum gestum'ue est, quod uacuum esse possit, aut à figurata actione sit aliquatenus alienum. Dicunt enim & nostro dño Iudæi inimici: Samaritanus es, & dæmoniũ habes. Quem cõspuentes etiam de quibusdã ciuitatibus miserũt foras. Portatus est quippe & IESVS dominus in manibus suis, dum suum corpus in sanctificato pane gestans manibus suis, dixit: Hoc est corpus meum quod pro uobis tradetur. De quibus mysterijs, qui etiam illud nosse desiderat, quomodo sit Dauid saltans ante arcã nudatus corã seruis & ancillis suis, ut Christum crucifixũ præsentibus uiris & fœminis demõstraret, uenerãdæ memoriæ Augustini episcopi dicta inspiciat, quibus latius in his peruagatus penè omnia comprehendit.

1.Reg.21. Ioan.8. Matth.26. 2.Reg.6.

Promißio: In eodem Dauid inimicos diligentem, lapsos reparantem.

Promissio facta & figurata. In Regum credita & uisa.

CAP. XXVI.

VT promissionis ordo poscebat, unctus Dauid in totum Israël, non partem ut prius, excepit gubernandũ, extincto Saule in prælio. Quẽ B grauiter occisum doluit, eumq; insuper uindicauit, omnisq; ad eum cõgregatus est Israël. Hoc etiã nũc agitur, dum noster rex Christus dñs suos plurimũ diligit inimicos, & uindicat, totus ad eum, ut promissum est, colligitur mũdus. Cui dictum est: Dabo tibi gentes hæreditatẽ tuam, & possessionẽ tuam terminos terræ. Et licet iam penè omnes occupauerit gẽtes, superest tamen ut plenitudo gentiũ, cum intrauerit, totus prædestinatus Israël saluus fiat, ut per eum omnis mundus recõcilietur Deo. Ea uerò quę Dauid sublimatus gessit in regno, eos respiciũt qui præsumptione quadã superbiæ lapsi per pœnitentiã emendati Christi corpori sociãtur ecclesiæ secundæ. Quippe res, ut ait quidã sapientum, animos fatigãt, quibus hic Dauid elatus, duo principalia quæ lex prohibet, adulteriũ homicidiumq; cõmisit. Monitusq; per Natham prophetã, dum magna compunctione cordis actus ageret pœnitentiã (quoniã peccata impunita esse nõ possunt) mortẽ licet repentinã euaserit, in his tamen quæ gessit cõstat grauiter uindicatũ. Iam enim ex ore Prophetæ audierat: Fecisti in abscondito, patieris in sole. Qua sententia omnis status domus eius isto ordine perturbatus est. Vnus è filijs ipsius sororis suæ, ex alia licet matre turpi concupiscentia captus, clàm oppressit, uitiauitq; uirginẽ. Germanus puellæ Absalon stupratorẽ interfecit fratrẽ. Quo facto perculsus Absalon, à facie sui patris aufugiens totum solicitat Israël, rebellisq; effectus fugat, atq; insequitur patrem, torum quoq; eius in concubinis scelaratè contaminans. Quæ patienter Dauid ferẽs, ea in se puniri iustitia uindicãte cognouit, quæ sibi ut uidebatur,

1.Reg.31. 2.Reg.1. Psalm.2. Rom.11. 2.Reg.11. 2.Reg.12. 2.Reg.13. 2.Reg.15.

absolutè commiserat. Quorum gesta lex diuina dum resonat, speculum se C
esse ostendit, non celans ipsorum quoq; facta maiorum ac splendoris sui serenitate, ut pulchritudines, ita etiam fœditates quorumcunq; demonstrans: ea ueritate pollens quę reatus etiam suorum & probat, & uindicat, non sanè sine misericordia, quæ totū egit, totumq; ostendit: & lapsus tanti uiri, & sententiā iusti iudicis, & indulgentiam clemētissimi patris. Positus uerum hic in exemplum sobrijs animabus, ut discant amplius metuere
Psalm. 106. prospera, quàm formidare aduersa. In tribulatione quippe, ut Propheta dicit, memores sumus Dei. Periculosum est autem animæ dimitti in uolu-
Prouerb. 3. ptatibus suis, cū ipse dicat dominus: Ego quos amo, redarguo, & castigo.

Promißio: In Abisac animas Christi gratia calore feruentes.

Promissio facta & figurata. In Regum credita & uisa. CAP. XXVII.

3. Reg. 1. HVic ipsi Dauid iam senili ætate cōfecto Abisac Sunamitis uirgo, quę regem calefaceret, applicatur, nullā ob causam cōcubitus: quæ etiam post obitum eius, uirgo reperta est. Hæc in similitudinē animā signat Dei gratia castitatis calore succensam, quæ frigidas in fide animas, ut membra
Psal. 16. regis magni suo accendit affectu. Canit enim de seipsa in Psalmis: Igne me examinasti, & non est inuēta in me iniquitas. Aliosq; suo flatu calefaciēs,
Psal. 65. dicit, Venite & audite, & narrabo uobis omnibus, qui timetis dn̄m, quā-
3. Reg. 2. ta fecit animæ meæ. Defecto itaq; rege: Solomon patri Dauid successit in regnum. In cuius nomine multa diuina promissa dum resonāt, ne quis ipsi personæ deputaret, quę fuerant figurata, dum à præceptis dn̄i declinaret, D
& uitam in senectute & sapientiā simul amisit: ut pacifico Christo domino (quòd Solomon interpretatur) omnia illa quæ figurata fuerant, seruarentur. Quæ tamē, ut Propheta ex persona Christi domini gesserit, ut donatum fuerit, parūper excurrā. In principio regni eius uisus est ei dn̄s per
3. Reg. 3. somnium dicēs: Pete tibi aliquā petitionē. Nihilq; aliud expetit quàm sa-
1. Cor. 1. pientiā. Christum ergo petit, quia Christus est Dei uirtus, & Dei sapiētia. Dabis, inquit, dn̄e seruo tuo cor sapiēs ad iudicādum gubernādumq; populum tuum. Quæ petitio dum placeret (ut donum collatæ sapiētię omni populo panderetur) duæ mulieres adstiterunt regi, quæ simul in conclaui commanētes, uno in tempore filios procrearunt. E quibus una dormiens cum suum paruulū præfocasset, sociæ dormienti supposuit. Expletis igitur nocturni somni officijs, dum clarus solis ortus redderet aspectibus diem, torpore omni discusso, mulier quæ uiuū perdiderat, dum suis uberibus crederet applicandum respiciens mortuum, non agnouit suum. A furāte igitur dum uiuum repetit, atq; illa pro inuaso fortiter cōtradicit, in hac cōtrouersia cōcertātes regi se pariter obtulerūt. Cumq; cuius esset uiuus paruulus demōstrari non posset, sapientia illa Christus quæ regi fuerat tributa, gladium afferre iussit, non quo paruulū feriret, sed quo denuo parturiētis matris uiscera demōstraret: Diuidite, ait rex suis, paruulū uiuū in duas partes, & date dimidium huic, & dimidium huic. Vera mater ut
tantum

A tantum uiuat, aduersariæ totum cedit: falsa, ne uera possideat, dimidiũ petit. Sic hæreticorum nostro sub rege Christo animæ iudicãtur: quibus dum uera mater catholica nomẽ suum uiuum iurgãtibus offert totum, illi uolẽtes discedere, petunt dimidiũ. Sed rex noster qui uenit gladium mittere in terram, hæreticorum fraudes remouẽs, ueræ matri petenti uitam uiuũ reddidit statum. Quoniã uitam petit, ait Propheta, & dedisti ei. Idem uerò ipse paruulus non diuisus, ueræ catholicæ matris filius, iudiciũ pacifici summi regis CHRISTI domini laudat & dicit: Viuet anima mea, & laudabit te, & iudicia tua adiuuabũt me. Templum idem Solomon domino fabricauit, illud amplum mirabili ambitu constructũ, omni cum regia potentia dedicatũ. Quod pater eius dum uoueret, implere permissus non est. Multas enim bellãdo prostrauerat gentes, eiq; dictum est, quòd plurimũ sanguinis effudisset in terra, non ipsum, sed eius filiũ pacificũ debere cõstruere domum Deo. Sed quoniã illud, spiritale hoc ædificiũ signat, scriptũ est, Altissimũ non habitare in ædificijs manu hominum factis. Propter quod rex noster uera pax Christus dominus ex lapidibus uiuis domũ cõstruens spiritalẽ, fidelium corda suorũ non tantum singula templa in singulis, sed unum ex omnibus templum fecit. Quibus dicit Apostolus: Nescitis quia templũ Dei estis, & spiritussanctus habitat in uobis? In quo spiritales hostię, per ipsum principẽ sacerdotũ offerũtur Deo. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraq; unũ. Pacificus Solomon omne tẽpus cum gentibus habuit B quietum, pacem dño largiente. Qui cum se totum sapiẽtiæ dedisset, sententias quasq; & icas, id est, immortales partes ascribẽs, ænigmata etiam mystica dum cõderet præclarè, regni ipsius fama nuntij sparsa est per orbem. Ad uidendũ igitur talem regina Austri uenit à finibus terræ audire sapiẽtiam Solomonis. Cuius cum miraretur doctrinã, muneribus oblatis, laudibus præferens præsentiã, eius à conspectu discessit. Hoc ex facto rex noster CHRISTVS dominus Iudęos increpat, quòd regina Austri omnes moras regiasq; necessitates abrumpẽs, neq; granditate itineris præpedita, omni cũ festinatione uenerit uidere atq; audire sapientẽ: ipsi uerò ultro ad se uenientẽ sapientiã ipsam contempserunt. Meritò dicit exurgere hanc in iudicio cum illa generatione, & cõdemnare eam. Sed hæc regina nostram sanctam ostendit ecclesiã: de qua dicitur ipsi regi nostro: Astitit regina à dextris tuis, quæ ab ortu solis usq; ad occasum nunc accurrit Christũ dominũ audire sapientiã: laudans nomen domini muneraq; offerẽs, quoniã sublimia fecit uniuersa. Itaq; quæ de Solomone dicta uel ab eo Propheticè gesta sunt, rectè Christo domino consignãtur. Cæterùm ipse, ut suprà dictum est, elatus, in senio fornicatus mente & corpore, domino ipsum deserente, malè obijt. Metuendum exemplum posteris relinquẽs, ne felicitate huius uitæ turbati Christum deserant, qui est suorum æterna felicitas.

Matth. 10. Psalm. 20. Psalm. 118. 3. Reg. 6. 3. Reg. 2. Esa. 66. 1. Cor. 3. 1. Pet. 2. Ephes. 2. 3. Reg. 10. Matt. 12. Luce 11. Psalm. 44.

Prædictio: In Roboam scissuram hæresum, è quibus Christus suas colligit oues.

Prædictio:

Prædictio facta & figurata. In Regum credita & uisa. CAP. XXVIII. C

3.Reg.11. REgnante Roboam filio Solomonis, & tam suo quàm etiã peccato paterno constricto, cum penè totum post idolorũ culturam peruerteret Israël, regnum è manibus eius scissum est. Hieroboã quippe seruus Solomonis, iudicio diuino in undecim tribubus ampliorẽ regni partem suscepit. Per quã diuisionẽ Samaria & Hierusalẽ regum Iuda & Israël, suorum principum per successionẽ ordinem seruauerũt. Sed hæc hæreticorũ schismaticorumq́ꝫ, sicut sæpe dictum est, ostentat figurã: donec ille qui unitatẽ
Ioan.10. facit & diligit, alias oues quas habet extra suum ouile, sua gratia illustrãte adducat, ut, sicut promittere dignatus est, sit unus grex & unus pastor. Non omnes nunc in ordine exequimur reges, sed eos tantum quorũ temporibus aliqua uel gesta uel dicta sunt, quæ redemptoris nostri nuntiarũt
3.Reg.16. aduentum breuitatis intuitu, & lectori fastidium minimè inferẽtes. Achab igitur pessimo rege regnante in Iudæa, Helias propheta ad arguendũ regem & populũ mittitur, quòd relicto Deo secuti fuerint Baal. Cumq́ꝫ Hiezabel uxor Achab regis incõprehensibili iudicio illo Dei, quo datur pote-
3.Reg.17. stas malis, Prophetas domini occidisset, Helias orãdo in sterilitate à facie se regis abscõdit. Suppletoq́ꝫ triennio & sex mẽsibus cùm totã Iudæã sæua
3.Reg.18. fames affligeret, Helias iubetur seipsum præsentare regi. Cumq́ꝫ domino, interfectis omnibus Prophetis, solum se relictum esse dixisset, ait ei respõ-
3.Reg.19. sum diuinũ: Reliqui mihi septem milia uirorũ qui nõ curuauerunt genua ante Baal. Hinc etiam sanctorũ comprimitur elatio, ne quis se in quolibet D bono opere arbitretur necessariũ Deo. Cum omne opus suum per quem
Psalm.118. uult impleat Deus, quoniã omnia seruiũt illi. Homo enim Deo, non Deus
Psalm.15. homine indigere mõstratur. Vnde ait ille sanctus Propheta: Dixi domino Deus meus es tu, quoniã bonorũ meorum non eges. Helias uerò quæ fuerant diuinitus imperata, coram rege & populo, per mysticũ illud sacrificiũ uespertinum, ignem cœlitus imperãdo perfecit. Quo noster per figuram uitulus immolatus sacerdotes omnes idololatriæ, sicut Helias cum ipso errore Baal simul extinxit, replens terram gratiæ pluuia, qua fames fide-
3.Reg.17. lis animæ repellatur. Quòd uerò in eremo constituto eidem Heliæ, iussu diuino corui manè panem, & carnes uespere ministrarunt, totius corporis domini figura monstrata est, quando prius in præceptis panem, posteà carnem dominicæ passionis Iudæi, ut corui, gentibus ministrarunt, tetri colore, uoce raucisona, odore fœtidi, horrentes aspectu. Quibus auibus similes Iudæi, carnem crucis ex ligno decoctam gentibus præparantes, ut
Matth.26. corui una & raucisona uoce Pilato clamauerũt: Crucifige, Crucifige. Hãc
Ioan.6. comedunt, qui audiunt dicentem: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem huius, non habebitis uitam in uobis. Tria tamen etiam hic tempora & dimidium temporis in tribus annis & sex mensibus (sicut & superius memorauimus) cœlestis pluuia Dei alto iudicio negatur eis, qui carnem eius non comedentes, neq́ꝫ eius sanguinem bibendo redempti, ab eius corpore inueniuntur alieni.

Promissio:

A *Promißio: In Helia Christum, & in uidua misericordiæ principatum.*

Promißio facta & figurata.

CAP. XXIX.

Dixit dominus Heliæ: Vade in Sarepta Sidoniæ: ecce enim mandaui 3.Reg.17.
mulieri uiduæ, ut pascat te illic. Et hic mysticas actiones spiritalis lector agnoscit. Neque enim defecerat omnipotens, quanto uellet tempore per easdem aues suum pascere Prophetam. Quem tamen necessarium uiduæ sciebat, cui ex fame copiam, potentia uerbi, per suum ministrum uoluit præparari. Hanc uiduam in agro duo minuta, ut duo præcepta colligentem diuino nutu prospiciens Helias, actus etiam spiritalis sitis ardore, aquam à muliere poposcit. Quæ dum pergit afferre, & pusillum panis petit ab ea Propheta. Illa uerò testando dicit modicum se farris habere in hydria, & parum olei in oleario, unius scilicet & cum liberis diei uictum, quo absumpto esset moritura cum liberis. Ex hoc ipso sibi Propheta prius offerri iubet, tum etiam sibi suisque filijs præparandum: ut misericordia primum occupet locum, quam præire ante faciem Dei scriptura testatur. Ex ipso enim omnis copia. Quoniam hæc dicit dominus, ait Helias, hydria farinæ non deficiet, & capsaces olei non minuetur usque in diem quo dabit dominus pluuiam super terram. Sic anima misericors fœneratur Deum, sic dum dat in necessitate, sibi cõsulit ad salutẽ. Sic repletur anima,
B quæ corpore abscedente domino, castigantem diligẽs, unius thori fidem pudico amore custodit, sacramento farris & olei unctione munita, secura
expectans gratam pluuiam. Cum ei dixerit dominus: Euge bone serue & Matth.25.
fidelis, quoniam in modico fidelis fuisti, supra multa te constituam: intra in gaudium domini tui. Cuius in similitudinẽ & illa laudatur à domino,
quæ duo minuta uidua dum mitteret in gazophylacium, plus omnibus Luce 21.
eam misisse dixit ille qui uidit, quia sibi nihil dimisit.

Promißio: In Helisæo discipulos Christi, duplum accipientes spiritum.

Promißio facta & figurata. In Regum credita & uisa.

CAP. XXX.

Helias discipulum Helisæum reliquit, quia tempus assumptionis suæ 4.Reg.2.
domino reuelante cognoscens ait discipulo: Pete tibi aliquam petitionem priusquàm tollar à te. At ille ait: Volo ut spiritus, qui in te est, duplum in me fit. Dixitque ei Helias: Dure petisti, ueruntamen si me respexeris euntem, fiet tibi. Hac promißione factus certior Helisæus, ut optato petitionis suæ omni ex parte potiretur, ita inhæsit magistro, ut nulla eum ab illo necessitas sequestraret. Cumque Propheta studium uellet exercere discipuli, necessariò se per deuia sequi illum sustinentem imperat. At ille ait: Viuit dominus, & uiuit anima tua, si dimisero te quocunque ieris. Hoc

actum

actum est, donec ad eum peruentum est locum, ubi curru igneo susceptus, C
quasi usque in coelum peruectus est. Atque ita intentio discipuli uigilauit, ut raptum sibi magistrum fletu ac uoce magna sequeretur, dicens: Pater mi Helias, Pater mi auriga Israël. His uocibus perculsus Helias, spiritale illi uiaticum ac pignoris donum, suum palliolum dimisit. Quo percepto rescisso ex eo, & percusso ex eo Iordane fluuio, quem per seipsum non ualuerat, pallij adiutorio pertransijt. Vnde & Prophetarum filij dicunt, Requieuit spiritus Heliae super Helisaeum. Et in hac mystica actione, similitudo domini & magistri nostri IESV CHRISTI. Cum enim dixisset
Ioan. 14. discipulis suis: Qui credit in me, opera quae ego facio, & ipse faciet. Vt dupla se dona Christus dedisse ostenderet, adiecit: Et maiora horum faciet. Sed hoc inhaerentibus his, & duplum spiritum hoc modo infudit. Semel
Ioan. 20. post resurrectionem, quando insufflauit in facie eorum, dicens: Accipite spiritum sanctum. Si cui dimiseritis peccata, dimissa erunt: si cui detinueritis, detenta erunt in coelis. Secundò uerò cum nube susceptus uectantibus angelis, ipsis quoque discipulis oculis deducentibus, ait: Vos sedete in
Luce 24. ciuitate, donec induamini uirtutem ex alto. Isque die Penthecostes in linguis igneis donum sanctum spiritum misit. Non hic duos spiritus intelligere debemus, cum unus sit spiritus sanctus, sed ipse idem spiritus est, charismatum dona dispensans: ita multipliciter praerogatus ab ipsa indiuidua trinitate, ut in ea non duo, sed unus sit spiritus. Quoniam, ut Paulus
Ephes. 4. apostolus dicit: Vnus Deus, una fides, unum baptisma, unus spiritus. D
Vnde & ipse Helisaeus non ait magistro, spiritus. Quem exposuit dominus cum dixit: Donec induamini uirtutem ex alto. Vt ampliora per eos
Matth. 9. faceret, quàm fecerat per seipsum. Tactus nanque fimbriae à fluxu sangui-
Actuum 5. nis mulierem sanauit. Discipulorum uerò umbra infirmitates omnes. Ipsi resurgenti, palpantes uidentesque uix crediderunt, etiam ipsi discipuli. Ascendenti in coelum, illis praedicantibus, in eum, quem non uiderunt, totus credidit mundus. Postremò amplius est impium iustificare, quàm resuscitare mortuum. Quae omnia per suos discipulos idem ipse fecit, qui
Ioan. 15. eis hanc tribuit potestatem, dicens: Sine me nihil potestis facere.

Promissio: In eodem Helisaeo, cùm mortuum figuratum Christus dominus gratia suscitauit.

Promissio facta & figurata. In Regum credita & uisa.

CAP. XXXI.

IDem ipse Helisaeus dum excurrit per diuersa annuntians uerbum domini, quaedam eum mulier Sunamitis hospitio suscepit. Cui pro munere, sterilitate sublata, filium ei impetrauit à domino. Quae suscipiens paruulum enutrijt. Adultus uerò cum patre in agrum dum pergeret, solis ardore percussus, recurrens domum, aestuans in sinu matris spiritum emisit. Statim mulier ad hominẽ Dei recurrit, in Carmelo pedibus eius prouoluta, filium, quem eius gratia susceperat, nuntiat fuisse defunctum.

Celatum

A Celatum sibi hoc à domino Propheta miratur. Vt nostri domini Iesu totam figurā impleat prophetia, qui cum omnia norit, aliqua se nescire simulat. Vt est illud de Lazaro: Vbi posuistis illum? Et: De die & hora nemo scit, neq; angeli, neq; filius. Cum eo die & ea hora ipse uenturus sit filius. Et illud: Narrantibus duobus discipulis de passione eius & dicentibus ei: Nescis quæ facta sunt in Hierusalem ante tertium diem? Et ipse in quo facta sunt nescienti similis dicit, Quæ? Sed hæc quæ celantur, aut in magno agūtur mysterio, aut initio cordis extēditur in Deum, ut quantū non capit, auidius nosse quærat. Et cum quęsita non intellexerit, amplius metuat, sciens diuinū esse atq; profundū, quicquid mortalibus nosse fuerit denegatum. Agit uerò Helisæus quę sunt dominicæ actionis sacramēta. Mittit per seruū suū baculū, quem supra exanime corpus positū, mortuum uitæ restituat. Misit & dominus per Moysem seruū suū legem, quæ mortuū mundū sicut illud baculū uiuificare nō potuit. Quia si data esset lex, quę posset uiuificare, ut Apostolus dicit, omnino ex lege esset iustitia: quia litera occīdit, spiritus autē uiuificat. Postea ipse Helisęus descēdit magnus ad paruū, saluator ad saluādū, uiuus ad mortuū. Descēdit & noster dominus. Qui descēdit ipse est, & qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia, quæ mysticē gessit Helisæus. Vt enim mortuū paruulū suscitaret, iuuenilia mēbra cōtexit. Et dominus IESVS seipsum exinaniuit formā serui accipiens, paruum se illi paruo coaptauit, ut efficeret istud

Ioan. 11. Matth. 24. Luc. 24. Gal. 3. 2. Cor. 3. Ephes. 4. Phil. 2.

B corpus humilitatis nostræ cōforme corpori gloriæ suæ. Iacens subter se frigidū, suo calore succendit. Similiter & noster saluator dominus mundum, à cuius calore nō est iam qui se abscōdat, insufflauit ille tertiò iacēti, ut trina cōfessio infunderetur credenti. Sic suscitatus est mortuus, dum à morte perpetua iustificatus est impius. Multa & uaria signa spiritus domini fecit per Helisæum, sicut eadē Regū narrat historia. Quæ omnia persequi longum est. Pauca tamē exequar, cum sint cuncta signa futurorum CHRISTO domino coaptanda, qui per Esaiam dicit: Spiritus domini super me, propter quod unxit me, bene euangelisare pauperibus misit me, dimittere quassatos in requiem, reddere captiuis libertatem, & cæcis uisum. Iordanem Helisęus eo spiritu operante transījt, quo noster dominus Iesus eundem fluuium suo in baptismo consecrauit. Insultantes sibi Propheta bestījs tradidit pueros. Et noster Iesus dominus de paruulis in Paulo dicit: Nolite pueri effici mentibus. E quibus quosdam bestījs tradidit, ut discant non blasphemare. Rex Israël ad perimendum Heliam quinquagenos uiros tribus uicibus cum tribunis misit, quos cœlesti incendio Propheta consumpsit. Dicitur etiam de nostro Propheta & domino, quòd ignis ante eum ardebit, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Ipsum postea regem cum omni exercitu se obsidione uallantem, quadam cæcitate percussos hostes, captiuos in Samariam induxit. Quibus reddito uisu, simul & indulgentiam impetrauit. Hæc licet in multis signentur, euidentius tamen in Paulo & qui cum eo ecclesiam insequebantur

Phil. 3. Psal. 18. Esa. 61. 4. Reg. 2. Matth. 3. 1. Cor. 14. 4. Reg. 1. Psal. 96. 4. Reg. 6. Act. 9.

bantur, dominus ostendit. Cæcatus quippe prostratusq; in uia captiuus C
Dei dum fieret, reddito lumine, qui fuerat persecutor, factus est prædica-
1. Tim. 1. tor. Atq; in ipso ostendit Deus omnem longanimitatẽ ad informationem
eorum, qui credituri sint illi in uitam æternam. Item Naaman Syrus ami-
4. Reg. 5. cus regis ad regem Israël directus est, ut ab Helisæo lepræ macula mun-
daretur. Quem respiciens homo Dei, iussit eum in Iordane tingi, si uel-
let corporis sui maculas auferri. Quod cum faceret, mundatus est. Mune-
ra homini Dei offerenda credidit, quæ iure diuino renuens, gratiam gra-
tis datam nostri præsignauit CHRISTI domini, quam in Euangelio
Matth. 10. suis discipulis commendauit, dicens: Gratis accepistis, gratis date. Se-
ptiformi spiritu mundari animam à uitijs, quibus interior exteriorq; ho
mo polluitur, aqua etiam ipsa demonstrat, qua tinguntur consecrati in
nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Giezi uerò puer Prophetæ, qui se-
cutus Naaman Syrum composito mendacio uendere uoluit, quod Pro-
pheta gratis dederat, ea lepræ percussus macula, qua ille mundatus fue-
rat, hæreticorum figuram ostendit. Qui suæ rapacitatis cæcitate com-
pulsi, dum uenditant suis uelut expiationes uidelicet peccatorum, ipsi
quoque maculis, quibus illi fuerant aspersi, insigniuntur. Vt meritò au-
Matth. 25. Psal. 6. diant à domino: Non noui uos: Discedite à me omnes qui operati estis
iniquitatem.

Prædictio: In Ezechia, qua suos Christus docet in bono non debere efferri. D

Prædictio facta & figurata. In Regum credita & uisa.

CAP. XXXII.

DVm alternanter reges Israël, alij à uijs domini declinantes errori-
bus implicantur, alij fideliter uiam domini gradiuntur, ad Ezechiam
regem ordo perductus est. Hic exterminãs omnia simulachra, omnemq;
idolorum culturam subuertens, penè totum Israël errantem conuertit ad
dominum. Huic diuinum datum est responsum, ut ordinare ac dispone-
4. Reg. 20. re deberet domum suam, quòd ipse iam iret in mortem. Qui cum flens
orasset, dicens: Memento domine quo modo ambulauerim in uia tua:
duodecim anni sub hoc signo ei adijciuntur ad uitam. Duodecim enim
gradus sol, cursu quo ascenderat, descendit. Quod mirè euenisse finiti-
mi dum aduerterent reges, nuntios ad Ezechiam miserunt, quærentes
quidnam illud esset ostenti, elatusq; in bono non tantum pro se factum
narrat, quantum & iactantiæ gratia uniuersa regalia eis domus suæ &
Esa. 39. uasa ostendit. Indignatusq; dominus per Prophetam Esaiam regem in-
crepat, testans uenire dies, quibus illa omnia quæ monstrauerat, capti-
ua in Babiloniam cum populo ducerentur. Nec immeritò noster Rex per
Apoc. 3. Apostolum Ioannem in Apocalypsi nos admonet, dicens: Tene quod
Apoc. 6. habes, ne quis alius accipiat coronam tuam. Item alibi: Beatus qui uigi-
Matth. 6. lat, & seruat uestimẽta sua, ne nudus ambulet. Et in Euangelio: Non sciat
sinistra

A sinistra tua quid faciat dextera tua: admonens in bonis operibus, quæ Dei dona sunt, non esse in homine, sed in domino gloriandum: ne quod humilis accipit, superbus amittat. 1. Cor. 1.

Prædictio: In regibus peccantibus, qui secum populum in captiuitatem ducunt.

Prædictio facta & figurata. In Regum credita & uisa.

CAP. XXXIII.

Regnante Iosia, atque Sedechia filio eius, populus omnis Israël utilia uincla legis, quibus regebatur, abrumpens, multis ex grauibus causis totius pietatis autorem Deum, ad magnam iracundiam prouocauit. Hieremiam prophetam ad obiurgandum corrigendumque regem & populum dominus misit prædicens: Si conuersi legis mandata seruarent suo in loco semper manere illæsos: si uerò morientem contemnerent, in Babyloniam ire captiuos. Spretis igitur & mandatis, & prædicantis uerbis, dum malis ausibus rex & populus suis peccatis urgentibus premerentur, sententiam diuinam Hieremias plebi iam captæ & regibus per epistolam expressit, dicens: Propter peccata quæ peccastis ante Deum, ducemini in Babyloniam, & eritis illic per tempus longum usque ad generationes septem. Rex igitur Nabuchodonosor comprehensis regibus Iuda totumque Israël captiuum transmigrauit in Babyloniam, effossis oculis in B itinere regi Sedechiæ. Vt duorum prophetarum de eodem rege prædicta implerentur. Hieremias dicit, uisurũ regem Babyloniam: Ezechiel, nõ uisurum. Qui dum sibi quasi contrariare uisi essent, hoc modo utrumque uidetur impletũ. Cum exemptis oculis adductus Sedechias Babyloniam, & uidit, quia præsens fuit, & non uidit quia in uia oculos perdidit. Admonet noster dominus suos huius exemplo, & dicit: Ambulate dum lumen habetis, ne uos tenebræ comprehendant. Contemptores uerò mandatorum suorum etiam reges cæcos esse, idem dominus in Euangelio dicit: Cæci sunt duces cæcorum. Cæcus autem dum cæcum ducit, simul in foueam cadunt, quæ est dura captiuitas animæ impœnitenti: de qua dicitur, Dedi illi tempus, ut pœnitentiam ageret, & pœnitere non uult. Sic donec suppleretur mensura per annos septuaginta, in Babylonia populus ille captiuus fuit. Vasa sanè omnia templi Dei, idem rex Nabuchodonosor per suos arripuit. Væ peccatis hominum, dum pro his sacrificia ipsa conculcantur ab exteris, quæ semper pro remedijs fuerunt in salutem. Quo gemitu, quibus amarissimis fletibus, qua animi angustia hæc descripserit Hieremias, Threni eius indicant, tabernaculũ domini fuisse pollutum, diem festum ductum in obliuionem, sabbata omniaque solennia exterminata. Sacerdotes & principes, paruulos, senes, iuuenes uirginesque suas gladium comedisse, partem remãsisse captiuam. En dolorum nostrorum ulcera, en luctus nostri opprobrij, en peccata grandia, quorũ ex causis etiam nos hæc uidere meruimus, amplioreque pœnarum plaga quasi

Marginalia: 4. Reg. 22. — Hier. 24. — Hier. 20. — 4. Reg. 25. — Hier. 25. Ezech. 34. — Ioan. 12. — Matth. 15. — Thre. 1.

uulnerati curari nolumus: eliſi ſtare nos credimus, expulſi exiliatiq́, ut C
oportuit, nō dolemus, ſatisfactio nulla, mœſtitia nulla, manet ira, nec ue-
niam poſtulamus. Hæreditas noſtra conuerſa eſt alijs: domus noſtræ, pe-
regrinis. Sic caſtigati non plangimus, ſic emendati nolumus ſuſcipere di-
ſciplinam. Recedamus à malis quibus dominum offendimus, pœnitea-
mur in his quæ ſacratis eius contumelioſa ingeſsimus. Superbia noſtra
humilitate curetur. Collatum tempus remedijs nō ſpernamus, ne is quem
placidum mitemq́ ſenſimus, iracundiam nō pœnitentibus æternam con-
ſtituat pœnalemq́ ſententiam. Paratus eſt enim ignoſcere ille dominus
Zach. 1. qui dicit: Conuertimini ad me, & conuertar ad uos. Si modo uoces filij
Luc. 15. cum pœnitentia reuertentis pius pater agnoſcat. In eandem captiuitatem,
Danielem & Ezechielem narrat hiſtoria prophetaſſe. Daniel uir deſide-
Dan. 1. riorum, qui Balthaſar à rege nuncupatus eſt, tres uiros gentis ſuæ amicos
habuit, Ananiam, Azariam, Miſaëlem. Omnis uerò eius prophetia my-
ſterijs licet plena ſit, quędam tamen pars eius ita elucet claritate ſui fulgo-
Dan. 9. ris, ut etiam tempus ſignauerit, quo uenturus eſſet ipſe ſaluator & domi-
nus. Duodecim ſanè cum ſint propheticæ uiſiones eius, in Hebræo decem
reperiuntur. Quas duodecim domino donante certa cum comparatione
Dan. 13. percurram. In prima contra impudicos ſeniores, caſtitatem Suſannæ de-
fendit. Hoc agit IESVS dominus dum aduerſus ſceleratos hæreticos,
eccleſiæ ſuæ integritatem tuetur, quam peruerſis ſuis diſputationibus ui-
tiare contendunt. Quos etiam per apoſtolum Paulum notat, dicens: Ex D
2. Tim. 3. his ſunt qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas
peccatis, quę ducuntur uarijs deſiderijs. In ſecunda ipſe Daniel ſuiq́ ami-
ci ſtatuerunt legis ſuæ mandata ſeruantes, ex cibis menſæ regis, quibus
cęteri eorum ſodales ueſcebantur, non cōtaminari. Deſiderijs huius mun-
di non ſolum contaminatus non eſt noſter magiſter & dominus, uerum
1. Ioan. 2. etiam ſuos amicos prohibuit, dicens: Nolite diligere mundū neq; ea quæ
in mundo ſunt. Omne enim quod in mundo eſt, cōcupiſcentia carnis eſt,
& concupiſcentia oculorū, & ambitio ſeculi. Quæ omnia, uelut eſcas illas
regias, repudianda oſtendit. Et per apoſtolum Paulum euidentius man-
1. Cor. 6. dans: Eſca uentri, ait, & uenter eſcis. Deus autē & hunc, & has euacuabit,
ut ſit animæ unus cibus ipſe ſaluator, qui ei uarios diuerſosq́ ſapores ex-
hibeat. In tertia ſacramentū diuinę diſpoſitionis, quod regi oſtenſum fue-
Dan. 2. rat. Itaq; erat oblatus, non humana doctrina Daniel qua inſtructus erat,
ſed domino reuelante, & ſomnium & interpretationem ſomnij regi nar-
rauit. Quatuor regna in quatuor metallis, è quibus ſtatua formata ante
faciē eius aderat. Mundo exurgere caput aureū, ipſum eſſe Babylonicum
Oriētis: Pectus & brachia eius argētea, Macedonū Septētrionis: Venter
& femora ærea, Punicū Meridiani: Crura ferrea & digiti pedum partim
ferrei, partim fictiles, ultimū Romanū uidelicet Occidētis, ſicut & uir eru-
ditiſsimus Oroſius hiſtoriographus poſuit. Quod regnū tanquā ferrum
cōminuit omnia, & domuit. Chriſti quoq; regnum his ſubiungit Daniel,
in lapide

A in lapide abſciſſo de monte ſine manibus cōcidentium, tanquam ſine manibus complectentium, Deum hominem ex uirgine natum. Qui cum illā ſtatuam percuſsiſſet, omnes eius partes redegit in puluerem, eaq; auferēs ſpiritus uentri, locus eius inuentus non eſt: ipſum autē lapidem, qui percuſsit ſtatuam, factū eſſe montem magnū & impleſſe omnē faciem terræ. Vacuatis enim omnibus regnis, regnum CHRISTI domini exurget, quod nulli alteri populo relinquetur, quoniā permanebit in æternū. Hoc nunc orādo omnis eius petit eccleſia, cum dicit: Adueniat regnum tuum. Luc. 11.
In quarta, ſtatuam imaginemq; ſuam Nabuchodonoſor quam ſtatuerat adorandam, cum tres prædicti amici Danielis adorare noluiſſent, camino Dan. 3.
detruſi, illud mirum diuinitas præbuit, quòd fugato incendio ipſos potius miniſtros regiæ iuſsionis uorax flamma conſumpſit. Tres uero uiri illæſi, hymnum regi uero dum canerēt in medio camini, ſecum filium Dei habere meruerunt. Quem reuelante gratia rex ipſe cognouit, qui ſuos ueros adoratores figmenta uaniſsima contemnentes è flammis præſentis ſeculi ad cœleſtem gloriam perducit triumphantes. Ioan. 4.

Prædictio: In Daniele, qui Chriſtum dominum ſuis uiſionibus enarrauit.

Prædictio facta & figurata. In Daniele credita & uiſa.

CAP. XXXIIII.

B QVinta uerò uiſio continet ſomnium eiuſdem regis, quod Daniel ita interpretatus eſt: arborem magnificam quam uiderat, ſub cuius ramis omnes beſtiæ, pecora, aueſq; habitarent, ipſum eſſe regem: præcidendam uerò cum dominus iuſsiſſet, ſeruata duntaxat radice: regnum eius auferendum ab eo, ipſumq; cum beſtijs manſurū. Capillos eius, ut mulieris: & ungues eius, ut aquilæ creſcere. Fœnum ut bos edere, donec ſeptem diuinitus iuſſa complerentur. Dans cōſilium regi eleemoſynis ſua peccata redimere debere, quod cum facere nequiuiſſet, prædicta omnia regi aduenerunt, ſuppletaq; menſura temporum, regnum quod amiſerat recuperauit. Sic præſumptores cædūtur, ſic caſtigantur ſuperbi ab eo, qui potat in lachrymis in menſura, quia ſunt iudicia eius ſuauia. Sic Petrum apoſtolū negantem, dum reſpectum flentem uideret, in eum locum reſtituit, quem præſumptor amiſerat. Sic in ſuis interfectoribus ſacrū eius ſanguinē propinauit bibendū, quò regiā ſuſciperent dignitatem. Sic quotidie rex noſter lapſos reparat, quibus collatæ gratiæ cœleſtis regni donū ſeruat in poſterum. In ſexta ex quatuor ſibi apparētibus beſtijs illius ſupradictę, quatuor partiū orbis regna confirmat. Quibus quartā beſtiā grandiorē fuiſſe atq; terribilē, idem Propheta teſtatur, habentē cornua decē, ac de medio eorū cornu aliud paruū aſcendēs, tria ex illis ante faciem eius excuſſa ſunt cornua, donec uetuſtus dierū ſedit in iudicio. Sed hæc eo modo ſunt expoſita, quo regna illa quatuor ſibimet ſuccedentia. Beſtia quarta, quæ omnibus regnis eminēs domauit omnē terram, ſubiecitq; eam, poſt ipſam

Dan. 4. Pſal. 79. Luc. 22. Dan. 7.

g 3 uno

uno tempore decem reges exurgēt. Et post eos, ille qui nomen perditionis C
suæ, id est, Antichristi, portaturus est. De quo suo loco, ut iam promis-
sum est, diuina testimonia proferentur. In septima ex ariete & hirco,
Daniel. 8. Persarum atque Græcorum sibi prælia reuelata describit. Sub perso-
na quoque Antichristi, qui corde suo dum magnificabitur, dolo corrum-
pet multos, donec ueniat qui uenturus est IESVS dominus, & non
tardabit. In octaua idem uir desideriorum Daniel, prouidam iustitiam
Dan. 5. Dei iudicantem reges superbos ea ratione insinuat, qua Balthasar rex cœ-
nam faciens principibus suis, uasa templi Dei quæ Nabuchodonosor
pater eius abstulerat sublata, biberit in eis concubinis principibusq́; suis,
laudans deos suos aureos & argenteos, ligneos & lapideos. Statimq́; in
conspectu eius exierunt articuli manus hominis, & scripserunt in pariete
regis domus: qua uisione turbatus rex, cum omnes, quos habuit curio-
sos, scripturam legere nequiuissent, Daniel accitus, causa uasorum do-
mus Dei id factum fuisse regem constanter obiurgans, scripturam etiam
recitauit, Mane, Tethel, Fares, eamq́; interpretatus est. Mane, Numerauit
Deus regnum tuum, & impleuit illud. Tethel, Ponderatus es, & inuentus
es minus habens. Fares, Diuisum est regnū tuum, & datum est Medis &
Persis. Promissa itaque munera quæ Daniel abnuerat, cum rex contulis-
set Prophetæ, suppleto uitæ cursu, ut prædictum fuerat, regnum reliquit
Medis & Persis. Videant uideāt superbi reges, qui ausu mentis suæ uasa
domus Dei diripiētes quæ iustè ille ministris peccātibus tradidit, sine ulla D
reuerentia contrectātes, Deo, cuius nomine consecrata sunt, uidētur con-
tumelias irrogasse. Quorum finis utique mors est, quæ non habet finem.

*Prædictio: In eodem, dum eum de lacu leonum eruit, ut Chri-
stum dominum à Iudæis.*

Prædictio facta & figurata. In Daniele credita & uisa. CAP. XXXV.

Dan. 6. IN nona: Darius Medus successit in regnum: qui cum satrapas centum
uiginti statueret in regno suo, tres ei præpositos constituit. Daniel unus
erat ex tribus gratiam habens in oculis regis. Exquirūt inuidi aduersum
Dei seruum consilium, ac regi persuadent diebus triginta petitionem à
nullo Deo uel homine, nisi à solo rege esse poscendam. In ea pœna inter-
posita, qua si quis præceptum regis contemneret, in uiuarium missus leo-
nibus in esca daretur. Quod præceptum propositum reperiens Prophe-
ta, dominum suum tribus temporibus diei solita oratione precatus est.
Detentum ut contumacem, regi offerunt, quem cum eripere inuidis non
ualeret, Deo suo Prophetā sub hac confessione dimisit, qua eum de mor-
tis periculo solus possit eruere. Quod & factum est. Ex hac tamē mœstitia
incœnatus rex, dū neq; cibū, neq; somnū caperet, diluculo ad uidēdū Da-
nielē ipse perexit. Quē uiuū illæsumq́; respiciēs, Deo uero dās gloriā, edu
ci de lacu præcepit, eosq́; qui Danielē criminati erāt, in lacū misit, & deuo-
rati sunt cōtinuò in cōspectu eius. In his etiā suppleta est prophetia, dicēs:
Qui

A Qui foueā fodit proximo, incidet in eam. Et qui ſtatuet laqueū proximo, Eccl. 27.
deperibit in illo. Et ipſe noſter Ieſus dominus, in quo omnia iſta figurata
ſurgebant, per Prophetā dicit: Foderūt ante faciem meam foueā & incide- Pſalm. 56.
rūt in eam. Et iterū: Miſit dominus miſericordiā ſuam & ueritatē ſuam, & Pſalm. 7.
liberauit animam meā de medio catulorū leonū. In Decima: Propinquan-
te fine tēporis ſeptuaginta annorū deſolationis Hieruſalem, quā per Hiere Hierem. 9.
miam Prophetam dominus prędixerat. Daniel cum omni fletu & ieiunio
orationē fudit pro ſe ac pro delictis populi ſui, miſerationē domini implo-
rans. Oranti Gabriel aſtitit archangelus, eiq; futura myſteria reuelauit, ſe-
ptuaginta hebdomadas breuiatas eſſe in populo eius, & in ciuitatē ſanctā,
ut conſummarētur peccata, & ſignarētur delicta, & ut finiatur iniuſtitia, &
adducatur iuſtitia ſempiterna. Impleri quoq; uiſus Prophetarū & ungi ſan
ctum ſanctorū ab exitu ſermonis in reſpondendo. Et iterum ædificabitur
Hieruſalē uſq; ad Chriſtum ducem hebdomadæ ſeptem, & hebdomadæ
ſeptuaginta duæ. Et rurſum ædificabitur platea & muri in anguſtia tem-
porum. Et poſt hebdomadas ſeptuaginta duas, interibit chriſma, & iudi-
cium non erit in eo. Vel ſicut Hebræus habet interpres: Occidetur Chri-
ſtus & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt. Et ciuitatem & ſan-
ctuarium diſsipauit populus cum duce ueniente, & finis eius uaſtitas, &
poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmauit autem pactum multis he-
bdomada una, & in medio hebdomadæ deficiet hoſtia & ſacrificium, & in
B templo erit abominatio deſolationis, & uſque ad conſummationem & fi-
nem perſeuerauit deſolatio. Ad confutandum errorem Iudæorum hæc
ſibi reuelata ſcripſit Daniel. Qui ergo expectant adhuc uenturum Chri-
ſtum, credituri ſunt Antichriſto. Sic enim eos dominus IESVS in Euan-
gelio increpat, dicens: Ego ueni in nomine patris mei, & non crediciſtis Ioan. 5.
mihi: alius ueniet in nomine ſuo, & ipſi credetis. Labore ingenioq; ma-
gno beatæ memoriæ Hieronymus, per ſupputationes annorum regum
Babyloniæ, ſeptuaginta hebdomadas, uſq; ad noſtri redēptoris natiuita-
tem CHRISTI domini annos quadringentos nonaginta perduxit, ſe-
iungens ſeptem in reſtaurationem templi hebdomadas, ſexaginta & duas
uſq; ad domini natiuitatem, & uſq; ad paſsionem ipſius, & unam uaſtatio-
nis quæ facta eſt à Veſpaſiano duce, uel Tito filio eius. Inimici igitur do-
mini Iudæi fallentes ſemetipſos, cum multiplicia Prophetata de Chriſto
ad quaſque ſuorum regum perſonas referre contendunt, huic prophetæ
Danieli uolentes nolenteſq; colla ſubmittūt. Qui non tantū ſigna omnia
ſupradicta conſcripſit, quantum etiam tempora ipſa aduentus domini de-
ſignauit. Quæ omnia luce clarius impleta omnis iam mundus agnoſcit.
Gloriam igitur CHRISTI domini diffuſam in gentibus, eumq;, ut ſcri Pſalm. 65.
ptum eſt, omnem terram adorantē, Iudæi adhuc credere nolunt, nobiſcū
intuentes impleri omnia, quæ prædicta ſunt oraculis Prophetarū. In un-
decima eidem Prophetæ reuelata ſunt ſub perſona bellantiū regum, ipſius
facta Antichriſti, anguſtięq; ultimi temporis, reſurrectio etiam mortuorū,

Esa.17. qualiter impij, qualiter uel sancti resurgant. Hæc & Esaiæ, & Ezechielo ita C
ostensa sunt, quemadmodum eorum dicta Euangelica firmat autoritas. In
Daniel.11. duodecima spectaculum quoddam lætissimum, non tantum regi, quantū
etiam spiritalibus mentibus exhibuit Daniel: Bel quippe idolum, quod
Daniel.14. omnes Babylonij simul cum rege cultui habebāt, magnos regios apparatus
uelut quotidie comedens, quos sacerdotes cum suis per occultum intrantes
ostium consumebant. Daniel eorum fraudes subtili arte demonstrans, seri in pauimento templi cinerem suis præcepit. Signatis igitur foribus anulo regis, in posterum diem uenientibus, non illa ab illo figmento consumi, uirorum ac mulierum impressa uestigia demonstrarunt. Confessione etiam sacerdotū, occultum est illud ostium proditum, per quod in-
Daniel.15. troëuntes omnia deuorabant. Confracto itaque regia iussione figmento, draconem, quem simul ut diuinum suspiciebant, sine gladio & fuste ita peremit Daniel, quemadmodum sciebat corruptibilem posse corrumpi. Docens & ostendens unum & solum uerum Deum esse colendum, relictis uanis superstitionibus, quibus non tantum Babylonios, quantū etiam totum mundum sub potestate dæmonū captiuū teneri Propheta cernebat. A' quorum dominatu CHRISTI domini gratia liberādum, præconio etiā suo futuro tempore designauit. Sed quoniā, ut ait quidā, Veritas odiū
Gal.4. parit (unde & Paulus noster dicit: Inimicus factus sum uobis uerum prædicens) pro munere ueræ religionis ostensæ, in lacum Babylonij deuoran-
Daniel.5. dum Prophetā miserunt. Nec defuit diuina potentia, quæ & custodiā so- D
litam suo, & prandiū per eius socium ministraret incluso. Cuius ob meritum gratiæ, ferales leonū impetus in ouium mansuetudinē commutauit. Educto itaq; Daniele, cum rex miraretur illæsum, inimici eius in escā leonum dati sunt ut perirent. Non sine signo eius domini hæc acta sunt, qui
Psalm.17. pro suis orat, dicēs: Ne tradideris bestijs animam confitentē tibi. Rugiens
1.Pet.5. enim ille leo diabolus, qui circuit quærens quem deuoret, inimicos nostri Prophetæ Christi domini quos reperit, accepta potestate consumit.

Promißio: In Ezechiele, manifesta resurrectio per Christum dominum.

Promissio facta & figurata. CAP. XXXVI.

Ezech.37. EZechiel quoq; Propheta inter cætera quæ arcanis recondita scripsit, resurrectionem sibi ostensam, quæ futura est mortuorum, hoc modo initiauit. In campū se quendā adductū, qui erat plenus ossibus mortuorū. Illic potentia uerbi Dei unumquodq; os suis partibus coniungi, carnes, neruos, cutesq; ascendere, eisq; uitales auras infundi eo spiritu ipse uidit,
Ezech.28. quo nos futuram speramus & credimus resurrectionem. Multa quoque sub figura regis Tyri de Antichristo narrans, describit etiam ciuitatem, quæ congregatur in gentibus & lapidibus uiuis, Hierusalem cœlestem.
Ezech.34. Cuius portam Orientalem clausam semper ostendit, dicens: Hæc porta clausa erit, solus princeps sacerdotum transibit per eam, & ipsa clausa erit

A erit principi. Mariæ uirginalem uterum ſignans, quæ ſemper uirgo inte-gra protulit ſaluatorem. Solus enim CHRISTVS dominus, ut ait beatæ memoriæ Auguſtinus Epiſcopus, per inuiolata matris uirginea uiſcera, membra infantis eduxit, qui poſt reſurrectionem per clauſa oſtia membra infantis eduxit, iuuenis introduxit. Solus peccatum non habens infantilis ætatis exortu, qui peccatum non habuit grandioris ętatis acceſſu, ipſo dicente: Ecce uenit princeps huius mundi, & in me nihil inueniet. In Ioan. 14.
hac captiuitate Babyloniæ, etiam Eſdras ſacerdos & propheta fuit, qui gratus in conſpectu regis dum eſſet, & cum flentem rex aſpiceret, qua 2. Eſdr. 2.
ex cauſa triſtis eſſet ab eo perquirens, ſolennia regionis ac populi ſui agi ſolere eo tempore firmat, à quibus ſe alienum eſſe docebat. Dat rex eundi licentiam, iubetq́ꝫ reſtaurari templum Dei. Veniens quoq́ꝫ Eſdras ad Hieruſalem zelo legis accenſus, purgandam à uitijs primitus plebem ſtatuit. Quoniam rex ſapiens, ut Propheta dicit, populi ſtabilimentum eſt. Re- Sapien. 6.
perto itaque libro Moyſi oſtendit inter cætera, etiam huic iram Dei fuiſſe ſuccenſam, quòd contra Dei mandatum ex alienigenis ſibi populus accepiſſet uxores: perſuaſitq́ꝫ, cenſura qua ualuit, ſuas quiſque cum filijs proijcere mulieres. Nulla itaque tenenti carnali dulcedine cum ſibi uellent Deum eſſe propitium, incunctanter quæ fuerant imperata fecere, ut 3. Neem. 9.
populi Chriſtiani figuram oſtẽderet, quos admonet & princeps omnium ſacerdotum dicens: Si quis dimiſerit domum, aut agrum, aut uxorem, Matth. 19.
B aut filios cauſa nominis mei, & hic multiplicia accipiet, & uitam æternam conſequetur.

Prædictio: In Eſdra domus Dei, id eſt, per Chriſtum dominum reſtauratio.

Prædictio facta & figurata. In Eſdra credita & uiſa.

CAP. XXXVII.

TEmplum quoque Dei dum reſtauraret Eſdras, inuidia quorundam 2. Neem. 6.
malorum, qui ſocij fabricæ nec tamen ſocij religione eſſe uoluerunt, cum eos incircunciſos non ſuſciperet Eſdras, malitioſè regi inſinuantes ab opere templi ceſſatum eſt uſque ad Cyrum regnantem. Qui diuino 3. Neem. 2.
actus imperio ſuppletis annis ſeptuaginta, quos Hieremias ex ore domi- Hier. 25. & 29.
ni prędixerat, omnem populum ſimulq́ꝫ & uaſa domus Dei ex Babyloni- Eſa. 23.
ca captiuitate ad Hieruſalem dimiſit, adijciens munera rex, è quibus præcepit ut fabrica ſurgeret templi. Quod ſub Dario cœptum uſque ad perfectionem eius, quam Cyrus fieri & iuſsit, & iuuit, anni euoluti ſunt quadraginta ſex. De quibus Iudæi (domino reſtaurationem ſui corporis promittente ac dicente: Soluite templum hoc, & in triduo ſuſcitabo illud) non intelligẽtes illius dicti ſacramentum, dixerunt: Quadraginta & ſex Ioan. 2.
annis conſtructum eſt, & quomodo hic dicit: Triduo ſuſcitabo illud? A Solomone autem ea celeritate conſtructum eſt, qui omnia præparante Dauid patre repererat. Non ergo Solomonis fabricæ emenſa priora Iudæi dix

dæi dixerunt, sed Esdræ, cui, ne perficeret, fuerat interdictum. Reparato C
itaque templo ac muro Hierusalem, iuxta Danielis tempora constituta (quo exorante simul cum Zacharia populus mansit in Hierusalē) septuaginta hebdomadarum usq; ad CHRISTI domini natiuitatem, ut suprà diximus, tempora cucurrerunt. Cuius indulgentia, etiam nunc animæ de captiuitate seculi in compunctione cordis suppleta mensura, gratia & misericordia liberantur. Iucundantur enim pro illis diebus, quibus sunt humiliati, quibus uiderunt mala, donec aspiciat dominus super seruos suos
Psalm. 2. & opera sua. Seruiamus igitur domino in timore, & exultemus cum tremore, quousque reducamur ad ciuitatem, quam rex & sacerdos noster restaurat Hierusalem cœlestem, ut in templo corporis eius, quod triduo suscitauit, sacrificium laudis iugiter offeramus.

Prædictio: In eodem, cum in figura ecclesiæ parabolam pandit.

Prædictio facta & figurata. In Esdra credita & uisa.

CAP. XXXVIII.

3. Esd. 1. Rex Babylonię Artaxerxes dum suos uellet exercere captiuos, tres elegit prudentes Iudæos, quorum sententias Esdras sacerdos scripsit. Vnus uinum omni rei prætulit: Alius regem: Tertius Zorobabel mulieres, ac super omnia ueritatē. Qui cùm suas sententias protulissent, sapientior omnibus iudicatus est Zorobabel qui mulieres, ac supra omne, ueri- D
Gene. 3. tatem astruxerat. Et re uera quid muliere fortius? quæ primum Adam ita illexit uirum, ut Dei præcepta contemneret. Quid fortius muliere? cuius species omni se cupiditati extollit. Quid fortius muliere? quæ & regiam fortitudinem emollit, & uinum. Quid, etiā in bono, fortius muliere? quæ credidit integram se CHRISTVM parere ueritatem. Quid fortius mu
Ioan. 19. liere? quæ fugientibus discipulis mysteria ipsius crucis intrepida ac plena
Mar. 16. fiducia aspexit. Quid fortius muliere? quæ prima præ omnibus uiris excurrens, uidere meruit dominum resurgentem. Quæ cum in typo ecclesię
Hester 2. hæc Esdras scripserit, subsecuta est etiam actio figurata. Hester enim quæ à Mardochæo fuerat in filia educata, dum aulam regiam Mardochæus curaret, à Deo qui exaltat humiles ad regiam Hester perducta est dignitatem. Hæc cum populum suum, agente amico regis Aman causa Mardochęi, damnatum intelligeret morti, gladiusq; eorum ceruicibus immineret, animam suam Hester pro suo populo ponens, inuocato diuino auxilio penetralia regis ingressa est, quò mulieri non uocatæ accedere non lice-
Hester 5. bat. Quam cum rex indignatus aspiceret, illa quoq; tacuisset. Conuertit, dictum est, cor eius Deus in lenitatem, eiq; rex multa bona promittens, dum eius salutem reparare contenderet, ad conuiuium cum Aman uenturum se, ut regina poposcerat, non negauit. Illic narrans quæ secum &
Hester 7. cum suo populo acta erant, Aman eo ligno crucifigi rex statuit, quo Mardochęum idem Aman suspēdere statuerat innocentē. Vt qui cogitāt in me nequi

A nequissima, sicut ait Propheta, super ipsos uolucerentur. Sic ecclesia sancta Sap. 17.
ligno crucis perimit inimicos. Sic se pro suis, periculis huiusmodi opponit. Sic datis in morte, suis laboribus uitam conferendo ministrat. utpote regina quæ à suo rege sponso, & domino admonetur, eiq; dicitur: Libera eos, qui ducuntur ad mortem: & redime eos, qui occiduntur. Cuius beneficiorum refugia, ipsi quoque eius appetunt inimici. Nec impari etiam loco Iudith sancta, ordine subsequente ponitur, quæ etiam ipsa figuram sanctæ ecclesiæ personamq; suscipiat. Nam cum dux militiæ regis Babilonis Iud. 7.
Betulliam Holofernes obsidione cinxisset, sublatisq; aquis siti totam affligeret ciuitatem, primores eius in deditionem statuerunt tradere Holoferni. Hæc disponētibus Iudith obstitit paucorum dierum inducias poscens. Iud. 8.
Quibus ieiunijs orationibusq; supplex regem regum, & dominum dominorum exorauit. Exuta igitur ueste uiduali, sese omni ex parte, mente, corpore, moribusq; componens, mirabilem cunctis exhibuit. Eò usa consilio, quo, custode Deo, credebat pulchritudine captum hostem posse perimere, suam pudicitiam illo seruante, qui dator & custos est castitatis. Quæ cùm illæsa caput hostis afferret, quam uiri non ualuerant, fœmina Iud. 13.
patriæ reddidit libertatem. Nostram, ut diximus, cuius hæc figuram gestabat, si agnoscas ecclesiam, uides quemadmodum posteaquàm eius uir CHRISTVS dominus passus resurgens ascendit in cœlum, omni mœstitia & ueste uiduali depulsa sit induta pulchritudine ab eo, de quo in
B Esaia Propheta dicit: Induit me uestimento salutari, & stola iucunditatis Esa. 61.
circundedit me, sicut sponsam ornatam monilibus suis. Missa est enim & hæc in uulnere capitis inimicorum, quoniam corpus illius est qui confregit caput draconis magni. Non pepercit & hæc animæ suæ sicut illa, quoniam ipsa est quæ dicit per Ioannem apostolum: Sicut Christus pro nobis 1. Ioan. 3.
animam suam posuit, ita & nos debemus pro fratribus animas ponere. Quod fecisse in sanctis martyribus constat, quæ est benedicta apud omnipotentem Deum.

Prædictio: In Tobia, ex pisce Christo, & dæmonia fugari, & illuminari cæcos.

Prædictio facta & figurata.

CAP. XXXIX.

TObias quoq; captiuus apud Niniuen fuit, ea religionis suæ patientia Tob. 1.
præditus, quia sciebat iram domini æquo animo sustinendā. Dignis operibus confessionibusq; satisfaciens Deo, moribus quoq; sanctis filium erudijt. Cui in mandatis dedit neq; penuriam paupertatis, neque labores Tob. 4.
diuturni exilij formidandos, si modo in mandatis domini perseuerans discederet ab omni iniquitate, & bene ageret. Et hæc fulgente iustitia, interioris Tob. 2.
luminis itinera, dum cæcus corpore, filio recta monstraret, Raphaël Tob. 5.
archangelus missus à Deo, non tantum captiuis solatia, quantum etiam beneficia cœlestia orantibus ministrauit. Filio pro recipienda pecunia ducatum

Tob. 7. catum præstans, filiam Raguëlis ei uxorem dedit, à qua Asmodeum dæ- C
Tob. 8. monum nequissimum expulit, qui illi iam septem occiderat uiros. Reductus locuples cum uxore filius, ipsi quoque Tobiæ ex iocinoribus piscis,
Tob. 11. quibus & dæmonem fugauerat, oculorum maculas auferens, pristinum reddidit uisum. Eosq; monuit semper glorificare Deum, & in bonis operibus permanere. Hic Tobias CHRISTVM dominum inter cætera
Tob. 14. præconia suæ laudis Prophetauit dicens: Nationes multæ de longinquo uenient, habitatores à nouissimis partibus terræ ad nomen domini Dei, & munera sua in manibus habentes regi cœlorum offerent cum lætitia. quod nos nunc uidemus impleri. Mysticum uerò actionis huius hoc est, quòd ex interioribus piscis, & dæmon fugatus est, & Tobias illuminatus.
Luce 8. Hoc agit piscis magnus ex passione sua Christus purgans Mariam, à qua expulit septem dæmonia: animæ sic captæ desperationem tollens, quam septem spiritus nequiores dum uexauerint, purgari sanariq; etiam talem necesse est per iocinora nostri piscis, si pœnitens reuersa intelligat, quia ex illa spiritus maligni fugentur, eosq; caueat inimicos. Nam spiritus malus, est spiritus superbiæ: nequior illo simulatio humilitatis. Spiritus malus, spiritus inuidiæ: nequior illo simulatio charitatis. Spiritus malus, spiritus mendacij: nequior illo simulatio ueritatis. Spiritus malus, spiritus luxuriæ: nequior illo simulatio castitatis. Spiritus malus, spiritus auaritiæ: nequior illo simulatio misericordiæ. Spiritus malus, spiritus intemperantiæ: nequior illo simulatio parcitatis. Spiritus malus, spiritus erroris: ne- D quior illo simulatio religionis. His igitur possessa, cum sint posteriora eius
Rom. 5. deteriora prioribus, piscis nostri liberat medicina: quia ubi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Qui tributum pro se & pro Petro, &
Actuum 11. cæcato lumen reddidit, paulo satians ex se ipso in littore discipulos, & toti se offerens mundo ἰχθύς. Nanq; Latinè piscem sacris literis, maiores nostri hoc interpretati sunt ex Sibyllinis uersibus colligentes, quod est Iesus Christus filius Dei saluator, piscis in sua passione decoctus, cuius ex interioribus remedijs, quotidie illuminamur, & pascimur.

Prædictio: In Machabæis, qui & martyria, & ipsum Christum regem natum susceperunt.

Prædictio facta & figurata. In Machabæis credita & uisa.

CAP. XL.

Machab. 2. POst redditam libertatem ex captiuitate Babiloniæ, Machabæi ducatum Hebræo populo præbuerunt. Quorum uirtus ita enituit, ut non tantum Macedones & Ptolemæus rex Aegypti, quantum eos ipsi Romani ad amicitiarum fœdera conuocarent. Illic apud Iudæos in quadã parte quam Romani iam cœperant, Antiocho regnante, præclara illa fœmina Machabæorum mater, pro spe æternæ uitæ legitimisq; suis ne uetitas carnes suillas filij sui tangerent, uno die septem martyres edidit Deo, quos terra contempta non huic mundo, sed ipsi peperit cœlo. Suo exemplo nos admonens,

A admonens pereuntia contemnere, appetere sempiterna, uelocius finienda finire, quò possent certantes atque uincentes illud apprehendere, quod non habet finem. Sic ipsa statim secutura, filios præmisit ad uitam, quam ueram sciens omniq́ metu carentem, sibi suisq́ filijs fideli testimonio acquisiuit. Propter quam & alios in bello mortuos, Iudas Machabæus duodecim millia talentorum Hierosolymam misit offerre sacrificium pro mortuis, benè & optimè de resurrectione cogitans. Hac exoratione sancta ecclesia suos agit filios, quibus contemptum mortis inculcans ad ueram uitam CHRISTVM transire compellit: ut sit ipsa in regno Dei profecta cum filijs qui ei dicunt: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculū? an gladius? Sanè apud Machabæos ultimus dux & Pontifex fuit Hircanus. Nam fratrem eius Aristobolum, Pompeius magistratus populi Romani dum Hierosolymam expugnaret, uinctum cum liberis Romam misit, sicut Iosephi narrat historia. Impleta tamen Iacob patriarchæ prophetia dicentis, Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de femoribus eius, donec ueniat cui reposita sunt omnia, & ipsi erit expectatio gētium. Intuemur quiescēte ordine regum Iuda & Israel, uel Leuitico sacerdotio, cum Herodes rex alienigena Hebræo populo imperauit, cessante etiam unctione, quā Daniel Propheta prędixerat cessaturā, ne unctos reges uel sacerdotes sequeretur ille populus, præsertim ueniente rege & sacerdote

2. Mac. 12.

Rom. 8.

Gen. 49.

B CHRISTO, qui est expectatio gentiū. Herodes igitur (cuius patrem ex Idumæis, matrem uerò ex Arabia fuisse idem Iosephus dicit) à Cæsare Augusto attributum sibi illius gentis, eo tempore sumpsit imperium, quo Cæsar pacati orbis totius sub edicto descriptionem fieri præcepit. Itaque eo anno professionis illius quæ facta est præside Syriæ Cirino, natus est CHRISTVS dominus, in qua descriptione uenit & Paulus. Sic enim intelligendum est quod tribuno Lysiæ dixit, Ego autem natus sum Romanus. Omnes enim pretio comparabant huius nominis dignitatem. Hic uerò Iudæus cum dixit natū se esse Romanum, clarius ostendit in illa se descriptione uenisse, nato iam præcursore & præcone domini regis & iudicis, à quo tempus gratiæ sumpsit initium. Hucusque, iuuante domino, sub lege figuratas promissiones prædictaq́, ut datum est, colligere ualui. Secundum & hic tempus, uelut secundum diem ex quatuor partibus mundi surgentem Prophetarum patrum, orientali plaga migrante Esaia, Hieremia, Ezechiele ac Daniele tribus in partibus constitutis, duodenario & hic Prophetarum minorum tanquam horarum numero diem secundum uelut in uesperum concludens, ut tempus tertium manifestatæ gratię simul cum ipso æterno die, ascriptis capitulis, tertia pars libri sumat initium. Amen.

Luc. 2.

Act. 22.

FINIS.

De tempore Gratiæ, Promissio- NVM DEI, PER D. PROSPE RVM AQVITANICVM, EPI- SCOPVM REGI- ENSEM,

c

PARS TERTIA.

PRAEFATIO.

QVONIAM CHRISTI DOMINI GRATIA rutilante illustratus iam mundus eluxit, non reor adhuc, ut suprà factum est, figuratas promissiones, seu prædicta discutiens, huic tertiæ parti prælatis capitulis consignare. Præsertim, quia lex omnis & prophetia CHRISTVM dominum sonuit & ecclesiam. Cuius cœlestis regis & iudicis aduentum, præconia omnium spirituum eo ordine nuntiarunt, quo per linguas etiam inimi-
Iacob. 2. corum suorum ueritas clamitaret. Quia & dæmones credunt & contre-
Luc. 4. miscunt, fassiq; sunt præsenti, Scimus qui sis, qui aduenisti ante tempus D
torquere nos. Quare, iuuante domino, placuit huic operi non tantum eorum uaticinia inserere, qui Dei spiritu acti sunt, quantum & eorum, qui errantium spirituum seductione decepti, cognoscentes Deum, non sicut
Rom. 1. Deum glorificauerunt. Pauca itaque de multis expendens, & quædã Sibyllæ uel quoruncunq; congrua de CHRISTO domino dicta subiungens, primo in loco Ioannem præconem præcursoremq; ipsius singularis regis, & ueri iudicis introducam. Cui testimonium ipsa ueritas præbuit, quod in natis mulierum nemo exurrexit maior Ioanne Baptista, in quo lex omnis & prophetia cessauit.

PARTIS TERTIAE ARGVMENTA.

X.	Promissio: De Christo, quòd in templo ex Esaia Iudæos conuicit.
XI.	Promiss. De uncto Christo per columbam.
XII.	Promiss. De electione discipulorum.
XIII.	Promiss. De miraculis Christi.
XIIII.	Promiss. De Christo, quòd mare pedibus ambulauit.
XV.	Promiss. De Christo, quòd populos mirabiliter pauit in eremo.
XVI.	Promiss. De Christo, quòd portatus asello est.
XVII.	Promiss. De Christo, quòd expulit de templo mercatores.
XVIII.	Promiss. De traditore Christi ostenso.
XIX.	Promiss. De iniuriato Iesu.
XX.	Promiss. De Christo spinis coronato.
XXI.	Promiss. De Christi cruce & uulneribus.
XXII.	Promiss. De eo, quòd inter latrones crucifixus est.
XXIII.	Promiss. De uestimentis sorte diuisis.
XXIIII.	Promiss. De felle & aceto.
XXV.	Promiss. De Christo lancea in latere percusso.
XXVI.	Promiss. De obscurato Sole in passione.
XXVII.	Promiss. De sepultura Christi domini.
XXVIII.	Promiss. De sanctorum corporibus in morte domini suscitatis.
XXIX.	Promiss. De diei tertiæ resurrectione.
XXX.	Promiss. De incredulis discipulis increpatis.
XXXI.	Promiss. De ascensione Christi in cœlum, & donis spiritus sancti.
XXXII.	Promiss. De exortu ecclesiæ.
XXXIII.	Promiss. De testamento, cantico, & homine nouo.
XXXIIII.	Promiss. De martyribus.
XXXV.	Promiss. De uocatione gentium.
XXXVI.	Promiss. De fide regum.
XXXVII.	Promiss. De iugo legis Christi, quòd reges, gentesq́ ac ceperunt.
XXXVIII.	Promiss. De subuersione idolorum, atque templorum.
XXXIX.	Promiss. De mēsa Christi, generale regibus & pauperibus.
XXXX.	Promissio: De Euangelio omnibus gentibus prædicato & fine.

Tempus Gratiæ.

C

PROMISSIO I. IMPLETA.

De Ioanne Baptista præcursore Christi.

Esa. 40. ESAIAS propheta: Vox, ait, clamantis in eremo, parate uiam domino, rectas facite semitas Dei nostri. Omnis riuus implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Et erunt tortuosa in directum, & aspera in uias planas. Et uidebit omnis caro salutare Dei. Firmat hæc Ioannes Euangelista, dicens: Hoc est testimo-

Ioan. 1. niū Ioannis de CHRISTO, quando ad eum miserūt Principes sacerdotum interrogantes, utrum ipse esset Christus. Et confessus est & non negauit, dicens: quia nō sum. Qui ei dixerunt, Helias es tu? & dixit, Non. Quis ergo es? aiunt: dic, ut habeamus renuntiare his, qui nos miserunt. Quid de te ipso dicis? qui dixit, Ego sum uox clamantis in eremo, parate uiam domino, sicut dicit Esaias Propheta. Testatur & Pe-

Act. 13. trus in Actibus apostolorum, dicens: Cùm impleretur cursus Ioannes dicebat: Quem me suspicamini esse non sum ego, sed ecce uenit post me, de cuius pedibus non sum dignus soluere corrigiam calciamentorum eius. D

Fatetur & Sibylla Erythræa, dicens: Iudicij signū tellus sudore madescet. Iam æquantur campis montes, & cęrula Ponti. Secꝙ ipsam exponens adiunxit: Non erit in rebus hominum sublime uel altum. Quod impletum per Christum dominum ipsi cognoscimus & uidemus.

PROMISSIO II. IMPLETA.

De cælo uenturi regis, & iudicis Christi.

Psal. 18. & 144. Psal. 46. Esa. 33. & 19. DAuid Propheta: A summo cœli, ait, egreßio eius. Et iterum: Regnū tuum, regnum omnium seculorum. Item: Ipse regnauit dominus super omnes gentes. Et Esaias: Regem cum claritate uidebitis. Item: Ecce rex tuus, ait, uenit sedens super nubem leuem. Carnē scilicet nullum pondus

Matth. 2. habentem peccati. Firmat hæc Euangelium Matthæi, dicens: Magi ab Oriente uenerunt, dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Testa-

1. Timo. 1. & 6. tur & Paulus: Regi, ait, seculorum. Et iterum: Ostendit beatus & solus potens rex regum, & dominus dominorum. Faturꝗ Sibylla: E cœlo rex adueniet per secla futurus.

PROMISSIO III. IMPLETA.

De uerbo Dei & homine.

Psal. 106. Baruch 3. DAuid propheta: Misit, ait, uerbū suum, & sanauit eos. Et Hieremias: Hic Deus noster, & nō est alius absꝗ eo, qui inuenit omnē uiā prudētiæ, &

A tiæ,& dedit eam Iacob electo sibi,post hæc in terris uisus est, & cum hominibus cõuersatus est. Et Abbacuc propheta: Ambulauit, ait, uerbum, & exijt in campos. Firmat hęc Ioannes Euangelista, dicens: Verbum caro factum est,& habitauit in nobis. Testatur & Paulus: Cum in forma Dei esset, nõ rapinã arbitratus est esse æqualis Deo, sed semetipsum exinaniuit formã serui accipiẽs, in similitudinẽ hominũ factus, & habitu inuẽtus ut homo. Faeturq; Sibylla: Scilicet ut carne præsens, & iudicet orbem. Abba. 2. Ioan. 1. Phil. 2.

PROMISSIO IIII. IMPLETA.

De nato Christo ex Virgine.

ESaias propheta: Ecce, ait, Virgo in utero accipiet,& pariet filiũ,& uocabitis nomẽ eius Emanuel: quod interpretatum, Nobiscũ Deus. Firmat hoc Lucas Euangelista, dicens: Missus est Gabriel angelus ad uirginem despõsatam, cui nomẽ erat Maria, qui & ingressus sic eam salutauit: Aue, inquit, gratia plena, dominus tecũ. Et paulò pòst: Spiritus sanctus, ait, superueniet in te,& uirtus altissimi obumbrabit tibi, propterea quod nascetur ex te sanctum uocabitur filius Dei. Testatur & Paulus, dicens: Cum autẽ uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factũ ex muliere: Hebræam locutionem sequens, quæ omnes fœminas mulieres nominat. Fatetur & Sibylla: Deum cernẽt, inquit, incredulus, atq; fidelis. Dicit Maro: Iam noua progenies cœlo demittitur alto: Iam redit & uirgo. Redit dixit, quia uirgo adhuc Eua mortem intulit mundo, rediens uirgo Maria protulit saluatorem. Esa. 7. Luc. 1. Gal. 4. B

PROMISSIO V. IMPLETA.

De Christo in præsepi posito.

ESaias propheta: Agnouit, ait, bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui. Et Abbacuc: In medio, inquit, duûm animaliũ cognosceris. Firmat hæc Lucas Euangelista, dicens: Cum autẽ impleti sunt dies Mariæ, peperit filium & pannis eum inuoluit, & posuit in præsepe, quoniam non erat locus in diuersorio. Et angelus ad pastores: Natus est nobis, ait, CHRISTVS dominus in ciuitate Dauid,& hoc uobis signum: Inuenietis infantem pannis obuolutum & positum in præsepe. Testatur & Paulus, dicens: Pauper factus est, cùm diues esset, ut eius paupertate nos ditaremur. Fatetur & Sibylla: Cùm iacet incultus densis cum uepribus orbis. Esa. 1. Abbac. 3. Luc. 2. 2. Cor. 8.

PROMISSIO VI. IMPLETA.

De stellæ signo.

BAlaam propheta ex gentibus: Orietur, inquit, stella ex Iacob & exurget homo ex Israël,& cõfringet omnia regna terræ. Esaias propheta: Gentium populus, ait, sedens in tenebris uidit lucẽ magnã. Et Dauid di- Num. 24. Esa. 9.

Psal. 71. xit:Reges Tharsis & insulæ munera offerent,Reges Arabum & Saba do C
Esa. 60. na adducent.Item Esaias: Omnes à Saba uenient, ferentes aurum, tus,& lapidem pretiosum,salutare domini bene nuntiabunt. Firmat hæc Mat-
Matth. 2. thæus Euangelista, dicens: Ecce stella quam uiderant Magi in Oriente, præibat eos,donec uenit,& stetit supra locum,ubi erat puer. Videntes autem stellam gauisi sunt gaudio magno.Ingressi itaque inuenerunt puerum & matrem eius. Apertisque thesauris obtulerunt ei munera: aurum, ut regi: tus, ut sacerdoti: & myrrham, pro dominica sepultura. Testatur &
2. Cor. 4. Paulus: Deus, inquit, qui dixit de tenebris lumen clarescere, claruit in cordibus nostris ad illuminationem gloriæ scientiæ eius CHRISTI Iesu. Faterurque Sibylla,dicens: Exuret terras ignis pontum populumque. Dicit & Maro quædam congrua:Stella facem ducens multa cum luce cucurrit:Muneribus cumulant, & sanctum sidus adorant.

PROMISSIO VII. IMPLETA.

De pace & salute natiuitatis eius.

Esa. 9. PEr Esaiam prophetam:Datus est,ait, nobis filius. Et paulò post: Adducam pacem super principium eius,pax & salus illi magna est, pote-
Luc. 2. statis & pacis eius non erit terminus. Firmat hæc Lucas Euangelista, dicens: Continuò facta est cum angelo multitudo exercitus cœlestis laudantium & dicentium:Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus
Ioan. 14. bonæ uoluntatis. Et ipse: Pacem meam, ait, do uobis, pacem meam re- D
Ephes. 2. linquo uobis. Testatur & Paulus apostolus, dicens: Ipse est enim pax nostra,qui fecit utraque unum. Fatetur & Maro: Pacatumque reget patrijs uirtutibus orbem.

PROMISSIO VIII. IMPLETA.

De fuga in Aegyptum.

Osee 11. PEr Oseam prophetam: Ex Aegypto, ait, uocaui filium meum. Hoc
Matth. 2. firmat Euangelista Matthæus: Angelus domini, ait, apparuit Ioseph in somnis, dicens: Surgens accipe puerum & matrem eius,& fuge in Aegyptum: Quæsiturus est enim Herodes puerum,ut eum perdat. Ad hoc enim in Aegyptum CHRISTVS introductus est,ut, sicut aposto-
Rom. 5. lus Paulus dicit,ubi abundauit delictum, superabundaret gratia.

PROMISSIO IX. IMPLETA.

De paruulis pro Christo occisis.

Hier. 31. IN Hieremia propheta: Vox,inquit, in Rama audita est, fletus & ululatus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt. Et
Psal. 24. per Dauid, dicens: Innocentes & recti adhæserunt mihi. Item alibi:
Psal. 8. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Firmat hæc Euangelista

A gelista Matthæus: Herodes uerò, ait, ut uidit quia illusus est à Magis, *Matth. 2.*
iratus est ualde, & misit & occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem
& in omnibus regionibus eius, à bimatu & infrà, secundum tempus quod
exquisierat à Magis. Testatur & Ioannes in Apocalypsi: Hi sunt, dictum *Apoc. 7.*
est, qui uenerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas, & candidas
eas fecerunt in sanguine agni. Numerusque eorum ex omni tribu
Israël ostensus est centum quadraginta quatuor milia signati, quos etiam
à nolente Hierusalem CHRISTVS suo numero sociauit, quia, sicut
Paulus dicit: Quos prædestinauit, illos & uocauit. Ad hæc Maro: Infan- *Rom. 8.*
tumque animæ stantes in limine primo. Item ipsa: Ipsa tibi blandos fundent
cunabula flores.

PROMISSIO X. IMPLETA.

De puero Iesu, qui in templo seniores Iudæorum ex Esaia propheta conuicit.

ESaias propheta ex persona Christi domini: Spiritus domini, ait, super *Esa. 61.*
me. Propter quod unxit me, bene Euangelizare pauperibus misit me,
curare cōtribulatos corde, prædicare captiuis remissionē, & cæcis uisum.
Firmat hæc Euangeliū Lucæ, dicens: Venit Iesus in templum, & accepit li- *Luce 4.*
brum Esaiæ, qui cùm legisset ea quæ suprà posita sunt, ait illis: Amen dico *Matth. 6.*
B uobis, quia hodie impleta est scriptura ista in auribus uestris. Et mirabantur
omnes qui erant in templo, dicētes: Quomodo hic legit, qui literas nō
didicit? Testatur apostolus Petrus: Non enim, ait, uoluntate humana al- *2. Pet. 1.*
lata est unquam prophetia, sed spiritusancto acti locuti sunt homines Dei.
Dicit & Paulus: Superædificati super fundamentum apostolorum & pro- *Ephes. 2.*
phetarum, ipso summo angulari lapide existente Christo Iesu.

PROMISSIO XI. IMPLETA.

De Christo uncto per columbam, posteà quàm eum Ioannes in Iordane baptizauit.

ESaias propheta: Exaltabuntur, ait, deserta Iordanis. Et sequitur: Plebs *Esa. 44.*
mea uidebit altitudinē Dei, & claritatē domini. Dicit & Dauid: Flu- *Psalm. 45.*
minis impetus lætificat ciuitatē Dei. Item ipse: Vnxit te Deus, Deus tuus *Psalm. 44.*
oleo letitiæ præ participibus tuis. Firmat hęc Euangeliū Matthæi, dicens:
Venit Iesus à Galilea in Iordanem, ut baptizaretur à Ioāne. Et prohibebat *Matth. 3.*
eum Ioannes, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu uenis ad me? Respondit
ei Iesus: Sine modo: sic enim decet implere nos omnem iustitiam. Tunc
tinxit eum, & baptizato Iesu statim ascēdit de aqua, & aperti sunt ei cœli:
& uidit spiritum sanctum descendentem de cœlo sicut columbam, & manentem
super eum. Et uox facta est de cœlo, dicens: Hic est filius meus dilectus,
in quo bene complacui. Testatur in hoc Petrus apostolus, dicens:

2. Pet. 1. Et hanc uocem audiuimus de cœlo delatam, cùm essemus cum illo in sancto monte. Tertio enim hæc de cœlo sonuit uox, sicut norunt, qui Euangelia intelligunt, uel audiunt. Per columbā uerò, unctionem intelligit, qui Gene. 8. nouit post diluuium ramum oleæ columbam ad arcam portasse. C

PROMISSIO XII. IMPLETA.

De electione discipulorum.

Hierem. 16. PEr Hieremiam prophetam: Mittam, inquit, ad eos piscatores, & piscabuntur eos: & uenatores, & uenabuntur eos. Firmat hoc Euangeliũ Marci: Inuenit IESVS, ait, Simonem Petrum, & Andream fratrẽ eius, Marc. 1. iuxta mare Galilææ componentes retia. & ait illis: Venite post me, & faciam uos piscatores hominum. Venientibus dedit montes altissimos ceruis: petram refugium erinacijs & leporibus: Piscantibus uerò, uolucres Psalm. 103. cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris. Quod breuiter expo Psalm. 8. nit Dauid dicens: Principes populorum conuenerunt cum Deo Abrahã. Psalm. 46. Fatetur & Sibylla: Celsum cum sanctis æui iam termino in ipso.

PROMISSIO XIII. IMPLETA.

De miraculis Christi.

Esa. 40. Esa. 35. ESaias propheta: Exhortamini, ait, qui estis pusillanimes, confortamini & iam nolite timere. Ecce enim Deus noster retribuet iudicium, ipse ueniet, & saluos uos faciet. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum audient. Tunc saliet claudus sicut ceruus, & plana erit lingua mu- D Marc. 11. torum. Firmat hoc Euangelium Marci dicens: Venerunt discipuli Ioannis missi ab eo ad Iesum, & dicunt ei: Hæc dicit magister, Tu es, qui uenisti, an alium expectamus? Respondit eis Iesus: Ite, dicite Ioanni quæ uidistis, & audistis. Cæci uident, claudi ambulant, surdi audiunt, leprosi mundantur, pauperes euangelizantur: & beatus qui non fuerit scandalizatus Actuum 7. in me. Testatur & Petrus in Actibus apostolorum: Iesus, ait, qui uenit benefaciens & curans in plebe omnem infirmitatem, quia Deus erat in eo. Dicit ad hæc & Maro: Ipse Deûm uitam accipiet.

PROMISSIO XIIII. IMPLETA.

De Christo, quòd mare pedibus ambulauit.

Psalm. 76. DAuid propheta: In mari est uia tua & semitæ tuæ in aquis multis. Di- Abac. 3. cit & Abacuc: Dispergens aquas itineris dedit abyssus uocem suam. Matth. 14. Firmat hæc Euangeliũ Matthæi, dicẽs: Quarta autem noctis uigilia uenit Iesus ad discipulos suos, ambulãs suprà mare. Videtes uerò eum discipuli timuerunt, dicẽtes: Phantasma est. Accedens autem ad eos Iesus dixit eis,

Ego

A Ego ſum, nolite timere. Solomon etiam dicit: Dediſti in mari uiam, & inter fluctus ſemitam firmiſsimã. Oſtendens quoniã poteſt etiam ſine rate tranſeuntes mare ſeruare. Quod etiam in Petro IESVS feciſſe cognoſcitur. Teſtatur & Paulus in naufragio aſtitiſſe ſibi Ieſum, dicentem: Ne timeas Paule, ecce enim donauit tibi Deus omnes, qui tecum nauigant. Ex quibus nullus hominũ perijt niſi nauis tantum. Sibylla uerò ſupradictum ad utrunq; reſpondit: Exuret terras ignis, pontum, populumq;. Sap.14. Actuum 27.

PROMISSIO XV. IMPLETA.

De Ieſu, quòd mirabiliter populos pauit in deſerto.

DAuid propheta: Satiauit, ait, animam inanem, & animam eſurientem bonis repleuit. Et Eſaias dicit: Cibauit te in hæreditate patris tui Iacob. Firmant hæc Euangeliſtæ: quòd IESVS iuſsit diſcipulis ſuis, quinquagenos in fœno diſcumbere. Et ex quinq; panibus & duobus piſcibus, hominum quinq; milia pauit in eremo, & ex reliquijs duodecim cophini repleti ſunt. Teſtatur & Paulus: Omnes enim de uno pane participamus. Et iterum: Sanctificantur omnia per uerbum Dei & orationem. Et ad hoc ſignum ſupradicta Sibylla reſonat. Pſalm.106. Eſa.58. Matth.14. 1.Cor.10. 1.Tim.4.

PROMISSIO XVI. IMPLETA.

B *De Ieſu, quòd portatus aſello eſt.*

ZAcharias propheta, Dicite, ait, filiæ Sion. Ecce rex tuus uenit tibi iuſtus & ſaluans, ipſe manſuetus ſedens ſuper ſubiugalẽ aſinam & pullum nouellum. Hæc omnes Euangeliſtæ confirmãt: quòd Ieſus ſederit in pullo aſinæ, eiq; indumenta ſua populus ſtrauerit. In hoc facto Ieſus Cornelium oſtẽdit ex gentibus uenientẽ ad fidem, in quo ſedit gratia uocãtis. Quoniã in diſco illo gentes mũdatas Petro dñs oſtẽdit, credẽte Cornelio. Zach.9. Matth.21. Actuum 10.

PROMISSIO XVII. IMPLETA.

De Ieſu, quòd de templo Dei pepulit peccatores.

PEr Dauid prophetã ipſe dicit: Comedit me zelus domus tuæ, quoniã obliti ſunt uerborꝵ tuorꝵ inimici mei. Item ibidẽ: Quoniã nõ cognoui literaturã, introibo in potentiam domini. Et hæc Euangeliſtæ confirmãt: Ieſum dñm ex flagello reſticulæ pepuliſſe de templo ementes & uendẽtes columbas, & mẽſas nummulariorꝵ euertit, dicẽs: Domus mea domus orationis uocabitur, uos autẽ feciſtis eam ſpeluncã latronũ. Teſtatur & Paulus: Si quis, inquit, templũ Dei uiolauerit, uiolabit illũ Deus: Et iterũ: Scripta autem ſunt hæc ad corruptionẽ noſtrã, in quos finis ſeculorꝵ obuenit. In quo etiã amatores pecuniæ notat inter cætera, & proditores, qui, ut columbas, innocentes prodendo diſtrahunt. Hinc eſt etiam illud Maronis: Pſalm.68. Matth.20. 1.Cor.3. 1.Cor.10.

—Paulatim ac decolor ætas, Et belli rabies & amor ſucceſsit habendi.

PROM

PROMISSIO XVIII. IMPLETA. C

De Christo domino qui sui traditorem ostendit.

Psalm. 40. PEr Dauid prophetam ipse dicit: Qui edebat panes meos, amplificauit
Ioan. 13. super me calcaneum. Item ibi: Egrediebatur, ait, foras,& loquebatur
in eodem,aduersum me susurrabant omnes inimici mei,aduersum me co-
Psalm. 54. gitabant mihi mala.Et iterum:Si inimicus malè dixisset mihi,sustinuissem
utiq; : & si is qui oderat me super me magnum dixisset, absconderem me
utique ab eo: Tu autem homo unanimis dux meus & notus meus, qui si-
mul mecum dulces capiebas cibos. Et apertius: Traditus sum, ait, & non
Zach. 11. egrediebar. Dicit & per Zachariam: Dederunt mercedem meam trigin-
Matth. 26. ta argenteos. Hæc omnes Euangelistæ confirmant: quòd IESVS do-
Ioan. 13. Marc. 14. minus discumbentibus discipulis dixerit:Scitis quia unus ex uobis tradet
Luce 22. me? Cumq; singuli dicerēt:Nūquid ego sum rabbi? ait:Cui tinctam buc-
cellam dedero,ipse est. Dicente uerò Iuda: Nunquid ego sum magister?
ait illi Iesus:Tu dixisti. Et cōtinuò cum accepisset buccellā,introijt in eum
Satanas. Et abijt,& exijt foras,ut eum traderet Iudæis.Et iterum abijt Iu-
das, & retulit argentū principibus sacerdotum, dicens: Peccaui tradēdo
1. Cor. 11. sanguinem iustum. Testatur & Paulus: Dominus Iesus, ait, ea nocte qua
tradebatur,accepit panem:& cætera quæ usque ad traditionem acta sunt.
Fateturq; Sibylla: Tradetur,sontes æterna flamma cremabit.

PROMISSIO XIX. IMPLETA. D

De contumelijs in Iesum.

Esa. 50. PEr Esaiam prophetā:Ipse dorsum meum,ait, posui ad flagella, maxil-
las uerò meas ad palmas,faciem uerò meam non auerti à fœditate spu
Thren. 3. torum. Et Hieremias dicit: Dabit percutienti se maxillam,saturabitur op
Matth. 27. probrijs. Et hæc omnes Euāgelistæ confirmant:quòd flagellatum Iesum
eis Pilatus tradidit crucifigendū:eiq; palmas & colaphos dabant, dicētes:
Prophetiza nobis Christe,quis te percussit? Testatur in his & Petrus apo
1. Pet. 2. stolus dicens: CHRISTVS pro nobis passus est,uobis relinquēs exem
plum ut sequamini uestigia eius. Qui cum malediceretur non remaledice-
bat: cum pateretur,non minabatur: commendabat autem iudicanti se in-
iustè. Fatetur Sibylla alia: In manus, inquit,impiorum posteà ueniet, da-
bunt Deo alapas manibus incestis, & impurato ore expuent uenenatos
sputos. Dabit uerò ipse ad uerbera sanctum dorsum,& colaphos accipiēs
tacebit: ne quis agnoscat quod uerbum, uel unde ueniat. Quæ omnia
impleta in Christo domino,omnis iam mundus agnoscit.

PROMISSIO XX. IMPLETA.

De Christo spinis coronato.

Psalm. 31. PEr Dauid ipsum:Conuersus sum,ait,in ærumna, dum infigeretur spi-
Matth. 27. na.Et hoc Euāgelistæ confirmāt: quòd spineam coronam imposuerūt
capiti eius:& crucem suam portans exijt.Hoc etiam aries ille signauit,qui
in spinis

A in ſpinis cornibus detentus immolatus eſt pro Iſaac. Fatetur & Sibylla, Vt inferis loquatur,& corona ſpinea coronetur. Gene.22.

PROMISSIO XXI. IMPLETA.

De Christi cruce, & uulneribus.

ESaias Propheta,Sicut ouis, ait, ad uictimam ductus eſt,& ſicut agnus coram tondente ſe,non aperuit os ſuum. Et iterum: Pro iniquitate populi mei ductus eſt ad mortem.Dicit & per Dauid: Foderũt manus meas & pedes: dinumerauerunt omnia oſſa mea. Hieremias etiam dicit: Ante faciem noſtram CHRISTVS dominus comprehenſus eſt in corruptionem eorum.Item ipſe,Venite, ait, mittamus lignũ in panem eius. Firmãt hæc omnes Euangeliſtæ: Quod uenientes ad locum qui dicitur Golgotha,quod eſt Caluariȩ locus, ibi eum crucifixerũt. Teſtatur in hæc Petrus apoſtolus dicens:Peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum. Dicit & Paulus: Etſi crucifixus eſt ex infirmitate,ſed uiuit in uirtute Dei. Eſa.53. Pſal.21. Thren.4. Hierem.11. Matth.27. 1.Pet.2. 2.Cor.13.

PROMISSIO XXII. IMPLETA.

Quod Christus in medio latronum ſit crucifixus.

ESaias Propheta, Inter ſceleratos,inquit,deputatus eſt,qui peccatũ nõ fecit, cuius liuore ſanati ſumus omnes. Firmat hoc Euangelium Ioannis dicens: Cum eo alios duos hinc & inde latrones crucifixerunt, in medio autem IESVM. Dicit ad hæc Petrus apoſtolus: Nemo autem ueſtrũ patiatur quaſi homicida,aut fur,aut maledicus. Si uero quaſi Chriſtianus non erubeſcat, glorificet autem dominum in hoc nomine. Eſa.53. B Ioan.19. 1.Pet.4.

PROMISSIO XXIII. IMPLETA.

Quod ueſtimenta eius diuiſa,& ſortem ſuper tunicam miſerint.

PEr Dauid prophetam: Ipſi diuiſerunt ſibi ueſtimenta mea,& ſuper ueſtem meam miſerũt ſortem. Firmat hæc Ioannes Euangeliſta: Milites uero, ait, crucifigentes IESVM acceperunt ueſtimenta eius,& fecerunt quatuor partes. Similiter & tunicam, quæ erat deſuper cõtexta per totũ, dixerunt: Non ſcindamus eam,ſed ſortiamur de illa cuius ſit.Hanc tunicam unam eſſe eccleſiam catholicam, apoſtolus Paulus oſtendit, dicens: Chriſtus dilexit eccleſiam,& ſeipſum tradidit pro ea,ut eam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in uerbo, ut exhiberet ſibi ipſe glorioſam eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi; ſed ut ſit ſancta & immaculata. Pſalm.21. Ioan.19. Epheſ.5.

PROMISSIO XXIIII. IMPLETA.

De Christo, qui felle & aceto potus eſt.

Per Da

Psalm. 68. PEr Dauid Prophetam ipse: Dederunt, ait, in escam meam fel, & in siti C
mea potauerunt me aceto. Et hæc omnes Euangelistæ confirmant.
Ioan. 19. Sciens IESVS, ait Ioannes, quia omnia consummata sunt, ut impleretur scriptura, ait, Sitio. Vas positum erat aceto plenum, spongiam plenam aceto hysopum circumponentes obtulerunt ori eius. Cum ergo accepisset IESVS acetum plenum felle ait: Consummatum est: & inclinato ca-
Psalm. 50. pite tradidit spiritum. Et per Dauid hanc herbā non tacuit, dicens: Asperges me hysopo, & mundabor. Fatetur & Sibylla: Ad cibum autem, ait, fel, & ad sitim acetum dederunt, inhospitalitatis hanc monstrabunt mensam. Ad hæc quoq; Vergilianum illud respondet: Occidet & serpens, & fallax herba ueneni, Occidet. tunc enim diabolus uictus est.

PROMISSIO XXV. IMPLETA.

De Christo, quod lancea percussus, & ex latere eius sanguis & aqua manauit.

Zach. 12. ZAcharias Propheta: Videbunt in quem pupugerunt. Et iterum in
Exod. 12. lege dictum est: Os non comminuetis ex eo. Hieremias uerò dicit:
Thren. 3. Dabit in fossura os suum. Firmant hæc omnes Euangelistæ dicente Ioan-
Ioan. 19. ne: Ad IESVM autem cum uenissent milites, eumq; uidissent mortuum, non fregerunt eius crura ut latronum, sed unus è militibus lancea latus eius aperuit, & continuò exijt sanguis & aqua. Testatur in his Petrus apo D
1. Pet. 1. stolus: Scientes, ait, quia non auro uel argento redempti estis à uana uestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine agni imma-
1. Ioan. 5. culati. Dicit & Ioannes apostolus: Tria sunt quæ testimonium dicunt, spiritus, sanguis, & aqua. Et sequitur: Si testimonium hominum acceperimus, testimonium Dei maius est. Fatetur & Sibylla increpans Iudæam gentem: Ipse enim insipiens, ait, tuum Deum non intellexisti, ludentem mortalium sensibus, & spinis coronasti, & horridum fel miscuisti.

PROMISSIO XXVI. IMPLETA.

Quod in Christi passione Sol, Lunaq; obscurati sunt.

Esa. 24. ESaias Propheta: Ante faciem eius, ait, confundetur terra & mouebi-
Ioël 2. tur cœlum, sol & luna contenebrescent & sydera abscondent lumen suum. Et hæc Euangelistæ dicentis confirmant: Postquàm crucifixus est
Matth. 27. Iesus, tenebræ factæ sunt per uniuersam terram à sexta hora usque in no-
Amos 8. nam. Et iterum: Postquàm emisit spiritum Iesus, uelum templi scissum est in duas partes à summo usque ad deorsum. Dicit & Paulus apostolus:
2. Cor. 3. Cum conuersi fuerint ad Christum, auferetur uelamen. Fatetur & Sibylla: Templi uerò uelum scindetur, & medio die nox erit tenebrosa nymbis in tribus horis.

Promiss.

A PROMISSIO XXVII. IMPLETA.

De sepultura Christi domini.

PEr Dauid prophetam ipse: Factus sum, ait, sicut homo sine adiutorio *Psal. 87.*
in mortuis liber, sicut uulnerati dormientes proiecti in monumento. *Psal. 15.*
Item: Non derelinques animam meam apud inferos, neque dabis sanctum
tuum uidere corruptionem. Hic etiam Matthęus & cæteri Euangelistę te-
stantur, quod Ioseph ab Arimathia permittente Pilato, accepit corpus *Matth. 27.*
IESV & linteaminibus obuolutum posuerit in monumento nouo. Te-
statur & Paulus, dicens Corinthijs: Tradidi enim uobis in primis quod
& accepi, quia CHRISTVS mortuus est pro peccatis nostris secūdum
scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secūdū scriptu-
ras. Fatetur & Sibylla: Et morte morietur tribus diebus somno suscepto.

PROMISSIO XXVIII. IMPLETA.

Quod in morte Christi sanctorum corpora surrexerunt.

ESaias propheta dicit: Exurgent mortui, & excitabuntur qui in mo- *Esa. 26.*
numentis sunt, & exultabunt omnes qui sunt in terra. Ros enim qui à
te est, medicina illis est. Hæc firmat Matthæus Euangelista, dicens: Terra *Matth. 27.*
mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpo-
ra sanctorum dormientium surrexerunt. Et exeuntes de monumētis post
B resurrectionem ipsius, uenerunt in sanctam ciuitatē, & apparuerunt mul-
tis. Dicit & Paulus: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quę- *Coloss. 3.*
rite, ubi Christus est in dextera Dei sedens. Testatur & Petrus apostolus, *1. Pet. 4.*
dicens: Ideo & mortuis euangelizatū est. Fatetur & Sibylla: Tartareumque
chaos monstrauit terra dehiscens: Inquirens tetri portas infringet Auer-
ni: Sanctorum sed enim cunctæ lux libera carni.

PROMISSIO XXIX. IMPLETA.

Quod tertia die à mortuis resurrexerit.

OSee propheta dicit: Post biduum sanabit nos. Die tertia surgemus, *Osee 6.*
& ante lucem paratū eum inueniemus. Dicit & per Dauid: Ipse exur- *Psal. 56.*
gam ante lucē. Item ibi: Exurrexit tanquā dormiēs dominus, quasi potās
crapulatus à uino. Hæc Matthæus & cæteri Euangelistæ cōfirmāt, quod *Matth. 27.*
uenientes principes sacerdotū dixerunt Pilato: Domine rememorati su-
mus, quod seductor ille dixerat, Adhuc uiuens post tertiū diem resurgā.
Iube ergo custodiri sepulchrū. Dixerat enim eis: Generatio hæc, genera- *Matth. 16.*
tio nequā est: signū quærit, & signum nō dabitur illi, nisi Ionæ prophetæ.
Sicut em̄ Ionas fuit in uētre cæti tribus diebus & tribus noctibus, ita opor
tet & filium hoīs in corde terrę esse tribus diebus, & tribus noctibus. Ve- *Matth. 28.*
spere autē sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, uenit Maria Magdalenæ
& alia Maria uidere sepulchrum. Et ecce terræ motus factus est magnus.

Angelus enim domini descẽdit de cœlo,& accedẽs reuoluit lapidem & se- C
debat super eum. Fuit autẽ aspectus eius metuẽdus,& uestimẽta eius uelut
nix. A' metu autẽ eius expauerũt custodes & facti sunt uelut mortui. Di-
xit autẽ angelus mulieribus: Nolite timere uos,scio enim quod IESVM,
qui crucifixus est,quæritis,nõ est hic. Surrexit enim sicut dixit. Testatur
2. Timo. 2. & Paulus Timotheo: Memor esto,ait, CHRISTVM Iesum resurrexis-
1. Cor. 15. se à mortuis secundũ Euangeliũ meũ. Et Corinthijs, Christus,ait,resurre-
xit à mortuis,primitiæ dormientiũ. Quæritur hic,quo modo primitiæ di
catur,cùm & ipse suscitauerit mortuos,& Helias atq; Helisæus à mortuis
excitauerũt? Respondetur quòd hi qui suscitati sunt,denuo mortui, cũ sic
dormiẽtibus hodieq; requiescunt. Christum autẽ Paulus apostolus dicit
ideo primitiæ dormientiũ,quia surgens ex mortuis iam non moritur, &
mors ei ultrà non dominabitur. Fatetur & Sibylla: Tunc ab inferis re-
gressus,ad lucẽ ueniet primus,resurrectionis principio reuocatis ostenso.

PROMISSIO XXX. IMPLETA.

De incredulis discipulis increpatis.

Ose. 11. OSee propheta dicit: Sicut leo ructauit dñs, quia ipse rugiet & obstu-
Gen. 49. pescent filij aquilarũ. Iuxta illud dictũ Iacob: Ascendisti recumbens,
dormisti ut leo. Firmat hoc Euangeliũ Marci: Discumbẽtibus illis,ait,ap-
Mar. 16. paruit illis IESVS,& increpauit incredulitatem eorũ & duritiam cordis,
quia eis,qui uiderãt eum resurrexisse,nõ crediderunt. Et Thomæ in Ioan- D
Ioan. 20. ne dicit: Inijce huc digitũ tuum,& uide manus meas,& manũ tuã mitte in
latus meũ,& noli esse incredulus, sed fidelis. Testatur & Ioãnes in epistola
1. Ioan. 1. sua,dicẽs: Quod audiuimus,quod uidimus nostris oculis, & manus no-
stræ contrectauerunt de uerbo uitæ,& uita palàm facta est nobis. Et Pau-
1. Cor. 15. lus dicit: Apparuit Cephæ,postea undecim. Deinde apparuit plusquàm
quingentis fratribus simul,ex quibus plures manẽt usq; adhuc. Item: Si
CHRISTVS prædicatur quia resurrexit à mortuis, quo modo dicunt
quidam in nobis,quia resurrectio mortuorum non est? Dicit & Maro:
Te duce si qua manent sceleris uestigia nostri, Irrita perpetua soluent for-
midine terras.

PROMISSIO XXXI. IMPLETA.

De ascensione Christi in cœlum,& donis spiritus sancti.

Psal. 67. DAuid propheta dicit: Ascendit in altũ, captiuã duxit captiuitatẽ, de-
Psal. 17. dit dona hominibus. Item ipse: Ascendit super Cherubin & uolauit,
uolauit sup pennas uentorũ. Et iterũ: Domini est assumptio & sancti Israël
Psal. 28. & 103. regni nostri. Itẽ dicit: Emitte spiritũ tuũ & creabunt, & renouabis faciem
Mar. 16. terræ. Firmãt hæc Euãgelistæ: dicẽte ipso in Marco: Signa autẽ credẽtes
hęc subsequẽtur. In nomine meo dæmonia ejiciẽt, linguis loquẽtur nouis.
Luc. 24. Et alibi: Ego,inquit,promissum patris mei mittã uobis,uos autẽ sedete in
ciuitate

A ciuitate donec induamini uirtute ex alto. Et postquã hęc locutus est, ascẽdit in cœlũ,& sedet ad dexterã Dei. Testãtur & Actus apostolorꝫ:Nubes, ait,suscepit eũ, & sublatus est à discipulis. Et quo modo contẽplãtes erãt, cum iret in cœlum, duo uiri astiterunt eis in albis,qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis intuẽtes in cœlũ? Hic Iesus, qui assumptus est à uobis, sic ueniet quẽadmodũ eum uidistis euntẽ in cœlũ. Et iterũ: Die autẽ Pentecostes fuerunt omnes discipuli eadem animatione simul in uno. Et factus est de cœlo subitò sonus,quasi ferretur flatus uehemens, & impleuit totum illum locum,in quo erant credentes. Et uisæ sunt illis linguæ diuisæ quasi ignis,& insedit in unumquenque eorum, & loquebantur uarijs linguis,prout spiritus dabat eis pronũtiare. Et iterum: Spiritu sancto,ait, misso de cœlo,quem ditißime effudit super nos,& super omnes credẽtes. Act. 1. Act. 2.

PROMISSIO XXXII. IMPLETA.

De exortu ecclesiæ.

DAuid propheta dicit:Qui habitare facit sterilẽ in domo matrẽ filiorꝫ lætantẽ. Et Esaias,Lætare,ait,sterilis,quę nõ paris,erumpe,exclama, quæ nõ parturis:quia multi filij desertæ magis, quàm eius quæ habet uirum. Et quo modo hæc pariat, in Euãgelio Marci ipse dominus ostendit: Ite,ait discipulis,baptizãtes in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Itẽ ait: Si quis non renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum B Dei. Et in Actibus apostolorum:Eritis,inquit,mihi testes in totã Iudæam & Samariam,& usque in fines terræ. Dicit & Petrus: Sicut modo geniti infantes rationale & sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. Testatur & Paulus: Si decem milia pædagogorum habeatis in Christo,sed nõ multos patres:In Christo enim Iesu ꝑ Euãgeliũ ego uos genui. Psal. 112. Esa. 54. Mar. 16. Ioan. 3. Act. 1. 1. Pet. 2. 1. Cor. 4.

PROMISSIO XXXIII. IMPLETA.

De testamento nouo,cantico nouo,& homine nouo.

HIeremias propheta:Ecce dies ueniunt,dicit dominus, & cõsummabo super domũ Israël & super domũ Iuda testamentũ nouũ, quod dedi patribus eorꝫ. Et paulò pòst:Hoc est testamentũ, qđ dispono ad eos dans leges meas in mẽtibus eorꝫ,& in cordibus eorꝫ scribam eas, & nõ docebit unusquisqꝫ fratrẽ suũ,dicẽs:Cognosce dñm. Quia omnes cognoscẽt me à maiore usqꝫ ad minorẽ eorꝫ. Et per Esaiã: Ecce ego noua facio, quæ nunc orientur. Et iterũ:Eis uerò qui mihi seruiunt,nomẽ nominabitur nouum. Intelligitur utiqꝫ Christianũ,quod nomẽ terras obtinuit. Dicit & Dauid: Cantate domino canticũ nouũ: cantate domino omnis terra. Quis hæc, nisi cæcus corde,impleta nõ uideat? Firmat hęc dñs in Euãgelio Matthęi. Omnis,ait,scriba eruditus in regno Dei, similis est uiro proferẽti de thesauris suis noua & uetera. Et iterũ: Quod nascitur de spiritu, spiritus est. Testatur & Paulus:Primus,ait, homo de terra terrenus:secundus homo de cœlo. Quo modo portauimus imaginẽ terreni, induamus & imaginẽ Hier. 31. Esa. 43. Esa. 62. Psal. 95. Matth. 13. Ioan. 3. 1. Cor. 15.

Ephes. 4. eius qui de coelo est. Et iterũ: Renouamini, ait, spiritu mentis uestrę, & in- C
2. Cor. 5. duite nouũ hominẽ, eum qui secundũ Deum creatus est. Item: Si qua, ait, in CHRISTO noua creatura, uetera trãsierunt, & ecce facta sunt noua. Dicit & Maro: Quo ferrea primũ Desinit, ac toto surgit gẽs aurea mũdo.

PROMISSIO XXXIIII. IMPLETA.

De Martyribus.

Psal. 43. PEr Dauid prophetam dicunt: Propter te morte afficimur tota die, deputati sumus, ut oues occisionis. Et iterũ: Dedisti nos tanquam oues
Psal. 115. ad escam. Item: Pretiosa in conspectu domini, mors sanctorũ eius. Firmat
Matth. 10. hæc ipse in Euangelio, dicens: Ecce mitto uos sicut oues in medio luporũ. Et iterum: Qui perdiderit animam suam propter me, in uitam æternam conseruabit illam. Item: Trademini autẽ, ait, à fratribus, cognatis, & amicis, & morte afficient ex uobis: & eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit usque in finem hic saluus erit. Et in Ioanne: Nisi, ait, granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, multum fru-
1. Ioan. 3. ctum affert. Testatur & Ioannes apostolus, dicens: Sicut CHRISTVS pro nobis animam posuit, sic & nos debemus pro fratribus animas pone-
Rom. 8. re. Dicit & Paulus: Certus sum enim, quia neque mors, neq; uita, neq; angelus, neque principatus, neq; præsentia, neq; futura (& concludit) neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu D
domino nostro. Ad hæc illud Maronis: Permixtosq;, ait, diuis uidebit heroas, & ipse uidebitur illis. Decem sanè persecutiones à Nerone usque ad Diocletianum & Maximinianum fuisse, Orosius historiographus, ueluti decem plagas Aegyptias, scripsit. Alias sanè quàm plures, beatæ memoriæ Augustinus scriptis suis inseruit. Quas haud procul à nobis & sensit & uidit, nobisq; memorias sui martyrij consecratas tradidit uenerandas, credens & ipse augmenta ecclesiæ, quæ nos uidemus implere. Sanè nostris temporibus apud Persas persecutionem factam nouimus, imperante Arcadio religioso & Christiano principe: Qui, ne traderet ad se confugientes Armenos, bellum cum Persis confecit. Eo signo, antè quàm potitus uictoria iam coëuntibus prælium militibus, aëriæ cruces in uestibus paruere. Vnde etiam uictor auream monetam cum eodem signo crucis fieri præcepit, quæ in usu totius orbis & maxime Asiæ hodieq; ꝑsistit.

PROMISSIO XXXV. IMPLETA.

De uocatione gentium.

Psal. 49. DAuid dixit: Deus deorum dominus locutus est, & uocauit terrã, A
Esa. 52. solis ortu usq; ad occasum. Et Esaias: Mirabuntur gentes multæ super eum, & cõtinebunt os suum reges. Quibus nõ est nuntiatũ à Deo, uidebunt: & qui nõ audierunt intelligent. Item uirtutes eius in insulis pro-
Esa. 55. nuntiabunt. Item Esaias dicit: Gentes quæ non nouerunt te, inuocabunt te, &

A te,& populi qui ignorabant te, ad te confugient. Item ipse de Apostolis:
Qui sunt hi,qui ut nubes uolabunt, adducere filios tuos de terra longin- Esa. 60.
qua? Et iterum:Ecce hi de longinquo ueniunt, hi autē ab Aquilone & ma- Esa. 49.
ri,hi autē de terra Persarum.Et per Dauid dicitur: Populus quem nō co-
gnoui, seruiuit mihi,in obauditu auris obaudiuit mihi. Firmat hæc domi- Psal. 17.
nus in Euangelio: Multi,ait,ab Oriente & Occidēte uenient,& recumbēt Matth. 18.
cum Abraham,& Isaac,& Iacob in regno patris sui. Testatur & Petrus:
Qui aliquādo,ait,non populus,nunc autē populus Dei. Dicit & Paulus: 1. Pet. 2.
Vobis dico gentibus,quandiu quidē ego sum gentium Apostolus, mini- Rom. 9.
sterium meum glorificabo, si quo modo ad emulationem prouocare po-
tero carnem meam,ut saluos faciam aliquos ex illis. Et iterum: Cæcitas,
ait,ex parte Israël facta est,donec plenitudo gentium intraret,& sic omnis
Israël saluus fiet. Omnis,dicit,qui scriptus est in libro uitæ agni, qui occi- Apoc. 13.
sus est ab origine mundi.

PROMISSIO XXXVI. IMPLETA.

Quod reges Christum in ecclesia persequentes,ad eam humiles adducuntur.

IN Dauid propheta:Adorabunt eum omnes reges terræ,omnes gentes Psal. 71.
seruiēt illi. Et Esaias propheta:Gentes,ait,& reges qui tibi nō seruierūt, Esa. 49.
B peribunt. Et iterū:Ecce,ait dominus, tollo in gentes manum meam, & in
insulas tollā signū meum,& adducent filios tuos in gremio, filias aūt tuas
super humeros tollent. Et erunt reges nutritores tui,& principes fœminæ
eorum psaltrices tuæ. Et super faciem terræ adorabunt te, & puluerem
tuorum pedum lingent. Firmat hæc dominus in Euangelio, dicens: Re- Matth. 12.
gina Austri exurget cum generatione hac, & condemnabit eam. Venit Luc. 11.
enim à finibus terræ audire sapiētiam Solomonis. Et ecce plus quàm So-
lomon hic. Ideo plus hic,quia ad illum una,ad istum omnia regna uene-
runt. Sicut nunc nos, qui tanta credidimus, & credimus hæc impleri, &
cernimus & uidimus. Fatetur & Sibylla, dicens: Et coram hoc domino,
reges sistentur ad unum.

PROMISSIO XXXVII. IMPLETA.

Iugum legis Christi etiam reges suscepisse.

DAuid propheta dicit:Nunc reges intelligite omnes,qui iudicatis ter- Psal. 2.
ram. Seruite domino in timore,& exultate ei cum tremore. Cōtinete
disciplinā,ne quādo irascatur dominus,& pereatis de uia iusta. Et iterū:In
cōueniendo populos in unum, & regna ut seruiāt domino. Dicit & Solo- Psal. 101.
mon: Diligite iustitiā,qui iudicatis terrā. Firmat hæc dominus in Euange- Sap. 1.
lio,dicēs:Tollite iugū meū super uos,& discite à me, quia mitis sum & hu- Matth. 11.
milis corde. Et iterū: In qua mēsura mensi fueritis,in ea remetietur uobis. Matth. 7.
Testatur in hæc Iacobus apostolus:Iudicium,inquit, sine misericordia illi Iacob. 2.
qui non fecerit misericordiam. Superexaltat enim misericordia iudicio.

Paulus etiam orandum pro regibus censet, & pro his qui in sublimitati- C
1. Timo. 2. bus sunt, ut quietam & tranquillam uitam agamus. Ad hæc Maro ait: Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos.

PROMISSIO XXXVIII. IMPLETA.

De subuersione idolorum, atque templorum.

Deut. 7. & 12. Esa. 19. IN lege sua dominus per Moysem dicit: Aras eorum subuertetis, & lucos eorum succidetis, & sculptilia eorum igni cõcremabitis. Et Esaias propheta: Fugiẽt omnia manu facta Aegypti. Item: Abscondẽt deos suos in spelũcis Hier. 10. & cauernis petrarũ, neque ibi celabũt eos. Hieremias etiã dicit: Dij qui cœlum & terrã nõ fecerũt, pereant de sub cœlo & terra. Et per Zachariã do- Zach. 13. minus dicit: Perdã nomina idolorũ de terra. Dauid quoque dicit: Omnes Psal. 95. dij dæmonia. Hæc dominus in Euãgelio Lucæ firmat, dicens: Omne re- Luc. 11. gnũ diuisum in semetipsum desolabit. Et: Si Sathanas in seipsum diuisus Matth. 12. est, quo modo stabit regnũ eius? quia dicitis in Beelzebub eijcere me dæmonia. Quòd si ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij uestri in quo expel- 1. Cor. 8. lunt. Propterea ipsi iudices erunt uestri. Testatur & Paulus, dicens: Scimus quia nihil est idolũ in hoc mundo, & quia nullus Deus, nisi unus. Fatetur & Sibylla: Reijcient simulachra uiri, cunctam quoque gazam. Multa igitur hęc quę de Christo dicta, & de Christo acta sunt, nos credimus, quę ante nos populus uidẽs ista credidit, quæ nos uidemus impleri. Namque, ut de nostris tẽporibus aliquid dicã: Cõstãtino Christiano imperatore re- D gnãte, & schisma Donatianũ cõfutatũ est ex iudicio, & Arrius est diuina autoritate punitus. Theodosij uerò religiosi principis imperio, per Iouiũ & Gaudentiũ comites oĩa tẽpla expoliata, quæ uana figmẽta, quis nostrũ permittit ignorare? Cui Symmachus ille, mirabili eloquio & sciẽtia prę- ditus, tamẽ paganus, præconio laudum in cõsistorio recitato, subtili arte qua ualuit, aram Victoriæ in senatu restitui Christiano, ut nouerat, principi intimauit. Quẽ statim à suis aspectibus pulsum in centesimo lapide, rhedę nõ stratę impositũ ea die, manere præcepit. Eutropius quoque pręposi- tus plurimũ anima & mẽte paganus, cũ in cõtumeliã ecclesiæ edictũ obreptitiè ab Arcadio Christiano imperatore sculperet, ut si qs ad eã confugeret, etiã ab altari sublatus pœnas lueret ampliores, diuino iudicio suæ sententiæ prior ipse pprinatus est. Offensam quippe prædicti regis incurrens, ad eius refugiũ, quã oderat, cõuolauit. Quẽ sancta mater pietatis gremio suũ excepit inimicũ. Cui per uenerabilẽ sacerdotẽ Ioãnẽ imperãs, ueniã osori & supbo uitã cõtulit & salutẽ. Eius exẽplo cunctos admonẽs inimicos, uanũ Act. 14. eis esse contra stimulũ calcitrare: Honorius etiam Theodosij minor filius Chr̃iana religione ac deuotione præditus, tẽpla oĩa cũ suis adiacẽtibus spatijs, ecclesijs cõtulit: simulque eorum simulachra cõfringẽda ĩ potestatẽ dedit. Quę uerò eodẽ imperãte in hac Dei pmissione acta sint, quantũ memoriã gratia diuina iuuerit, duo uel tria loca memoriter ac breuiter excurram. Apud Alexãdriã in tẽplo Serapis hoc argumẽtũ dęmonis fuit. Quadriga ferrea

exsculperet

A ferrea nulla basi suffulta, nullis uncis infixis parietibus colligata, in aëre pendēs, cūctis stuporē ac uelut diuinū subsidiū oculis mortalium exhibebat. Quā tamē lapis magnes, qui ferrū sibimet attributū suspēdit, eo loco cameræ affixus, totā illā machinā sustentabat. Itaq; cum quidā Dei seruus inspiratus intellexisset, magnetem statim ut camera subtraxit, omne illud ostētum cadens confractū cōminutumq;, ostendit diuinū non esse, quod mortalis homo firmauerat. Apud urbem Romam specus quidam fuit, in quo draco miræ magnitudinis mechanica arte formatus, gladium ore gestans, oculis rutilantibus, gemmis metuēdus ac terribilis apparebat. Huic animæ deuotæ uirgines floribus exornatæ, eo modo in sacrificio dabantur. Quatenus insciæ munera deferentes, gradum scalæ (quo tota illa diaboli arte draco pendebat) contingentes, impetus uenientis gladij perimeret, ut sanguinem funderet innocentem. Et hunc quidam monachus bene ob meritum cognitus, Stiliconi tunc patritio eo modo subuertit. Bacula, manu singulos gradus palpando, inspiciens, statim ut illum tangens fraudem diabolicam respexit, eo transgresso descendens, draconem scidit misitq; per partes. Ostendens & hic, Deos non esse qui manu fiunt. Apud Aphricam Carthagini Cœlestis inesse ferebant templum nimis amplum omnium Deorum suorum ædibus uallatum. Cuius platea lithostrata, pauimento ac pretiosis columnis & mœnibus decorata, propè in duobus ferè milibus passuum protendebatur. Cum diutius clausum incuria, spi-
B nosa uirgulta circunseptum obruerint, uelletq; populus Christianus usui ueræ religionis uindicare, dracones aspidesq; illic esse ob custodiam templi, gentilis populus clamitabat. Quo magis Christiani feruore succensi, ea facilitate omnia amouerunt illæsi, qua templum suo uerò cœlesti regi & domino consecrarent. Nam cum sancta Paschæ solennis ageretur festiuitas, collecta illic & undiq; omni curiositate etiam adueniens multitudo sacerdotum multorum, pater & dignæ memoriæ nominandus antistes Aurelius cœlestis iam patriæ ciuis, cathedrā illic loco Cœlestis & habuit, & sedit. Ipse tunc aderam cum socijs & amicis, atq; (ut se adolescentium ætas impatiens circunquaq; uertebat) dum curiosi singula quæq; pro magnitudine inspicimus, mirum quoddam & incredibile nostro se ingessit aspectui, titulus æneis grandioribusq; literis in frontispicio templi conscriptus, Aurelius pontifex dedicauit. Hunc legentes populi, mirabantur. Præsago tunc spiritu acta, quæ præscius Dei ordo certo isto fine concluserat. Cumq; à quodam pagano falsum uaticiniū, uelut eiusdem Cœlestis proferretur, quo rursum & uia, & templa prisco sacrorum ritui redderētur, ille ille, inquam, uerus Deus, cuius prophetica uaticinia nesciunt omnino mentiri nec fallere, sub Constantio & Augusta Placidia, quorum nunc filius Valentinus pius & Christianus imperat, Vrso insistente tribuno, omnia illa templa ad solum usq; perducta, agrum reliquit in sepulturam scilicet mortuorum: ipsamq; uiam sine memoria sui, nunc Vandalica manus euertit. Noui quoque ipse in quadam parte Mauritaniæ Prouinciæ,

de spelæis & cauernis ita antiqua producta simulachra, quæ fuerant abs- C
consa, ut omnis illa cum clericis in sacrilegio periurij ciuitas teneretur.
Quid uerò per cæteras prouincias in re hac actum sit, & omnibus notum
est, & exitus ipsi demonstrant. Doluit hæc futura Hermes Trimegistus,
& mœrens inter cætera scripsit, dicens: Tunc terra ista sanctissima sedes
delubrorum, atque templorum, mortuorum erit cadauerumq; plenissima
futura. At spiritus Dei antè prædixit: spiritus etiam dæmonum confiten-
Marc.1. do tacere nequiuerunt, & maximè qui ipsi dixerant Domino: Quid ue-
nisti ante tempus perdere nos? Hic tanta Deorum illa turba certorum atque
incertorum quos Varro prodit, illi etiam proceres & electi dij cum ipso
rege suo Ioue fulmina uibrante, consilio potentiaq;, ut eorum cultores fe-
runt, metuēdi aruisq; terribiles, hic hic aliquid, si non pro mundo, saltem
pro se oportebat agere, ne scilicet unus eos perderet crucifixus. Perijsse
Psalm.9. uerò & nos nouimus, & Dauid propheta confirmat, dicens: Perijt memo-
ria eorum cum strepitu, & dominus in æternum manet.

PROMISSIO XXXIX. IMPLETA.

*Reges, & mediocres, ad unam Christi mensam pa-
riter conuenturos.*

Esa.11. ESaias propheta: Tunc, ait, unà pascent simul lupus cum agno, & par-
dus acquiescet hœdo, & bos, & leo, & agnus simul manducabunt pa-
Psalm.47. leas, & puer pusillus pascet eos. Et Dauid dicit: Quoniam ecce reges terræ D
collecti sunt, & conuenerunt in unum, ipsi uidentes ita admirati sunt. Item
Psalm.112. ipse: Quis est, ait, qualis dominus Deus noster? qui in altis habitat, & hu-
milia respicit. Qui erigit à terra inopem, & de stercore exaltat pauperem,
Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. Dicit &
Sapien.6. Solomon: Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi pro
Prouerb.9. omnibus. Et iterum: Sapientia, ait, fabricauit sibi domum & subdidit co-
lumnas septem, mactauit suas hostias, miscuit in cratere uinum suum, &
parauit suam mensam, misit seruos suos conuocās, & dicens: Venite, edite
de meis panibus, & bibite uinum quod miscui uobis. Firmat hæc domi-
nus in Euangelio, in cœna illa quam diues ipse magnus parauit filio suo.
Luce 14. Misit, ait, seruos, ut uenirent inuitati, & excusauerunt hoc modo. Vnus di
xit: Villam emi, eo uidere illam, habe me excusatum. Alius dixit: Quinq;
iuga boum emi. Alius dixit: Vxorē duxi. In his tribus excusationibus cō-
1.Ioan.2. cupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi. Qui-
bus detenti Iudæi, uocati ad cœnam CHRISTI uenire noluerunt. Ite,
ait paterfamiliâs, circa plateas & uicos, & quos inueneritis adducite. Ex
his adductæ sunt gentes. Adhuc, inquit, locus uacuus est, ite, ait, circa
sepes ac uias, & quos inueneritis cogite intrare. Et ex his diuites, re-
ges, & quosdam hæreticos (quos habet extra ouile suum) coactos addu-
Ioan.6. cit ille qui dicit: Nemo uenit ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit
eum. Etiam uenientibus dicit: Qui manducat carnem meam, & bibit
sangui

A ſanguinem meum, habet uitam æternã, & ego ſuſcitabo illum in nouiſsimo die. Qui uerò iſti ſunt, Paulus apoſtolus oſtendit: Non eſt, inquit, Iudæus neq; Græcus, non eſt ſeruus neq; liber, non eſt maſculus & fœmina. Omnes enim uos unum eſtis in Chriſto Ieſu. Huic etiam capitulo, quę ſuprà poſuimus, uerba Sibyllæ conueniunt dicentis: Deiecit colles, ualles extollet ab imo. Non erit in rebus hominum ſublime uel altum. Cui conſonans Maro dicit: Nec magnos metuent armenta leones. Gal. 3.

PROMISSIO XL. IMPLETA.

Quòd quum omnes crediderint gentes, ueniet finis.

ESaias propheta: Adorabunt, inquit, eum de locis ſuis omnes inſulæ gentium. Et per Malachiam prophetam: A ſolis ortu uſque ad occaſum clarum erit nomen meum in gentibus, dicit dominus. Et ſacrificium mundum inferetur nomini meo in omni loco. Item Eſaias: Quia repleta eſt terra ut cognoſcat Deum quaſi aqua multa tegens mare. Firmat hæc dominus in Euangelio Matthæi, dicens: Et prædicabitur Euangeliũ hoc in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc ueniet finis. De fine mundi per Aggeum prophetam hæc ſigna data ſunt: Ecce ego, dicit Dominus, ſemel adhuc commouebo cœlum ac terram, & ponam orbem terræ deſertum, & ciuitates ita, ut non habitentur. Et Abacuc dicit: Conſummatio in impios ueniet. Et iterum: Ficus, ait, non dabit fructum ſuum, & non erunt naſcentia in eis. Mentietur opus oliuæ & campi non afferent eſcas. Deficient ab eſca oues, & non erunt in præſepibus boues. Ego autem, ait, exultabo in domino. Ipſi quoq; ſapientes mundi in hæc atteſtati ſunt, ut eſt illud Salluſtij: Neceſſe eſt ut omnia orta occidant, & aucta ſeneſcant. Academici etiam noui, omnia uergentia incerta eſſe putauerunt. Et Plato: Si initium mundo dedit, dedit & finem. Vnde & alius dicit, Quid eſt hoc? iſtud in quo eſt aliquid extremum. Quæ dominus ipſe rerum omnium dans ſigna confirmat: Cum uideritis hæc omnia, ſcitote quoniam in proximo eſt finis. Dicit & Ioannes apoſtolus: Mundus tranſibit & concupiſcentia eius. Extrema autem futura dimidium temporis quod ſubſequitur connexis capitulis demonſtrabit: ut hoc tertium tempus tanquam tertium diem, ex quatuor Euangeliſtis uelut cardinibus mundi ſurgentem, orientali radio migrante Ioanne Euangeliſta, Matthæo, Marco, Luca tribus in partibus conſtitutis, & in duodenario diſcipulorum horarum numero, ueſperum quo paſſus eſt dominus concludamus: ut ipſe dies qui à mortuis reſurrexit, cum æternus uenerit in maieſtate, æternos nos faciat ſecum uiuere, ſemperq; Deum donet ſine fine laudare.

Eſa. 41. Malach. 1. Pſal. 112. Eſa. 11. Matth. 24. Agge. 2. Abac. 3. (B) Luce 21.

FINIS TERTIAE PARTIS, DE TEMPORE SVB GRATIA.

C

Dimidium temporis, ad cuius FINEM IMPLENDAE sunt uisiones, in scripturis sanctis factae de Antichristo.

PROLOGVS.

IN HOC dimidium temporis, finem mundi, & signa quae futura sunt, ipsiusque Antichristi facta, superbiam eius, breuisque temporis potestatem, domino donante, & operante eius gratia, ascriptis capitulis ex diuinis testimonijs probanda suscepimus: ostendentes sanè prius ac demonstrantes quid fuerit, qui nunc diabolus dicitur, qualisue ab autore bonorum omnium formatus sit, tum etiam lapsus eius ruinam & finem, ex omni Prophetiae, uel Noui testamenti autoritate breuiter intimabo: ne sint fastidio, si cuncta fuerint huic operi ascripta.

DIMIDII TEMPORIS CAPITA. D

A

Dimidium temporis.

Quomodo creatus est angelus, qui per superbiam diabolus factus est.

Prædictio impleta.

CAPVT I.

PER Ezechielem dicit de eo dominus: Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia & perfectus decore, in paradiso Dei tui fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, in medio lapidum igneorum ambulasti, perfectus in uijs tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas tua. Et Esaias: Quomodo, ait, cecidit Lucifer, qui manè oriebatur. Firmat hæc dominus in Euangelio: Vos, ait Iudæis, à patre diabolo estis. Ille enim homicida fuit ab initio, & in ueritate non stetit. In ueritate factus est in qua non stetit, quia subditus creatori esse noluit. Cuius potentiam nec malus euasit.

Ezech. 28. *Esa. 14.* *Ioan. 8.*

Qua elatione ceciderit diabolus.

Prædictio impleta.

B

CAP. II.

ESaias propheta de eo: Dicebat, ait, in corde suo, In cœlum ascendam super astra Dei, exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, & ero similis altissimo. Et in Ezechiele: Leuatum est, ait, cor tuum in decore tuo, perdidisti omnem sapientiam. Nunc, ait, iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi missus est deorsum. Testatur & Petrus apostolus in epistola ad gentes: Deus enim, ait, angelis peccantibus non pepercit: parcit tamen peccantibus hominibus: quia homo diabolo seducente peccauit, ille uerò seipsum peccando seduxit.

Esa. 14. *Ezech. 28.* *Ioan. 12.* *2. Pet. 2.*

Quò fuerit præcipitatus diabolus.

Prædictio impleta.

CAP. III.

ESaias propheta: Veruntamen, ait, in infernum demergeris in profundum laci. Et paulò pòst: Tu autem proiectus es de sepulchro tuo, quasi stirps inutilis. Et per Ezechielem dominus de eo: In terram proieci te, ante faciem regum dedi te, ut cernerent te & multitudinem iniquitatum tuarum. Et iniquitate negotiationis tuæ perdidisti sanctificationem tuam. Firmat hæc dominus in Euangelio dicens: Videbam Sathanã sicut fulgur de cœlo cadentem. Tunc enim amplius cecidit, quando se ab eo IESVS tentare permisit. Ostendens nequitias seductionis eius, & docens

Esa. 14. *Ezech. 28.* *Luce 10.* *Matth. 4.*

ſuos quemadmodum debeant reſiſtere tentatori. Dicit & Petrus apoſto- C
2.Pet.2. lus: Carceribus caliginis inferi retrudens, tradidit in iudicio puniendos
Apoc.12. ſeruari. Et in Apocalypſi Ioannis dicitur: Miſſus eſt draco ille magnus, ille ſerpens antiquus qui uocatur diabolus & Sathanas, qui ſeducit totum orbem terræ & præcipitatus eſt in terrã, & angeli eius cum eo miſsi ſunt, ruinoſam eius ſuperbiam ſequentes. Væ dictum eſt terræ & mari, quoniam deſcendit diabolus ad uos, iram magnam habens, ſciens quia breue tempus habet in negotiatione ſeductionis ſuæ. Quæ egerit decipiendo elatos & cupidos, ſuperiores partes huius libri continent. Nunc uerò in breui, id eſt, in fine temporis, quæ futuræ ſint eius fallaciæ, ſignis, ut dictum eſt, præcurrentibus, exequamur.

De diabolo ligato, & miſſo in abyſſum.

Prædictio impleta.

CAP. IIII.

Pſalm.103. DAuid propheta dicit: Draconem quem finxiſti ad illudendum ei. Et iterum: Tu contriuiſti capita draconum ſuper aquas, tu confregiſti caput draconis magni, & dediſti eum eſcam populis Aethiopibus. Et in li
Iob 40. bro Iob dicitur: Hoc eſt initium figmenti domini quod fecit, ut illudatur
Luce 8. ab angelis eius. Firmat Euãgeliſta, dicens: Rogabant Ieſum dæmonia, ne
Luce 10. eos mitteret in abyſſum. Et alibi: Dixit IESVS diſcipulis ſuis, Ecce dedi uobis poteſtatem calcandi ſerpentes & ſcorpiones, & non uobis noce- D
Matth.12. bunt. Item dominus: Nemo, ait, intrat in domum fortis, ut uaſa domus eius diripiat, niſi prius alligauerit fortem. Super hæc teſtatur Apocalypſis
Apoc.20. Ioannis: Vidit, ait, angelum deſcendentem de cœlo, habentem cathedram magnam in manu ſua, & apprehendit draconem illum magnum, illum ſerpentem antiquum, qui uocatur diabolus & Sathanas, & alligauit eum mille annis, & miſit in abyſſum. Et clauſit, & ſignauit ſuper eum, ne ultrà ſeduceret nationes, donec finiantur mille anni. poſt hæc oportet eum ſolui in breui tempore. Hic expoſuit quod in eodem libro dictum eſt. Gog & Magog uerba Hebræa, quæ Latinè tectum & detectum dicuntur. Vt ſic accipiamus tectum, quòd in abyſſum miſſus ſit diabolus clauſam ſignatamq́ ſuper eum: detectum uerò, quia oportet eum ſolui & produci in breui tempore. Mille uerò anni, aut à parte totum accipiendi ſunt (ut Pe
2.Pet.3. trus dicit apoſtolus: Vnus dies enim domino, ſicut mille anni: & mille anni ſicut dies unus) aut ab exitu ſermonis, quando à Daniele ſeptuagin
Dan.9. ta hebdomadæ taxatæ ſunt futuræ uſque ad CHRISTVM ducem. Nam tunc eſſe bellum factum, ut Michaël & angeli eius pugnarent cum
Dan.10. dracone, & Danieli angelus oſtendit dicens: Miſſum ſe eſſe ut pugnaret cum principe regni Perſarum: & non eſt, ait, qui me adiuuet niſi Michael princeps ueſter. In quo bello diabolus uictus eſt & principatus eius, ſicut eidem prophetæ in initio, ita Ioanni in fine temporis oſtenſum eſt. Vt illi quadringenti nonaginta anni, & iſti qui excurrunt ab aduentu ſaluatoris uſque

A usque in solitudinem eiusdem diaboli,concludant mille annos, in quibus ligatus est diabololus ne ultra seduceret nationes,quas antè possederat in idololatrijs.Quanta autē uirtute,ut ait beatæ memoriæ Augustinus,pollebunt tunc sancti, qui luctaturi sunt cum diabolo soluto, cum quo ligato tantis periculis dimicatur? Iam enim, ut Paulus dicit, mysteria ini- 2. The. 2.
quitatis operatur. Sed quæ sint eius mysteria,iuuante domino, subter adnexis capitulis continetur.

Quomodo per omnes suos diabolus mysteria iniquitatis operatur.

Prædictio impleta. CAP. V.

APocalypsis Ioannis dicit: Apprehēsa est bestia cum illo pseudopro- Apoc. 19.
pheta qui fecerat signa,quibus signis seduxit eos, qui acceperūt scriptionē bestiæ,in fronte & in manu sua.Inscriptio in fronte & in manu hęc est, non tantū diaboli facta imitari, quantū & gloriari in eius malis operibus,ut sub figura CHRISTI Antichristi facta exerceant.Quos etiam dominus Iesus in Euangelio testatus est,dicēs:Multi uenient in noīe meo Mat. 13.
dicētes: Ego sum Christus.& multos seducēt.nolite ire post eos.Et aposto
lus Ioannes: Audistis,ait,quia Antichristus uenit:nunc multi Antichristi 1. Ioan. 2.
facti sunt.Et qui isti sunt ostendit:Ex nobis,inquit,exierunt, sed nō erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis,mansissent utiq; nobiscum.Hæreticos omnes ostēdit, & maximè Arrianos, quos nunc uidemus multos seducere,aut potentia temporali,aut industria mali, aut certè abstinentia parci-
B tatis,uel quorunlibet signorum deceptione. Dicente Apostolo:Ipse enim 2. Cor. 11.
Sathanas transfigurat se uelut angelum lucis. Non ergo magnum,si ministri eius transfigurantur,sicut ministri iustitiæ. Quorum fines secūdum operationem ipsorum:cum eis dixerit dominus iactantibus se in mirabi- Matt. 7.
libus: Non noui uos. Discedite à me omnes qui operati estis iniquitatē, Psal. 6.
tanquam uestem CHRISTI, tanquam retia piscantium Apostolo- Vestē suprà posuit p ecclesia,ut
rum lacerantes. A quorum consortio alieni inueniuntur omnes hæretici, hic: retia uerò
qui relicta pace communionis & pannis unius Dei & Apostolorum, in hic μεταφορικῶς
suis non ecclesijs,sed plateis prædicant,& eorum memorijs non cōmuni- p doctrina Euāgelica pōit, quæ
cant,separati à toto catholicū sibi nomen ascíscunt. Cum in ipsa Hierusa- homines ueluti
lem Iacobus & Stephanus primus martyr: Ioannes apud Ephesum: An- piscantur Apo-
dreas & cæteri per totā Asiam:Petrus & Paulus apostoli in urbe Roma: stoli.
gentium ecclesiam (in qua Christi domini doctrinā erudierunt) pacatam unamq; posteris tradentes, sanguine memorijsq; suis ex Dominica passione sacrarunt. Huic generali ecclesię cōmunicās Christianus, est catholicus. Ab hac segregatus hæreticus est,& Antichristus: qui cum palàm manifestatus fuerit,ampliora signa eum esse facturū, sequētia demōstrabūt.

De signis Antichristi.

Prædictio impleta. CAP. VI.

IN libro Iob de Antichristo dicitur: Virtus eius in lumbis est, & potētia Iob 40.
eius super umbilicum uentris. Et iterum: Non est, ait, super terram po- Iob 41.

testas quæ cõparetur ei, qui sic factus est, ut nullum timeret. Omne subli- C
me uidet, ipse est rex super uniuersos filios superbiæ. Dicit & Paulus apo-
2. Thess. 2. stolus: Secundum operationem Sathanæ in omni uirtute signis, & prodi-
gijs mendacij, & in omni seductione iniquitatis his qui pereunt. Et domi-
Matth. 24. nus in Euangelio: Exurgent, inquit, pseudochristi & pseudoprophetæ,
& dabunt signa magna, & prodigia, in quibus seducantur, si dici potest,
etiam ipsi electi. Ecce, ait, prædixi uobis. Quanquam apostolus Paulus
1. Timo. 4. aliquos tacitè memoret cauteriatam habentes conscientiam, alios apertè,
2. Timo. 4. ut Hymenęum & Filetum: Demam, Hermogenem, & Alexandrum æra-
rium. Quorum errores doctrinasq́ uarias & multa mala commemorat.
Nec defuturos post suum abscessum lupos graues, ipsumq́ qui etiam nũc
Act. 20. operatur in filijs diffidẽtiæ, ipse testatur. Nostris quoq; tẽporibus Aspere
VICOS. Carthagini cõstituto, hoc signũ diabolicũ mõstrosumq́, quod
illic accidit, quis illius patriæ ciuis ignorat? Quædã iuuencula Araba na-
tione, ancillæ Dei habitũ gestans: cum in balneo lauãs simulachrũ quod-
dam Veneris impudicè respiceret & seipsam, eiq́ se cõsimilans, domiciliũ
se diabolo præbuit. Statim ille leo qui rugiẽs circuit, quẽ quærebat, inue-
nit. Meatus igitur gutturis ipsius occupãs, nullũ cibum nullumq́ potum
trajciẽs per septuaginta ferme dies totidemq́ noctes, ieiuniũ sibi diabo-
lus ex capta possessoq́ uase exhibuit. Hoc monstrũ parẽtes puellæ per tot
dierũ spatia auferri posse sperãtes, dum iuge malũ ulterius tollerare non
possent, simul cũ filia sese ingesserũt sacerdoti, quæ acta erant fideliter inti- D
mãtes. Hoc tantũ puella fatebat̃, auẽ quandã noctis medio apparere, quæ
sibi ore nescio quid infunderet. Stupor tũc inerat cũctis uidere puellã nul-
lis indicijs diuturni ieiunij fœdatã, nullo pallore seu tabe uel debilitate cõ
fectã: quin potius robustã succo uiscerũ, mole mẽbrorum. Cumq́ incredibi-
lia uiderent̃, quæ dicebant̃, habito consilio in monasterio puellarũ, in quo
reliquiæ sancti Stephani sitæ sunt, sacerdos puellã simul & præposito cõ-
mẽdauit. Illic prima tantũ die apparuisse illã auẽ asseruit, sibiq́ increpasse
quòd neq; fame neq; siti cõpulsa illũ appeteret locũ, quo sibi accedere non
liceret. Per duas sanè hebdomadas nihil cibi uel poculi sumẽs in monaste-
rio mãsit. Accidit aũt ut quintusdecimus dominicus illucesceret dies, ascẽ-
dẽte nobiscũ sacerdote, ut matutinũ illic sacrificiũ solito offerretur: puellã
præpositus ad altare perduxit, eo incessu & habitu quo solẽt rubore per-
fusæ ex epulis poculisq́ mulieres aduenire. Sed ut se illa prostrauit altari,
clamore fletus sui cunctis astãtibus gemitus lachrymasq́ induxit, quibus
tantũ malum auferendũ præsens plebs dñm exorabat. Erat enim iam in-
decens murmur in populo. Peracto itaq; sacrificio cum eadẽ inter cæteras
breuẽ pticulã corporis dñi tinctã à sacerdote pciperet, semihora mandẽs
1. Cor. 10. trajcere nõ ualuit, nondũ illo fugato, de quo dicit apostolus: Quę cõsonã-
2. Cor. 6. tia Christi ad Belial? Et iterũ: Nõ potestis calicẽ dñi bibere, & calicẽ dæmo
niorum. Non potestis mẽsæ dñi participare & mẽsæ dæmoniorum. Manu igit̃
faciẽ eius sustẽtãte sacerdote, ne sanctũ pjceret, à quodã diacono suggestũ
est ut

A est ut calicem salutarem gutturi eius Pontifex applicaret. Quod ut factū est, statim ut locum illum quem diabolus obsederat saluatoris imperio reliquit, sacramentū quod ore gestabat cum laude redemptoris trāsglutisse puella clamauit. Hinc lætitia, hinc uoces in gloriam Dei, quòd post octoginta & duos dies diabolo expulso, puella de potestate fuerit eruta inimici. Oblatio itaq; rursum gratiarū actionis pro ea fit, sacrificijq; percipiens certam partem prisco est reddita usui. Tunc etiā dum hæc agutur, spiritu diuino actus diaconus eiusdem tituli statuam illam sublatam confregit in puluerem, omnemq; insidiantis astutiam superauit diuina maiestas. Nouimus etiā aduenisse illuc quendā sub specie monachi, qui quædam signa curationū se operari fatebatur. Cumq; circa cæcos & claudos phātasticos quosdam ageret lusus, eosq; oleo, nescio cuius mortui osis liniret, ut sibi uisus gressusq; redditos æstimabāt, discedentes in illis quibus antea tenebantur infirmitatibus permanebāt. Sed in his proditū sese cognoscens seductor ille, aufugit. In Asia uero siue ipsum, siue aliū talia fecisse, quidam Christianus religiosus & nobis enarrauit. In Italia quoque nobis apud Campaniā cōstitutis, dum uenerabilis & apostolico honore nominandus Papa Leo Maniehęos subuerteret, & cōtereret Pelagianos & maximè Iulianū: ambiēs tum quidā Florus nomine spiritu seductionis arreptus, uirtutē & meritū sibi sancti Sosij martyris asignās, cum haud procul à Neapolitana ciuitate in subuersionē animarum quædā promitteret faceretq; B illicita, à germano uenerabilis Nostriani episcopi, & Herio presbytero simul cum clericis prædictæ ecclesiæ tentus & coërcitus, sic à præfatæ prouinciæ luminibus pulsus est. Multa sanè per diuersas terras agit ille, qui suæ perditionis socios quærit. Ideoq; pauca ipsius in hoc opere intimanda credidi, ut qui post nos futuri sunt legendo cognoscant, qua cautela Deo iuuante superare ualeant inimicum. *liminibus*

De muliere, & bestia, qua portatur.

Prædictio implenda.

CAP. VII.

IN Apocalypsi Ioānes apostolus dicit: Venit unus ex septē angelis sanctis, & locutus est mecū, dicēs: Veni ostendā tibi iudiciū meretricis magnæ sedētis super aquas multas. Et duxit me in spiritu, & uidi mulierē sedentē super bestiā habentē capita septē & cornua decē, ferētem poculū in manu sua plenū execrationibus immunditiæ, & fornicatione totius terrę. Et paulò pòst: Vidi mulierē illā ebriā sanctorū sanguine, & sanguine martyrū Christi Iesu. Hæc est Babylonia illa magna per mūdū expoliāda trophæis. Eiusq; filia est misera quæcūq; facta eius & superbiā imitatur. Nec eam uno in loco existimes ciuitatē, quæ tota est sparsa ī orbe. De qua dicit & propheta Dauid: Filia Babylonis misera, beatus, ait, qui retribuet tibi retributionē tuā, quam retribuisti nobis. Et in Apocalypsi Ioānis dicitur: Reddite ei sicut & ipa reddidit uobis, in poculo, quo miscuit uobis, misce- Apoc. 17. Psal. 136. Apoc. 18.

te ei duplum. Et inquantū se clarificauit & potestatis habuit, in tantū date C ei cruciatus, & luctus. Quia dicit: Sedeo regina, & uidua non sum, nec luctus uisura sum. Ideoq; una hora plagæ eius aduenerūt, Mors, Fames, & Luctus. Et ipa igni cremabitur, quoniā fortis est dominus qui eam iudicabit. Quis autē nō intelligat, quā dicat ferentē poculū plenum execrationibus immunditiæ, & fornicationis totius terræ? Aeterna cum dicitur, quæ temporalis est, utiq; nomē est blasphemiæ. Cùm mortales licet reges, in ea dicantur Diui, eisq; supplices dicunt, Nomini uestro, altaribus uestris, perennitati uestræ, & cætera: quæ uanitas, non ueritas tradidit, atq; execrabilia sunt. Hæc enim æterno Deo debentur. Sanè in sacris sacrilegis & mollibus tum sacerdotibus, ad fornicationē idololatriæ omnes gentes inuitās, se ipsam in subditis cōtaminauit. De quibus sacer insonat Psalmus:
Psal. 72. Perdidisti omnes qui fornicātur abs te. Verūtamen quia sunt in ea ciues
Psal. 72. supernæ patriæ Hierusalē, qui dicūt: Mihi autē adiungi Deo bonū est: dicitur eis: Exi de ea populus meus, ne particeps sis delictoꝛ eius, & ne perstringaris plagis eius. Exeunt enim hi qui nō fastus eius, sed humilē uiam CHRISTVM sequuntur, qui nō rapinā, sed misericordiā diligunt, qui
Heb. 12. pacem & sanctificationē custodiunt, sine qua nemo poterit uidere Deum.
2. Cor. 6. Qui gemunt, & dolent ob iniquitates, quæ fiunt in medio eoꝛ, nec sunt iugum ducētes cum infidelibus. Quos etiā dominus in Euangelio, suo ex-
Matth. 5. hortatur alloquio dicens inter cætera: Beati mites, quia ipsi posidebunt terram. Beati misericordes, quia ipsi misericordiā cōsequentur. Beati pacifici, quia ipsi filij Dei uocabuntur. Beati lugentes, quia ipsi consolabun- D tur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipso-
2. Thess. 2. rum est regnum cœlorum. Testatur & Paulus, dicēs: Tantum qui modò tenet, teneat: donec de medio fiat, & tunc reuelabitur iniquus, quem dñs
Esa. 11. Iesus interficiet spiritu oris sui, & euacuabit in illuminatiōe præsentię suę.

De decem regibus, quos Antichristus inueniet.

Promissio implenda. CAP. VIII.

Apoc. 17. IN Apocalypsi Ioānes: Dixit, ait, mihi angelus: Propter quid admiratus es? Ego dicā tibi sacramentū huius mulieris & bestiæ, qua portatur. Bestia quā uidisti fuit, & nō est, sed ascēsura est ex abysso & itura in interitū. Illa septē capita eius, septem mōtes sunt, supra quos mulier sedit: & reges septem sunt, unde quinq; ceciderunt, unus superest, alius nondū uenit: & cum uenerit, oportet breui tempore illū manere. Bestia quæ fuit & nō est, & ipsa octauo loco est: cum sit ex septē, & in perditionē ibit. Et decem cornua quæ uidisti, decē reges sunt, hi regnū nondū acceperunt, sed potestatē
Dan. 10. regni una hora accipient post bestiam. Hoc à Daniele ostensum est. Bestia quarta quæ grādior oībus bestijs fuit tot cornua habēs. Sed quod ibi dicit, cornu minus surrexisse ante se, hic septē reges nominat illis tribus expulsis, ipsum autē octauū Antichristū esse, cū sit ex septē. Ergo inquātum datur existimatio, aut priores reges memorat, qui truculētiores fuerūt in religione

A religione Christiana: aut ex decẽ, tribus extinctis, septẽ futuros qui & ipsi sæuiãt in ecclesiã. Omnes sanè hæreticos Arrianos uult intelligi, cũ dicit: Hi aduersus agnũ pugnabũt & agnus uincet eos. Pugnãt enim ex sufflando & rebaptizando membra agni, quæ iam CHRISTVS suo sanguine sacrauerat. Sed nemo perijt, ait dominus, nisi filius perditionis. Octauũ *Ioan. 17.* igitur regnũ, quem dicit Antichristũ, quidã Neronem intelligi uolunt: ut ipse sit bestia, quæ fuit, & nõ est, & iterum uenturus est. Sed siue ipsius formam & speciem corporis sumat, & in ea appareat (sicut è cõtrario angelus sanctus in Tobiæ libro speciẽ & similitudinẽ Azariæ, Ananiæ magni suscepit) siue in alterius speciem appareat Antichristus, ipsius tamen Neronis luxuriem & spurcitiam sæuitiamq; morum habiturũ, Daniel propheta testatur, quæ in sequenti capitulo demonstranda sunt.

De moribus Antichristi.

Prædictio implenda. CAP. IX.

DAniel propheta dicit angelũ dixisse sibi: Filij quoq; preuaricatorum *Dan. 11.* populi tui extollẽtur, ut implcãt uisionẽ. Et paulò pòst: Stabit, ait, in loco regis, uilissimus & indignus decore regio, & in paucis diebus conteretur, nõ in furore nec in prælio. Et faciet iuxta uoluntatẽ suã rex, & eleuabitur, et magnificabitur aduersus omnẽ Deum, & aduersus Deum deorum loquetur magnifica, & diriget donec compleatur iracundia, perpetrata est quippe definitio. Et Deum patrum suorũ nõ reputabit, & erit in B cõcupiscẽtijs fœminarũ, & Deum, quẽ ignorauerunt patres eius, colet, & Deum Moazi in loco suo statuet. Hic ostenditur quòd ex Iudæis de tribu Dam, quæ hodieq; in Perside est, ueniat Antichristus, iuxta propheticam benedictionẽ Iacob patriarchæ dicentis: Dam iudicabit populũ sicut aliæ *Gen. 49.* tribus. Fiat coluber in uia, cerastes in semita mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retrò. Statimq; uerũ CHRISTVM dominũ uenturũ ostẽdit, dicẽs: Salutare tuũ expectabo domine. Hoc etiã in Euãgelio quod suprà posuimus, testatus est dominus Iudęis, dicens: Veni ego in nomine *Ioan. 5.* patris mei, & nõ credidistis mihi: alius ueniet in nomine suo, & ipsi credetis. Quos præuaricatores legis Paulus redarguẽs, ostẽdit Antichristo credituros: Pro eo, ait, quod dilectionẽ ueritatis nõ acceperũt ut salui fierẽt, *2. Thess. 2.* ideo mittet illis Deus operationẽ erroris ut credãt mẽdacio, & iudicentur omnes, q nõ crediderũt ueritati, sed cõsenserũt iniquitati. Notãdũ sanè, post bestiã hæc omnia esse uentura: id est, sublato regno in quo mulier sedet ebria sanctorũ sanguine, quæ nos credẽtes posteris uidẽda relinqmus.

De persecutionibus Antichristi.

Prædictio implenda. CAP. X.

IN uisione Danielis angelus de Antichristo: Cor eius, ait, aduersus testa *Dan. 11.* mentũ sanctũ. Itẽ ibi: Brachia ex eo exurgẽt, & pollucẽt sanctuariũ fortitudinis, & auferẽt iuge sacrificiũ, & dabũt abominationẽ in desolatione, & impij in testamẽtũ simulabũt fraudulẽter. Et hic Arrianos signat præcur-

sores Antichristi. Populus aũt, ait, sciẽs Deum suum obtinebit & docti in G
populo plurimi. Et erũt in gladio, & in flãma, & in captiuitate, & in rapina
dierũ. Cumq; corruerint, subleuabũtur auxilio modico, & applicabuntur
eis plurimi fraudulẽter. Et de eruditis ruent, ut cõflẽtur & eligãtur & deal-
bẽtur sancti usq; ad tẽpus præfinitũ. Itẽ ibi: In tẽpore illo dictũ est: Cõsur-
Dan. 12. get Michaël princeps magnus, qui stat pro filijs populi tui, & ueniet tem-
pus, quale nõ fuit ab initio ex quo gẽtes esse cœperũt, usq; ad tẽpus illud.
Et in tẽpore illo saluabit populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus
Mat. 13. in libro uitæ. Firmat hæc in Euãgelio: Cum uideritis, ait, uastationẽ deso-
lationis, quæ dicta est in Daniele ꝓpheta, qui legit, intelligat. Et iterũ: In
Dan. 9. diebus aũt illis erit tribulatio & angustia qualis non fuit ab initio. Et nisi
breuiasset Deus dies illos, nõ mãsisset omnis caro. Sed propter electos bre
Apoc. 13. uiabũtur dies illi. Testatur & Ioãnes in Apocalypsi: Data est, ait, potestas
bestiæ loquẽdi magna, & aperuit os suũ in blasphemia aduersus Deum,
blasphemare nomẽ eius & tabernaculũ eius. Et data est ei potestas faciẽdi
bellũ cũ sanctis, & uincere, & occidere eos. Et data est ei potestas in omni
tribu & lingua, & gente, & adorabũt eam omnes, qui nõ sunt scripti in li-
bro uitæ agni qui occisus est ab origine seculi. Hic etiã martyria CHRI-
STI domini refulgent, ut sicut primus eius aduentus millia infantium,
ita secundus electorum suppleat numerus.

De superbia Antichristi.

Promissio implenda. CAP XI. D

Ezech. 28. EZechiel propheta: Eleuatum est, ait, cor tuũ & dixisti, Deus ego sum,
& in cathedra Dei sedeo in corde maris: cũ sis homo, & non Deus. Et
2. Thess. 2. dedisti cor tuũ quasi cor Dei. Dicit & Paulus apostolus: Cum uenerit re-
fuga primũ, & reuelatus fuerit homo peccati filius perditionis, qui super-
extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur, ita ut in tẽplo
Mat. 13. Dei sedeat ostentãs se tanquã sit Deus. Et dominus in Euãgelio: Cum uo-
bis dixerint, ecce hic est Christus, ecce illic, nolite ire post eos. Et in Apo-
Apoc. 13. calypsi Ioannis: Vidi, ait, bestiã ascẽdentẽ de terra, & habebat cornua duo
agni similia, & loquebatur sicut draco. Et paulò pòst: Et fecit signa magna
ita ut ignẽ faceret de cœlo descendere in terrã sub oculis hominũ, & sedu-
xit eos, qui habitãt terrã propter signa quę data sunt ei facere. Hic metuãt
1 Cor. 1. curiosi & maxime Iudæi. Qui Iudæi signa petunt, ut Apostolus dicit, &
Græci sapientiã quærunt. Vnde quidã cõijciunt in templum Solomonis
Antichristũ esse sessurũ, uel se efferre signis, qbus Christus esse credatur.
Nam eum & præcones mendacij sui habiturũ, ostensum est, cum dictũ sit
Apoc. 16. duo cornua habiturum agni similia. Dicit etiam Ioannes in Apocalypsi:
Vidi, inquit, ex ore draconis, & ex ore bestiæ, & ex ore pseudoprophetę
spiritus tres immũdos exeũtes uelut ranas. Sunt enim spiritus dæmonio-
rum faciẽtes signa. Exibũt ad reges totius orbis terræ, congregare illos in
pugnã ad diẽ illũ magnũ omnipotẽtis. Quod enim in Daniele dictum est:
Examina

A Examina ex eo exurgent: Hic apertè dictum est, exire uelut præcones eius spiritus tres immundos, tanquam in tres partes orbis: id est, Asiæ, Europæ, & Aphricæ: qui & signis persuadeant Antichristũ ipsum esse CHRISTVM. Sed eum non esse, sequentia demonstrabunt.

De Antichristo conuincendo, quòd Christus non sit.

Prædictio implenda. CAP. XII.

ANtichristus in qua superbia sit uenturus, superius dicta declarant. Non ergo erit humilis eius aduentus, sicut de CHRISTO omnis resonat prophetia, Esaia dicẽte: In humilitate iudiciũ eius sublatũ est, generationẽ autẽ eius quis enarrabit? quia tolletur à terra uita eius. Nõ ducetur sicut ouis ad uictimã, id est, ad passionem, ut CHRISTVM ductũ Euangelia testantur & prophetiæ. Non dabit percutienti se maxillam, nec sputa & colaphos accipiẽs tacebit. Quæ in Christo facta ita credimus, ut ea omnis prædicit prophetia. Non ponet dorsum suum ad flagella, nec satiabitur opprobrijs. Quod Christũ implesse, omne Euangelium prædicat & prophetia. Non diuidenẽt uestimẽta eius, & in tunicã sortẽ nemo missurus est. Quod in Christi ueste factum Euãgelia testãtur & prophetiæ. Nõ crucifigeť, nec fel & acetũ accipiet. Quod Christum percepisse & Euãgelia dicũt & prophetiæ. Non suscipiet latus eius lanceã, & uulnera clauorũ in eo nõ erũt. Quæ in Christo etiã post resurrectionẽ fuisse, & Euãgelia testãtur & prophetiæ. Sanguine suo nõ redimet mundũ. Quod de Christo oĩs prædicat prophetia. Nõ morietur, & tertia die resurget. Quod Christum fecisse & Euãgelia testanť, Apostolicæ quoq; literæ & prophetię. Nõ ascẽdet in cœlũ, nec spiritũ sanctũ in linguis igneis super discipulos effundet. Quod Christũ implesse, omne Euangeliũ sonat & prophetia. Super hæc, mundus ipse iam testis est totus. Quare his examinatis atq; perspectis intelligũt, qui post nos futuri sunt, Antichristũ nõ esse Christũ. Cuius finem Apocalypsis ipsa demonstrat: Venit, ait, angelus & apprehẽdit dracone, & bestiã, & pseudoprophetas. Isti uiui simul missi sunt in stagnum ardens igne & sulphure, & cruciabuntur illic in secula seculorum. Hic finis erit diaboli & angelorum eius, & eorum hominum, qui sub nota & signo, ad eius societatem trãsierunt. Sicut etiã Daniel & Ezechiel prophetæ de eius fine testantur. In his autem quæ dicta sunt, bene facient qui tunc fuerint intendere prophetiæ, sicut lucernæ in obscuro loco, donec ipse dies qui uenturus est clarescat in cordibus credentium. Alia uerò signa ultima, quæ futura sunt, sequentia demonstrabunt.

(Margin: Esa. 53. — Esa. 50. — Thren. 3. — Psal. 21. — Psal. 68. — Psal. 20. — B — Ose. 6. — Apoc. 24. — 2. Pet. 1.)

De missione Heliæ & Enoch.

Promissio implenda. CAP. XIII.

IN Malachia propheta: Ecce, ait, dicit dñs, Mittã uobis Heliã Thesbitẽ priusquàm ueniat dies dñi magnus & manifestus, qui restituet cor patris ad filium, & cor hominis ad proximum suum, ne ueniens percutiam (Malach. 4.)

terram funditus. Sic enim isti prophetæ conuertent corda patrũ ad filios, C ut ostendãt, quæ Patriarchæ uel Prophetæ dixerunt de Christo in humilitate uenturo, conuincẽtes Antichristum, non esse CHRISTUM. Hoc
Apoc. 11. euidẽtius Apocalypsis Ioãnis ostẽdit: Dabo, ait dñs, duobus martyribus meis, & ꝓphetabunt diebus mille ducẽtis sexaginta amicti saccis. Hi sunt duæ oliuæ & duo candelabra cõsistentia in conspectu dñi terræ. Et paulò pòst: Hi habebunt potestatẽ claudendi cœlum, ne imbrem pluat per dies prophetiæ eorꝫ. Et potestatem habent omnium aquarum cõuertẽdi eas in sanguinẽ, percutere terram in omni plaga quotiescunqꝫ uoluerint. Ecce & hic tripartita etiã testium diuisio. Cõtra Pharaonem duo testes Dei missi sunt, Moyses & Aaron: & duo Magi Pharaonis, Iamnes & Mambres resistentes Moysi, qui simul cum suo rege perierunt: & contra Neronẽ duo,
2. Timo. 3. Petrus & Paulus apostoli, at contrario Simon Magus, qui & se perdidit, & Neronem decepit: & cõtra Antichristum duo, Enoch & Helias ꝓphetæ, aduersus quos tres pseudoprophetæ Antichristi exurgent. Ideo hic plus unus, quia supra unus minus, ut senarius numerus ex utrisqꝫ partibus suppleat, propter sex dies creaturæ in principio dispositos, & sex an-
Apoc. 15. gelos canẽtes tubis totidemqꝫ plagas mundo inferentes, ut septimus finẽ laborꝫ requiemqꝫ sanctorꝫ significet, tanquã septimus dies qui manè tantum, & uesperum nõ habebit. Quam requiem sabbati omni præcepto diuinitas ipsa seruandã cõmendat, ut uacãtes ab omni opere malo manè ad-
Psal. 102. stemus, ut contemplemur eum, qui coronat in miseratione & misericordia, omnes iustè iudicans, & iniquè neminem damnans. sed de his Tyconius multa conscripsit. Consummationem uerò perfectionemqꝫ temporum trium annorꝫ & sex mensium, qui dicti sunt dies mille ducenti sexaginta, & menses faciunt quadraginta & duos, non tantum Apocalypsis Ioannis, quãtum & Daniel propheta commendat. Quibus ciuitatem sanctam calcari ut existimatur ab hæreticis, & maximè Arrianis, qui tunc plurimum poterunt, Gog & Magog, ut quidam dixerunt Gothos & Mauros, Getas & Massagetas, per quorum sæuitiam ipse iam diabolus ecclesiam uastat, & tunc amplius persequentur. Cessare etiam facient iuge sacrificium, propter quod admonet dominus, dicens: Venio citò. Beatus qui uigilat, & seruat uestimenta sua, ne nudus ambulet. Quæ autem sint uestimenta seruanda, sequens capitulum demonstrabit. D

De ueste seruanda Christianis.

Prædictio implenda. CAP. XIIII.

Gal. 3. PAulus apostolus dicit: Quotquot in CHRISTO baptizati estis,
Ioan. 13. Christum induistis. Et dominus in Euangelio: Qui semel lotus est, nõ opus habet lauare nisi pedes tantum, quia est mundus totus. Omnis itaqꝫ ab hereticis rebaptizatus, aut uoluntariè uestẽ suam Christum amisit, aut in persecutione deficiẽs indumentum quod habuit perdidit. Dum igitur
Luc. 15. tempus est, recurrat expoliatus & nudus pœnitẽdo ad pium patrem, qui redeunti

A redeunti perdito filio, & primam stolam reddi iubet, simul & anulum dignitatis. Qui adhuc tortuosis hæreticorum disputationibus uelut filiquis porcorum pasci desiderat, panis recordetur & patris, fugiat latrones expoliatores suos, pudeat Dei filium Antichristi factum esse mancipium, sponte uel compunctus redeat, ut uestiatur, ne nudus exhibitus iudicetur. Hæc illi cum perditis filijs acturi sunt Dei testes. In his Helias & Enoch suum martyrium consummabũt, sicut capituli sequentis narrat autoritas.

De paßione Heliæ, & Enoch.

Prædictio implenda. CAP. XV.

IN Apocalypsi Ioannis dicitur: Cum finierint martyrium suum, bestia quæ ascendet de abysso, faciet cum his bellũ, & uincet eos, & occidet eos, & corpora eorum iacebũt in platea ciuitatis illius magnæ, quæ uocatur spiritualiter Sodoma, & Aegyptus ubi & dñs eorum crucifixus est. Hæc platea cõscientia est omniũ impiorꝝ in mundo plaudentiũ in morte sanctorꝝ, quòd acerrimis quasi caruerint inimicis. Propter quod corpora eorũ non sinent poni in sepulchro, quia hi uidelicet duo prophetæ cruciauerunt eos qui habitant terras, quibus occisis cum dixerint pax & securitas, tunc illis adueniet repentinus interitus, sicut dolor partus habentis in utero, & non effugiẽt. Quia dies dñi, ut Paulus dicit apostolus, sicut fur in nocte ueniet. *Apoc. 11.* *1. Theß. 5.*

B

De resurrectione Heliæ, & Enoch.

Promißio implenda. CAP. XVI.

APocalypsis Ioannis dicit: Post tres & dimidium diem spiritus uitæ à Deo intrauit in illos, & steterunt super pedes suos. De his arbitror apostolum dixisse Paulum, Et mortui in CHRISTO resurgent primi. Tres igitur & dimidius dies, tribus annis & sex mensibus respõdent, quibus potestas erit Antichristo, eisq́ʒ suppletis corã oculis inimicorꝝ Helias & Enoch ascendẽtes in cœlũ, ibunt in occursum Christo uero regi & iudici uenienti. Qui Antichristũ omnesq́ʒ eius interficiet spiritu oris sui, ut regnet in domo Iacob ipse, de quo dictum est, Regni eius non erit finis. *Apoc. 11.* *1. Theß. 4.* *Luce 1.* *Mich. 4.*

De aduentu claritatis filij Dei, & hominis.

Promißio implenda. CAP. XVII.

DAuid propheta dicit: Deus manifestus ueniet, Deus noster, & non silebit. Ignis ante eum ardebit, & in circuitu eius tempestas ualida. Dicit & propheta Malachias: Væ desiderãtibus diem dñi, & ut quid uobis illam? Item: Ipse subitò ueniet in templũ suum dñs, quem uos ignoratis, & angelus testamẽti, quem uos uultis, ecce ueniet dicit dñs. Et quis sustinebit introitũ eius, aut quis resistet in aspectu eius? quia ipse introibit sicut ignis conflatorij. Dicit & Esaias: Ecce dies dñi sicut ignis ueniet, & sicut procella currus eius reddere in ira uindictam & retributionẽ in flãma ignis. Dicit & dominus in Euangelio: Sicut enim fulgur exiens ab Oriente pergit *Psalm. 49.* *Malach. 3.* *Esa. 66.* *Matth. 20.*

in Occidentem, sic erit & aduentus filij hominis. Et iterum: Sol tenebrabi- C
tur, & luna non dabit lumen suũ, & stellæ de cœlo erunt decidẽtes, & uir-
tutes cœlorũ mouebũtur, & tunc uidebunt filium hominis uenientẽ in nu-
bibus cum uirtute magna & gloria. Testatur & Apocalypsis Ioãnis dicẽs:
Apoc. 6. Sol factus est niger ut saccus silicinus, & luna sanguinea facta est, & stellæ
ceciderunt eo modo, quo ficus uento magno agitata amittit acerbos fru-
ctus suos, & cœlũ recessit ut liber cum euoluitur: & omnis mons & insulæ
de locis suis motæ sunt: & reges terræ maximiq; tribuni, & diuites, & no-
biles, & serui absc̃õderunt se in speluncis & petris montium dicẽtes mon-
tibus & petris: Cadite super nos, & absc̃õdite nos à cõspectu patris sedẽtis
super thronũ, & ab ira agni, quoniã uenit dies magnus iræ illorũ. Et quis
1. Thess. 4. poterit stare? Dicit & Paulus apostolus: Ipse dñs in iussu, in uoce archãge-
li, & in tuba Dei descendet de cœlo. Fatetur & Sibylla inter cætera dicens:
Eripitur solis iubar, & chorus interit astris: Voluet cœlum: luminaris splẽ
dor obibit. Sed tuba tum sonitum tristem demittit ab alto Orbe, gemẽs fa
cinus miserũ uariosq; labores: Tartareumq; chaos monstrauit terra de-
hiscens. Multa per singula capita etiã necessaria testimonia prætermisi, su-
scepti operis modum cogitãs. Quare aduentus filij Dei, sicut bonis lætitiã
infert, ita malis exitium. Nunc enim cum uiuimus & tempus est corrigen-
di, actus moresq; mutemus. Sequitur autem resurrectio mortuorum.

De resurrectione carnis. D

Promissio implenda. CAP. XVIII.

Ezech. 37. EZechiel propheta: Dixit mihi dominus, Fili hominis prophetiza su-
per ossa hæc & dic, Hæc dicit dñs: Ecce eijciam uos de monumẽtis ue-
stris, & inducã super uos neruos, & imponã carnes, & extendam cutem. Et
dabo spiritũ meum in uos, & uiuetis, & scietis quia ego sum dñs. Et Esaias:
Esa. 26. Exurgent mortui, & excitabũtur qui in monumẽtis sunt. Et ipse in Euãge-
Ioan. 5. lio: Veniet, inquit, hora quãdo omnes qui in monumẽtis sunt, audiẽt uo-
cem filij Dei, & procedẽt qui bona egerunt in resurrectionẽ uitæ, qui mala
egerunt in resurrectionẽ iudicij. Testatur & Paulus hæc in ictu oculi fieri,
1. Cor. 15. in nouissima tuba: Canit enim, ait, tuba, & mortui resurgũt incorrupti, &
Apoc. 20. nos immutabimur. Et Apocalypsis: Exhibuit, ait, mare quos penes se ha-
bebat mortuos, similiter & mors, & infernus. Hic illa absoluenda sese in-
gerit quæstio, quæ insipientium gentiliumq; ore profertur, Quo modo
resurgãt ij, quorum cadauera belluæ, bestiæq; comederint, ipsæq; ab alijs
bestijs, auibus, canibusq; consumptæ sint: Ignorãtes omnia quæ ex terra
creata sunt, in eandem materiam resoluta recidere. Ac facile esse potentiæ
creatoris, ex ea rursum reparare quæ fuerant, qui potuit inter cætera pri-
mum ex illa hominem formare qui non erat. Si quem uerò mouet, quòd
Psalm. 1. impij in iudicio non resurgunt, intelligat non eos ad iudicium, sed ad pœ-
Ioan. 3. nam resurgere, iuxta illam domini sententiam: Qui non credit, ait, iam
iudicatus est. Fatetur & Sibylla: Sic animæ cum carne aderunt, quas iu-
dicat

A dicat ipse. Resurgentibus cunctis iudicium sequitur.

De iudicio Christi domini.

Promissio implenda. CAP. XIX.

DAuid propheta dicit: Annunciabũt cœli iustitiã, quoniã Deus iudex est. Item aduocauit cœlũ sursum, & terrã, ut discerneret populũ suũ. Item: Ipse iudicabit orbẽ terræ in æquitate. Firmat hæc dñs in Euangelio: Cum uenerit, ait, filius hominis in claritate sua, cõgregabunt̃ ante eum oẽs gentes, & separabit eos ab inuicẽ, sicut separat pastor oues ab hœdis. Oues ponet à dextris, hœdos autem à sinistris. Tunc dicit his qui à dextris sunt, Venite benedicti patris mei, percipite regnũ quod uobis paratũ est ab origine mundi. Esuriui eñ & dedistis mihi mãducare, & cætera quæ pertinẽt ad opera misericordiæ, in quibus est sacrificiũ magnũ purgans omne peccatũ, ipso dicente dño: Misericordiã uolo magis quàm sacrificiũ. Sinistris autẽ dicturus est, Ite in ignem æternũ, quem parauit pater meus diabolo & angelis eius. Esuriui eñ, ait, & nõ dedistis mihi mãducare: & cætera similiter quæ ad crudelitatis exitia pertinẽt, quæ mergunt hominẽ in interitũ & perditionẽ, dum auari non pascũt Christum esurientẽ in paupere, qui dicit: Quãdiu uni ex minimis meis nõ fecistis, nec mihi fecistis. Sequiturq́ inter partes lata sentẽtia iudicãtis. Ibũt, dictũ est, impij in ambustionẽ æternã. Testat̃ & in hæc Paulus apostolus: Omnes, ait, adstabimus ante tribu-
B nal Christi, ut referat unusquisq́ secundum ea quæ per corpus gessit, siue bonũ siue malũ. Et Apocalypsis Ioannis dicit: Vidi mortuos tam magnos quàm minimos stantes in cõspectu throni Dei. Dehinc aperti sunt libri, & alius liber apertus est qui est uitæ uniuscuiusq́ hominum, & iudicati sunt mortui ex ipsis scripturis librorũ secundũ facta sua. Libri aperti cõscientiæ singulorũ. Alius liber qui omniũ cõtinet actus, iustitia Dei est cuncta pdu cẽs in lucẽ. De quo dicit Paulus: Donec ueniat dñs, & illuminet abscõdita tenebrarũ, & manifestabit cogitationes cordis, & tunc laus erit unicuiq́ à Deo. Cõcludit Ioãnis Apocalypsis: Mors & infernus missi sunt in stagnũ ignis, & qui non sunt inuenti in libro uitæ, missi sunt in stagnum ignis, in quo cruciabunt̃ in secula seculorũ. Sicut dicit & Esaias: Vermis eorum nõ moriet̃, & ignis eorũ non extinguet̃, & erunt usq́ ad satietatẽ uisionis uniuersæ carni. Fatetur & Sibylla, occultos actus tunc detegẽs, Quis loquetur secreta? atq́ Deus reserauit pectora luci: Tunc erit & luctus stridebũt dentibus omnes. Et paulò post: Et corã hoc domino reges sistẽtur ad unũ. Recidet è cœlo ignis & sulphuris amnis. Post hæc sequitur, per ignem purificatorium quosdam fideles homines ipsaq́ elementa purgari.

Psalm. 49. Psalm. 95. Matth. 25. Matth. 9. 2. Cor. 5. Apoc. 20. 1. Cor. 4. Esa. 66.

De igni purificatorio.

Promissio implenda. CAP. XX.

DAuid propheta: Omnia sicut uestimentũ ueterascent, Et sicut opertoriũ mutabis ea, & mutabuntur: tu autẽ ipse idem es. Item ipse: Igne nos

Psalm. 101. Psalm. 65.

nos exanimasti, sicut exanimatur argentum. Et iterum: Transiuimus per C
Malach. 3. ignem & aquã, & induxisti nos in refrigeriũ. Et Malachias propheta: Ipse introijt, ait, sicut ignis cõflatorij, & sedebit cõflans, & purgãs sicut argentum & aurũ, & purgabit filios Leui. Et in Euãgelio Matthęus hæc de dño
Matth. 3. cõfirmat, dicens: Hic est qui baptizat in spiritu sancto & igni, ferens uentilabrum in manu sua, & purgabit aream suam. Frumẽta recondet in horreo, paleas autem comburet igni inextinguibili. Et iterum ipse dñs dicit:
Matth. 5. Priusquã cœlum & terra transeat, iota unum, aut unus apex non cadet
2. Pet. 3. ex lege, qui non impleatur. Et Petrus apostolus: Qui autẽ nunc sunt cœli, eodem uerbo repositi sunt, igni reseruandi in diem iudicij. Et paulò pòst: Properantes, ait, ad præsentiã domini per quam cœli ardentes soluẽtur,
Rom. 8. & elementa ignis ardore decoquentur. Dicit & Paulus: Quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatẽ gloriæ filiorum Dei. Fatetur & Sibylla dicens: Omnia cessabunt, tellus confracta peribit: Sic pariter fontes torrentur, fluminaq; igni. His igitur peractis, cum respiciẽ-
Sap. 5. tes impij iustos dixerint, Hi sunt quos habuimus aliquãdo in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati uitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est? Infructuosam tunc agentes pœ-
Psalm 6. nitentiam, cum scriptum sit: In inferno autem quis cõfitebitur tibi? Redactisq; malis in tenebris exterioribus, in quibus nulla lux, nullusq; dies erit, ac uox illa terribilis & metuenda sonuerit, Auferatur impius, & non D uideat claritatem domini sanctorum: tunc sequetur eminens illustrisq; gloria, quæ alio est intimanda capitulo.

FINIS DIMIDII TEMPORIS.

GLORIAE REGNI'QVE SANCTORVM CAPITA.

A De Gloria, Regnoq; Sanctorum.

De cœlo nouo, & de terra noua.

Promissio implenda credendaq;. CAPVT I.

APOCALYPSIS Ioannis dicit: Vidi cœlum nouum & ter- Apocal. 21.
ram nouam. Testatur & Petrus: Nouos uerò cœlos & nouam 2. Pet. 3.
terram secundum ipsius promissa expectamus, in quibus iusti-
tia inhabitat. Et Dauid dicit: Credo uidere bona domini in ter Psalm. 26.
ra uiuentium. Hæc impij non uidebunt.

De commutatione Sanctorum.

Promissio implenda, atq; primo credenda. CAP. II.

PAulus dicit apostolus: Donec occurramus omnes in uirum perfectũ, Ephes. 4.
in mensuram ætatis plenitudinis CHRISTI. In quam sancti, omnis
ætas, & uterq; sexus, cum hac gloria ad tricẽnalem iuuentutẽ (in qua Chri
stus dñs passus) transeãt cum ipso rege suo, quem impij non uidebunt.

De noua Hierusalem.

Promissio implenda, & credenda prius. CAP. III.

APocalypsis dicit: Hierusalem nouã uidi à Deo descendentẽ, aptatam Apocal. 21.
B & exornatã, ut sponsa marito. Dicit & Paulus: Quæ sursum est Hie- Galat. 4.
rusalẽ, libera est, quæ est mater nostra. In hac ciuitate non erit nox, nec lu-
men lucernæ opus erit, non luctus, neq; mors, neq; clamor, sed nec dolus
ullus, quia priora abierunt: & huius patriæ gloriã impij non uidebunt.

De eo, quòd Sancti fulgebunt ut sol.

Promissio implenda, & credenda. CAP. IIII.

DOminus in Euangelio: Tunc, ait, iusti fulgebunt sicut sol in conspe- Matth. 13.
ctu patris sui: quoniam erunt æquales angelis domini, & hanc glo-
riam impij non uidebunt.

De Sanctorum, sicut stellarum in gloria differentia.

Promissio implenda & credenda. CAP. V.

PAulus apostolus dicit: Stella à stella differt in gloria: sic & resurrectio 1. Cor. 15.
mortuorum. Quo modo alij pro consensione martyrij, alij pro inte-
gritate uirginali, alij pro continentia uiduali, alij pro pudicitia coniugali,
diuersis honoribus sine inuidia fulgeant: impij non uidebunt.

De uirginitate Sanctorum.

Promissio implenda & credenda. CAP. VI.

APocalypsis Ioannis dicit: Hi sunt qui cum mulieribus se non coin- Apoc. 14.
quinauerunt, uirgines enim permanserunt. Hi sunt qui sequuntur
agnum, quocunq; ierit. Quò sequantur uirgines, quò eum sequi nequeãt

non uir

non uirgines, impij non uidebunt. C

De inexplicabili dono Sanctorum.

Promissio implenda, & credenda. CAP. VII.

1. Cor. 2. PAulus dicit apostolus: Quod oculus non uidit, & auris non audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Sancti cum hæc acceperint, impij non uidebunt.

De facie ad faciem uidendo Deum.

Promissio implenda. CAP. VIII.

1. Cor. 13. PAulus dicit apostolus: Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Quemadmodum sancti uideant Deum trinitatem, patrem in filio, filium in patre, spiritum sanctum & in patre & in filio, impij non uidebunt.

De reuelata facie Sanctorum.

Promissio implenda. CAP. IX.

2. Cor. 3. PAulus dicit apostolus: Nos, ait, reuelata facie gloriã domini speculantes, in eandem imaginem trãsformamur à gloria in gloriam tanquam à domini spiritu. Et hæc impij non uidebunt.

De eo, quod tradat filius regnum Deo & patri.

Promissio implenda. CAP. X. D

1. Cor. 15. QVo modo tradidit filius regnum Deo & patri, sicut Paulus dicit apostolus, impij non uidebunt.

De iugi cantico Alleluya.

Promissio implenda. CAP. XI.

Apocal. 19. QVo modo iugi cantico, ut Apocalypsis dicit, Sancti cantent alleluya sine defectu, sine fine, impij nec audient, nec uidebunt.

De innouatione omnium.

Promissio implenda. CAP. XII.

Esa. 41. Apoc. 21. QVo modo innouentur omnia (ut Esaias propheta & Apocalypsis dicunt) permaneantq; in æternum. Et quo modo ex ligno uitæ sine corruptione cibum sancti captant, & de fonte CHRISTO non necessitate, sed potestate bibant, impij non uidebunt.

Quod Deus sit omnia in omnibus.

Promissio implenda. CAP. XIII.

1. Cor. 15. QVo modo erit Deus omnia in omnibus, ut Paulus dicit apostolus, impij non uidebunt, quia soli sancti & redempti his uoluptatibus & delicijs cœlestibus perfruentur. Hæc est ciuitas uirtus & saluatio nostra. Hæc est Hierusalem cœlestis perpetua. His in ea positis sanctis uerus Deus Verg. Aen. 1. rex nec metas rerũ, nec tempora ponit, Imperium sine fine dedit. Hi sunt qui

A qui regnant cum rege Christo: de quo dicit Daniel: Regnum eius alteri populo non derelinquetur, quoniam regnabit in infinita secula, & regni eius non erit finis. Dan.2.& 3.

Peroratio sancti Prosperi, & conclusio huius fidelissimi, utilissimiq; libri sui.

IVVANTE gratia Dei hunc conclusi librum, tribus eius primis partibus quadragena capitula annotando, uelut quadragenos dies, quibus in huius uitę curriculis Moyses, Helias, & dominus IESVS ieiunia celebrarũt. Ter enim quadragies ducta, centum uiginti faciũt. Accedunt alia uiginti, in Dimidia parte finis mũdi: & sunt centum quadraginta. Tredecim quoq; in gloria sanctorum superadduntur, & perficiunt centũ quinquaginta tria. In quo numero sacrati illi pisces reti ueritatis incorrupto, post resurrectionẽ domini iussione capti sunt, millia sanctorum significantes, quos dñs ex omni genere, tribu & lingua, per omne tempus congregans, nobis infinitũ sibi cognitum numerũ cõsecrauit. Habes primã piscandi uoluptatem, si huius rei amator es, lector spiritalis: præsertim quia in hoc libro, ut existimo, omnes uoluptates, omnesq; affectiones inuenies. Ingredere ergo huc adolescens, & huc auocare, hic lude, & age conceptiones tuas. Nam si te fortassis tabulæ lusus inuitat, in asse uno duo & tria, quina & sena ha-
B bes, quibus numeris mensuræ arcæ consurgũt, trinæ unitatis tesseras uoluens. Calculos etiam in bonis operibus cãdidos, in passione purpureos, spectãte illo qui dicit: Vincenti dabo calculũ, & per calculũ nomen nouũ, Apoc.2.
quod nemo scit, nisi qui accepit. In calculis eburneis nomina proconsulũ conscripta Carthagini in foro corã populo à præsenti iudice sub certis uocabulis citabãtur, & erat solennis dies albi citatio. Hi qui auaritiã superãtes remp. fideliter egerant absq; flagitijs, fauoribusq;, etiã absentes honorabãtur. Eos uerò quos rapacitas uicerat, populus cõuitijs sibilisq; notabat. Habes igitur quid uincas, qui rempub. gubernãdo ludis in seculo: auaritiam uince, quæ radix est omniũ malorum. Nec iam terrenæ, quæ quocũq; 1.Tim.6.
modo labũtur, sed cœlestes, æternæq; alliciãt potestates. Si uenandi est affectio, habes montes altissimos, ceruos uelociter apostolorum, prophetarũq; dicta percurrentes. Habes & in cãpis petram refugiũ erycijs, & leporibus, Psal.103.
quos in simplicitate cordis Christus dñs per suos canes uenatur, ut spinis careant delictorum. Si spectandi uoluptas est, habes hic aurigam spiritalem Christum Heliam, qui curru igneo usq; ad metas peruectus est cœli, cur- 4.Reg.2.
rusq; Pharaonis demersos in profundo. In munere habes Danielem sanctum, leonem non ferro sed oratione uincentẽ: ursosq; uexantes eos, qui Daniel.6. 4.Reg.2.
Helisæũ prophetã cõtumelijs lacesserãt. Habes quoq; in sancto spectaculo non mimicas turpitudines, sed Christo sacratas uirgines. Habes cadalistarum loco, Rebeccæ geminos mysticè ludentes. Habes Dauid coram arca Gen.25. 2.Reg.6.
saltantem, & nudatũ in passione Christum, coram seruis & ancillis suis,

illa

illa ipsa sua historia exhibentem. Habes postremò fletus, planctusq; Hiere C
Exod. 26. miæ decantatos, non arte tragica, sed prophetica. Aedificãdi si est affectus, habes fabricam mundi, mensuras arcæ, ambitum tabernaculi, fastigium
3. Reg. 6. templi Solomonis, ipsius per mundum membra ecclesię, quam illa omnia
Prouerb. 9. figurabant. Epulandi si est delectatio, habes hic sapientiæ paratã mensam, in qua est panis angelicus, & uitulus saginatus, sobrieq; debrians poculũ salutare. Neq; flores sancti desunt huic conuiuio, lilia uirginũ, continentiæ uiolæ, & roseæ coronæ martyrum. Restat, ut arbitror, musicorũ uoluptas: habes organum ex diuersis fistulis sanctorũ apostolorũ, doctorumq; omnium ecclesiarũ, aptatum quibusdã accentibus, graui, acuto, & circun-
Apocal. 3. flexo, quos musicus ille Dei spiritus, per uerbũ tangit, implet, & resonat: habẽs clauem Dauid, qui claudit, & nemo aperit: aperit, & nemo claudit: chrismatis oleo, & aqua baptismi cuncta cõsecrans, ac decorans. Ad huius organi suauissimas & dulcissimas uoces peruenerunt principes, coniun-
Psalm. 67. cti psallentibus in medio adulescentularũ tympanistriarũ. Et quæ sint hæc sequitur: In ecclesijs benedicite dominũ. Hæ adolescentulæ ecclesiæ dum tympanum tangunt: id est, pellem mortui animantis extensam in ligno, scilicet CHRISTVM prædicant crucifixum. Huius tympani tam magnus sonus totius mũdi iam mulcet auditus. Nec decem chordarũ psalterium huic deest conuiuio, dum inclusione centum quinquaginta psalm. laudant sancti dominum in sono tubæ, in psalterio & cithara, in tympano & choro, in chordis & organo, in cymbalis bene sonantibus, in cymbalis D
Rom. 7. iubilationis, quoniam omnis spiritus laudat dominum. Hæc in templo Dei mei prospiciens, in quo omnis quisque dicit, Gloria. Quoniam adhuc passiones, quæ per legem sunt, operantur in membris nostris, ut fructum
Iob. 7. ferant morti, multisq; uitijs implicati tenemur in hac uita quæ tota tentatio est, sacrificium ex adipibus uitulorum Patriarcharum & Prophetarũ, caprarum pinguium, & arietum, Apostolorum ducum gregis, pro peccato animæ meæ, ac mundatione totius hominis mei in hoc libro & confes-
Apocal. 8. sionem uoui, & in ara contriti cordis immolaui holocausta, non sine incenso orationum omnium sanctorũ, quibus me ab omni peccato expiari posse confido. Quiescat inuidus lector, ne sicut Cain ferro, iste dente, uel lingua percutiat. Filij enim hominum dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Si quid autem displicet, si pius est, emendet in misericordia, & arguat in lenitate, oretq; pro nobis, ut simul in arca inter munda animalia reperti, in cubito perfectionis eius pariter adnexi, charitatem domini, trinæ maiestatis, unitatem per eminentem uiam duce gratia sequamur omnes: eodem manente in nobis, & nobis in illo: à quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia, qui est Deus benedictus in secula. Amen.

PROMISS. ET PRAEDICTIONVM DEI FINIS.

D. PROSPERI AQVITANICI, EPISCOPI REGIENSIS IN LIBROS DE VITA CONTEMPLATIVA AD IVLIANVM PONTIFICEM PROLOGVS.

A DIV MVLTVM'QVE RENIſus ſum uoluntati tuæ, domine ſtudioſiſsime Pontificum Iuliane: non uelut pertinaciter durus, ſed propriæ impoſsibilitatis admonitus. Videbatur enim mihi: & iure forſitan uidebatur, quòd etiam ipſi præſumptionem meam potuiſſetis improuidę temeritatis arguere, ſi tantā rem, quę utiq; eſſet operoſè tractanda, facilè ac ſine ulla deliberatione ſuſciperem, cùm me oporteret prius ipſius rei pondus unde dicēdum foret expendere: & ſic adiuuante domino, ſi uires facultas explorata promitteret, ad hoc arripiendum, quod iuberetis, accederem. His, & talibus ſolicita conſideratione perſpectis, neceſſarium duxi, ut me aliquandiu ad ſcribendum præſumptione ſuſpenderem. Sed quia, ſicut cogitanda fuit
B iniuncti operis difficultas, ita cogitari debuit iniungentis autoritas, nec debui uſquequaq; reſiſtere, certus quòd uires meas multo amplius adiuuaret tua præcipientis oratio, quàm grauaret ipſius materiæ magnitudo. Deinde illa conſideratio animum meum ſuis uiribus diffidentem in audaciam ſubeundæ præceptionis ueſtræ perduxit: quòd iam non humilitatis eſſet, perſeueranter tenere ſilentiū, ſed ſuperbiæ ultrà renuere, quamuis infirmis ceruicibus onus impoſitum: cui oneri ſuſtinendo, etſi me mea ruſticitas faciebat inualidum, ueſtra fieri credidi fide, qui iubebatis idoneum. Hoc quoq; mihi audendi aliquid fiduciam dabat: quòd magnarū rerum magnus ipſe conatus eſſet, etiam ſi nullus diſputantem ſequeretur effectus. Siquidem neceſſariarum tractatio quæſtionum, etſi non inſtruit inuenientis quod quærit animum, exercet ſaltem quærentis ingenium, ut aut nouerit ſe quærendo, & nihil inueniendo, neſcire, quod ſe fortè noſſe præſumpſerat: & ignorantiæ ſuæ conſequenter admonitus, quod ſibi deeſſe uiderit, quærat, quod inuenerit teneat, & quod tenuerit, diligenter exerceat; aut ſi quod ſibi de diuinis literis propoſitum fuerat, ſalubriter tract

ter tractare,& sufficienter explicare potuerit : non de inuentione ueritatis C
*al's,enubilanda inflетur, sed in domino qui eum intus illuminauit, ut * illuminanda cognosceret,glorietur. Quandoquidem scientia, sicut sine dono dei, quod
1.Cor.8 est charitas, inflat : ita si ei charitas admisceatur, ædificat. Ac per hoc qui de Deo loqui uoluerit,aut nihil dicit,& nulla eum præcipitat inflatio, aut si aliquid dixerit, & se crediderit à deo accepisse quod dicit, habet unde deo gratias agat: non habet quod ingenij sui uiribus elatus adscribat. Sed iam ipsa capitula quæ utcunq; soluenda proposuistis, adtexam. Itaq; iubetis, ut paucis edisseram, quæ sit uitæ contēplatiuæ proprietas: & quid inter ipsam & actiuam uitam intersit. Quanta possum breuitate distinguam, Vtrum is cui ecclesiæ regendæ uita commissa est,contēplatiuæ uirtutis fieri particeps posit. Vtrum æquanimiter sustinēdi sint diuina præcepta calcantes,an pro modo peccati debeant ecclesiastica seueritate,coargui. Vtrum congregandis fratribus aut alendis,expediat facultates ecclesiæ posideri, an perfectionis amore contemni. Quæ sit abstinentiæ credenda perfectio : & utrum tantum corpori,an & animæ necessaria debeat iudicari. Quantum à uirtutibus ueris uirtutū similitudines distent. Quibus præcedentibus causis & subsequentibus incrementis nasci soleant uitia,uel augeri : & quibus posint adiuuante domino remedijs, uelut quibusdam medicamentis imminui, uel sanari. Quot modis, uel gradibus unaquæq; uirtus posit impleri. Et an uera sit illa philosophorum sententia, quæ uirtutum omnium uelut fontes quosdam quatuor uirtutes: uitia D quoque quatuor, uelut quasdam origines malorum omnium definiuit. Hæc sunt nimirum decem, quæ à me uoluistis enodari capitula : non ut absolutio eorum uobis aliquid cognitionis afferret : sed ut uestra magis cura, si regulariter imperatum munus impleuero, nonnihil ædificationis talium studiosis horum & his similium capitulorum explicatione conferret. Cæterum si tu ea nescires, nunquam tanto ordine dilucidanda proponeres. Ideo autem uoluistis cognita uobis disputationibus illustrari, ut aut me, si aliquid secus q̃ ratio habet,exponerem,faceretis emendari uel corrigi,aut certè per solicitudinē uestram meumq; sermonem ad aliorum notitiam possent catholice disputata perduci. Nunc igitur quæ sit uitæ contemplatiuæ proprietas,domino uestris orationibus adiuuante,tractemus.

PROLOGI FINIS.

CAPITA PRIMI LIBRI DE VITA CONTEMPLATIVA.

CAP. XXII. Quòd secundum sermonem prophetæ culpa sua pereant, qui sacerdotum increpationes uel admonitiones peruersa uoluntate contemnunt.

CAP. XXIII. Quòd sacerdotes etiam qualiter possunt, tam simpliciter docere debeant, ut omnes eos docentes intelligant.

CAP. XXIIII. Quid intersit inter doctores, qui ecclesiam simpliciter docentes ædificant, & eos qui eloquentiam suam luculentis declamationibus iactant.

CAP. XXV. Quales esse debeant sacerdotes, qui uolunt fieri uitæ contemplatiuæ participes.

D· PROSPERI AQVI tanici, Episcopi Regiensis, De uita contempla tiua liber Pri mus.

Quo'd ea sit uitæ contemplatiuæ proprietas, ubi deus mundo corde uidebitur.

CAPVT I.

A CONTEMPLATIVA VITA, IN
qua creatorem suum creatura intellectua-
lis ab omni peccato purgata, atq; ex omni
parte sanata uisura est, à contemplando, id
est, uidẽdo nomen accepit. Quod si ita est,
illa uita, ubi DEVS uideri potest, ipsa est
contemplatiua credenda. In præsenti au-
tem uita miserijs, erroribusq; plenissima,
deum, sicuti est, uideri non posse, dubium
non est. In futura igitur uita, quæ ob hoc
appellatur contemplatiua, uidendus est:
nec immeritò. Si enim uidere deum, summum solidumq; est gaudiũ: sum-
mum uerò gaudium præmium bene creditur beatorũ: & præmium non
adhuc pugnãtibus, sed etiam uincentibus dabitur post triumphum: quis
non uideat, quòd omnes sancti deum in illa uita æterna uidebunt, ubi sine
fine gaudebunt? Ibi gaudebunt, ubi præmium reportabunt: ibi recepturi
sunt præmium, ubi non solùm deuictis, sed etiam finitis hostibus trium-
B phabunt: ibi triumphabunt, ubi ulterius aduersarium non habebunt. Cæ
terum in hac uita quamuis strenuè dimicemus, & adiuuante domino ca-
teruas hostium, quibus circũfundimur, prosternamus: tamen si ab eis no-
lumus uinci, nunquam pugnare desinamus. Nec uincẽtes securos faciunt
uiriliter desudata iam prælia, sed magis solicitant aduersariorum rediui-
ua certamina. Ac sic, quia secundum scripturæ sacræ sermonem tota hu- Iob 7.
mana uita tentatio est super terram, tunc est tentatio finienda, quando fi-
nitur & pugna: & tunc est finienda pugna, quando post hanc uitam succe-
dit pugnę secura uictoria: ut omnes milites Christi, qui usq; in finem uitæ
præsentis diuinitus adiuti, suis hostibus infatigabiliter restiterunt, labo-

rioſa iam peregrinatione tranſacta, regnent felices in patria. In qua huma C
na natura ita reparāda eſt, & ab omni prorſus infirmitate ſananda, ut nec peccata ei ulla remaneant, nec peccare iam ualeant. Cuius hoc erit totum præmium, ut uitæ contemplatiuę ſemel compos effecta, inexplebiliter au‑torem beatitudinis ſuæ conſpiciat, de illo gaudeat, de illo quod ſperauit obtineat, & in eo ad quod ſanctè uiuendo peruenerit, ſine fine permaneat.

De qualitate uitæ futuræ.

CAP. II.

IAm uerò de qualitate ipſius uitæ futuræ quid dicam, quæ potius debet credi, quàm dici? Nec ideo tamen debeo inde tacere, quod ualeo: quia dicere quantum uolo, non ualeo. Neq; enim quia DEVM ineffabilem credimus, fari de illo quod poſſumus, non debemus. Ita ſanè, ut plus cre‑datur de illa uita, quàm ſcribatur, quia nec poteſt tantū inde proferri ſer‑mone, quantum poteſt mente complecti: & minus concipit mentis huma‑næ quamlibet profunda complexio, quàm ſe habet rei ipſius magnitudo. Ergo futura uita creditur beatè ſempiterna, & ſempiternè beata: ubi eſt certa ſecuritas, & ſecura tranquillitas, tranquilla iucunditas, felix æterni‑tas, æterna felicitas: ubi eſt amor perfectus, nullus timor, dies ęternus, ala‑cer motus, & unus omnium ſpiritus de contemplatione dei ſui, ac de ſua cum illo permanſione ſecurus: ubi ipſa ciuitas, quæ eſt angelorum ſancto‑rum & hominum congregatio beata, meritis fulgentibus micat, & æterna D
ſalus exuberat, ueritas regnat: ubi nec fallit quiſque, nec fallitur: unde nul lus eijcitur, quò nullus miſer admittitur.

Quòd eo iudicio Dei ab iniquis hominibus ſeparandi ſunt ſan‑cti, quo antè ſunt beati angeli ab immundis ſpiritibus ſeparati.

CAP. III.

SEd hoc futurum credimus per iuſtum DEI iudicium, in quo non ſo‑lum meritis, ſed etiam locis ſic ab iniquis iuſti ſeparādi ſunt in æternū, ut iam nec remuneratis præmium finiat, nec damnatis ſupplicium: quan‑doquidē propterea incorruptio & immortalitas dabitur etiam corpori‑bus miſeroꝝ, ut nec ipſi æternam pœnam finiant, nec ipſos conſumat im‑mortalis pœna, ſed puniat. Ideo autē beata incorruptione & immortali‑tate iuſtorū corpora donabūtur, ut & ipſi in gloria, & in ipſis gloria æter‑na permaneat. Hoc iudiciū quod inter iuſtos homines iniuſtoſq; futurū dicimus, inter ſanctos angelos & immūdos credimus factum. Nam cum
Eſa. 4. eſſent utriq; ſine peccato creati, & ad ſeruiendū DEO ſuo feliciter inſtitu ti, eorum quidā uolūtate propria deprauati noluerūt permanere quod ſa‑cti ſunt, & cùm ſe cōtra creatorē ſuum typo ſuperbiæ letalis hoſtiliter ex‑tuliſſent, de ſuperna cœli regione proiecti ſunt. Quos diuina ſententia eo

ſupp

A supplicio condẽnauit, ut quia noluerũt perseuerare cum possent, nec uellent reparari, nec possent. Siquidem præuaricationis eorum fuit, quòd irreuocabiliter iudicij animaduersione percussi sunt: & ad damnationem iustissimam profectò pertingent, quòd uoluntatem redeundi ac facultatem penitus amiserunt: sicut econtrario uoluntatis eorum angelorũ fuit, quòd malis sponte cadentibus ipsi in sua dignitate manserunt: & diuino iustoq́ iudicio actum est, ut quæ fuit cum Deo suo manendi uoluntas, fieret permanendi uoluntaria felixq́ necessitas. Et ideo, quia nec peccauerunt unquam nec peccare iam possunt, illius contemplatiuæ uitæ semel facti participes, inexplebiliter autorem beatitudinis suæ conspiciunt, ac merito suæ stabilitatis in æternum felices effecti de sua permansione securi sunt. Qui summum solidumq́ gaudium, quo insatiabiliter perfruũtur, de diuina contemplatione percipiunt, ac Deo suo infatigabiliter & amanter inseruiunt, ita perfectè beati, ut nec cupiant beatiores fieri ultrà, nec ualeant.

De resurrectione, uel uita sanctorum.

CAP. IIII.

HAec est contemplatiua uita beata, ad quam qui bonorum operum consummatione peruenerint, beatis angelis similes erunt, & simul cũ Deo suo sine fine regnabunt. Quod hic crediderant, ibi uidebunt sui creatoris
B substantiam mundis cordibus contemplantes: & æterna exultatione gaudebunt: diuinæ dilectionis ac mutua delectatione possessi, Deo suo in æternum & inuicem sibi feliciter adhærebunt: receptis cum incorruptione atque immortalitate corporibus municipatum patriæ cœlestis accipient, atque eius in æternum ciues effecti promissa præmia reportabũt. Ibi eis exuberabit tanta lætitia, tanta cœlestium gratia gaudiorum, ut & remuneratori suo pro tantis muneribus gratias agãt, & nullum fastidium ex ipsa affluentium bonorum perceptione sustineant. Ibi ita patebunt singulorum singulis mentes, sicut corporalibus oculis subiacent facies corporales: quia humanorum pectorum tanta ibi erit & tam perfecta mundicia, ut habeant unde mundatori suo DEO gratias agant, non unde offensi aliquibus peccatorum sordibus erubescant: quia nec ulla peccata ibi, nec peccatores erunt, & qui ibi fuerint, iam peccare nõ poterunt. Nec latebit iam perfectè beatos aliquid secretorum, qui, quod est longè præstantius, ipsum uisuri sunt mundis cordibus DEVM: quandoquidem humana creatura ita perfecta erit, ut in melius aut deterius ultrà mutari non possit. Cuius humanæ substantiæ ad conditoris sui similitudinem sublimatæ, omnia bona quæ naturaliter accepta peccato corruperat, reparabuntur in melius: id est, intellectus sine errore: memoria sine obliuione: cogitatio sine peruagatione: charitas sine simulatione: sensus sine offensione: incolumitas sine debilitate: salus sine dolore: uita sine morte: facilitas sine impedimento: saturitas sine fastidio, & tota sanitas sine morbo:

quoniam quidem quicquid hic corporibus humanis uitiandis aut fera- C
rum morsus ademerit, aut humana crudelitas amputauerit, aut improuisi casus abstulerint, aut si ignis, uel quælibet alia res aliquid debilitatis intulerit, aut ipsa senectus etiã sanis onerosa negauerit, hæc & his similia corporum damna una ibi resurrectio reparabit, atque ea corpora membris omnibus instaurata, incorruptibilis sanitas obtinebit. Propterea quicunque ibi erunt, etsi differentibus meritis ab inuicem distabunt: omnes tamen una perfectione beati erunt: quia singulis præmia sua sufficientia erunt, & capere amplius præmijs suis iam perfecti non poterunt. Sicut enim corporalis saturitas omnes saturos æqualiter habet, quamuis singuli cibum non æqualiter, sed pro posibilitate perceperint: ita omnes sancti etsi fuerint aliqua graduum suorum diuersitate distincti, una beatitudine perfecti erunt: quia & una perfectione beati futuri sunt. Cæterũ in illa tantæ beatitudinis regione nec maioris meriti sibi aliquid quisque arrogabit, quia arrogantia ibi nulla erit: nec superiori inferior inuidebit, quia ibi inuidus nullus esse poterit. Et ideo etsi ibi erit distantia mansionum, summa in illis erit unius perfectionis ęqualitas, quibus erit regni cœlestis una felicitas.

Quòd contemptores præsentium etiam hic contemplatiuæ uitæ beatitudo delectet.

CAP. V.

CVi felicitati promerendæ ille suspirat, qui præsentibus omnibus futurorum contemplatione renunciat, atque à domesticis occupationibus, quæ nonnunquam perfectè uiuere cupientium processus impediunt, in illam diuinæ sublimitatem contemplationis euectus, ipsos etiam suæ carnis affectus exuperat, & infra se uniuersa despiciens, quæ plerunque animas de præteritæ uitæ sanctitate securas in terrena deijciunt, ipsis etiã cœlestibus appropinquat, tantò diuinis uicinior factus, quantò supra humana omnia studio perfectionis ascendit, certus quòd si contemplatiuam uitam hic incertis honoribus, diuitijs, anxijs & caducis delectationibus plena uoluntate prætulerit ueros honores, securas diuitias, & delectationes æternas inueniat: cum ad perfectionem contemplatiuæ uirtutis in illa beata uita ubi futura est DEO remunerante peruenerit. Et re uera quid erit honoratius eo, quem diuina clementia angelicæ dignitatis æqualitate beauerit? Quid ditius eo, quem regni cœlestis ineffabiliter affluens beatitudo ditauerit? Aut quid etiam hic delectabilius contemplatione diuina, quæ sibi ueraciter inhianti incorruptibilem suauitatem futuræ remunerationis infundit? Quoniam quidem contemplatiua uita hic quoque amatores suos futurorum bonorum consideratione delectat, ac sibi tota mentis intentione uacantes, quantum in hac uita fieri potest, dono sapientiæ spiritualis illuminat, & ad illam diuinę plenitudinem uisionis, cuius spem studijs intenti cœlestibus gerunt, incentiuo quodam ipsius consequendæ D

perfectio

A perfectionis inflammat, ut quod nunc in ænigmate cernunt, nec perfecte discernunt, tunc in illa reuelatione conspiciant.

Quod perfectio contemplatiuæ uitæ, quæ hic haberi potest, illic perfectioni futuræ comparari non possit.

CAP. VI.

Quapropter non sic contemplatiuæ uitæ sublimitatem in futuro, ubi perfectio perficienda est, prædicaui, ut in præsenti eam negarē posse ab omnibus mundi contemptoribus apprehendi, si modò se ad eam tota deuotione conuertant, si desiderio eius accensi, præsentia blandimēta fastidiant, & longè fortiores effecti quàm ut eos terrenæ occupationes illaqueent, diuinis rebus ac futuris promissionibus considerandis inhæreāt. Sed si consideramus apostoli Pauli sermonem, quo inter eam scientiam quæ hîc est, & eam quę ibi futura est, discriminans ait, Ex parte scimus, & ex parte prophetamus: contemplationem diuinam quæ in hac uita est illi futuræ cōferre nec possumus, nec debemus: quando idem Apostolus adiungat & dicat, Cum autem uenerit quod perfectum est, in illa uita significans, tunc euacuabitur quod ex parte est, ac sic quod modo ex parte sentimus, tunc ad illam plenitudinem contemplationis diuinæ perducti iam perfecte uidebimus. Nec sanè quia ibi rerum omnium notitia non per partes, sed simul & tota uidebitur, ideo saltem qualiscunque in hoc fragi- *1. Cor. 13.* *Ibidem.*
B li corpore desperetur. Etsi corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, tamen in quātum potest humana mens, quam suus creator ad suam fecit imaginem, studeat etiam hic intelligibiliter DEVM uidere per fidem, ut eum plenius uideat, cum peruenerit munere ipsius conditoris sui ad speciem. Attende quàm diuine sanctus Apostolus speciem fidemq; distinxit, ut diceret, Per fidem ambulamus, non per speciem. Fides ergo per quam ambulamus, & species quæ uidetur, tenenda est: quia in hac uita ubi per fidem bene uiuendo proficimus, bonorum operum quodammodo passibus ambulamus. In futura autem peruenientes ad speciem, iam non erit quod uelut proficiendo ulterius ambulemus, sed ipsam speciem ad quam per fidem spiritualiter ambulando peruenimus, insatiabili delectatione uidebimus. *Sapien. 9.* *2. Cor. 5.*

Quod dominum perfecte sancti uidere non possunt, nisi cum ad beatitudinem futuræ uitæ peruenerint.

CAP. VII.

Quocirca sic hortandi sunt ad contemplatiuam uitam, quicunq; plenè uoluerint & Deo auxiliante peruenire potuerint, ut meminerint sibi ipsius contēplationis diuinæ perfectionē in illa beata uita quæ futura est reseruari, ut ibi Deū sicuti est, perfecte uideāt, ubi & ipsi erūt uitę æternæ ac regni cœlestis cōsecutione pfecti. Cæterū si hic pfectè potuisset substantiam

stantiã DEI humana fragilitas contemplari, nunquam sanctus Euangeli- C
Ioan. 1. & 1. Ioan. 4. sta dixisset, Deum nemo uidit unquam. Non dixit, nemo uidebit. Deniq; ut euidēter ostenderet uisionem Dei non negatam sanctis hominibus, sed dilatã, quod in præsenti tempore negauit, in futuro promisit dicens: Beati
Matth. 5. mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Nec hîc dixit, quoniã ipsi Deũ uident. Igitur si Deus qui in hac uita sine alicuius elemēti assumptione nec potuit uideri, nec potest, in futura uita uidēdus est. Ibi est contēplationis diuinæ speranda perfectio, ubi erit omnium bonorum plenitudo.

Quæ & quanta sit in hac carne uitæ contemplatiuæ perfectio, uel qualiter ei perfruendæ mundi contemptores inhæreant.

CAP. VIII.

PRoinde uitæ contemplatiuæ sectator ad conditorem suum corde illuminandus accedat, ipsi contemplando, atque insatiabiliter perfruendo uigilanter inseruiat, ipsum iugiter concupiscat, præ amore eius omnia quibus inde potest auerti, refugiat, omnes cogitationes suas ac totã spem
*Al: dilectione ex illius * delectatione suspendat, literarũ diuinarũ sacris meditationibus uacet, in his se diuinitus illuminatus oblectet, ibi se totum uelut in speculo quodã refulgente consideret: quod in se prauum deprehenderit, corrigat: quod rectum est, teneat: quod deforme, componat: quod pulchrum, excolat: quod sanum, seruet: quod infirmũ, assidua lectione corroboret: domini sui præcepta infatigabiliter legat, inexplebiliter diligat, efficaciter impleat, & quid sibi cauendum quid'ue sectandũ sit ex eis sufficienter instructus agnoscat, mysterijs earundē diuinarũ scripturarum perscrutãdis in- D
Ioan. 1. sistat, Christum promissum legat, repræsentatum uideat, prophetatã perditionem populi cõtumacis intelligat, impleri lugeat, de salute gentiũ gaudeat, ex præteritis quæ prædicta sunt & impleta teneat, futuris promissionibus credat, ab strepitu negotiorũ seculariũ remotissimus ea feruenter excogitet, quibus animũ suum in desideriũ futuræ remunerationis inflãmet, studijs spiritualibus quibus in dies singulos melior ac melior fiat, inuigilet, amet ocium sanctum, in quo exerceat animæ suæ negotiũ, mortuum sibi deputet mundũ, ac se mundi blandientis illecebris exhibeat crucifixum, delectationis speculatorũ præsentium incomparabiliter anteponat sui creatoris intuitum, semper se proficiēte successu in fastigium diuinæ contemplationis attollat, nunquam ne ad momentum quidem à promissionibus futuris considerandis auersus ad terrena respiciat, eò aciem mentis indesinenter intendat, quò peruenire desiderat: beatitudinem uitæ futuræ ante oculos animi sui proponat & diligat, nec metuat aliquid temporale nec cupiat, nec aut metus amittēdæ rei temporalis, aut cupiditas acquirendæ intentionē mētis eius emolliat: nõ eum blanda corrũpãt, nec aduersa concutiant: nõ inflet opinio secunda, nec sinistra deijciat, nec falsa uituperatio siue laudatio augeat gaudia eius aut minuat, nõ gaudeat de tem

C de temporalibus omnino, nec lugeat. Inter læta inuictus ac tristia unam faciem animo cõstanti obtineat, nec pectoris eius stabilem firmitatẽ, quicquid promittit mundus aut minatur, excutiat: sed idem semper ac sibi similis, perseuerans, mundi huius damna simul & lucra non sentiat. Et cum hæc & his similia contemplatiuæ uitæ desiderio affectus impleuerit, non se hic iam ex parte omni perfectum, sed perficiendum in illa beata uita, quæ futura est, immobiliter credat: atque ad eandem se ubi DEI substantiam reuelata facie uidere possit, extendat.

Quòd tantum interest inter perfectionem uitæ istius & futuræ, quantum interest inter perfectos qui peccare nolunt, & eos qui iam peccare non possunt.

CAP. IX.

NAm sicut hic comparatione iuste uiuentium dicitur quisque perfectus, quia iustus præcepta facit, perfectus autem præcepta transcendit: ita idem collatus illis absolute perfectis, qui in uita beata futuri sunt, non est, ut ita dicam, perfecte perfectus, cui etsi dimissa est omnis iniquitas, nõ est adhuc sanata, sed sanatur eius infirmitas: & ideo etsi non peccat, ut sit uere perfectus, peccare tamen potest: quia non est consumpta omni infirmitate sanatus: ac per hoc ubi ab omni peccato mundatus, peccare non poterit, ibi erit perfecte sanus ac summe perfectus. Hic autẽ quantalibet quis
D excellentia sanctitatis emineat, quantalibet eminentia perfectionis excellat, potest quidem fieri pro modulo huius uitæ perfectus. Sed non est sic de sua perfectione securus, ut non debeat esse de casu solicitus, & utique ubi est solicitudo, non est absoluta beatitudo. Quæ nequaquam perfecta credenda est, si secura non fuerit: nec secura erit, nisi omnem solicitudinem securitas æterna consumpserit. Quapropter qui dicuntur in hac uita beati, spe beatitudinis futuræ beati sunt: ipsa autem re non hic, sed in illa uita beati futuri: quia ibi omnium beatorum beatitudo perfecta erit, ubi humana natura sui gloriam conditoris, & suam perfecte beatificata uisura est, atque ei sine ullo defectu suæ beatitudinis adhærebit.

Quòd hic sancti Deum in assumpta creatura uiderint.

CAP. X.

NEc moueat quòd hic quoque à iustis antiquis uisum legimus Deum, quia nõ est in hac humiliatione nostra sic uisus, sicut in illa clarificatione uidẽdus est, quãdoquidẽ in forma uisibilis creaturæ, in qua pro dispẽsatione temporum, ubi uoluit, & quibus uoluit iustis apparuit, nec potuit nec potest uideri, sed poterit cum ad supernam patriam peregrinatio nostra peruenerit, & mortale nostrũ immortalitas beata uestierit, atque ad contemplationẽ diuinam, uel perceptionem cœlestium præmiorũ omnes uere fideles fides ipsa, qua hic futura credebantur impleta, perduxerit.

De

C

De qualitate glorificatorum corporum, quæ in resurrectione futura sunt.

CAP. XI.

IBi diuersi quidem sexus corpora, sed sine ulla concupiscentia corporali futura sunt. Ibi erit omnium perfecta charitas, & nulla cupiditas. Ibi etiam corporales oculos nihil uisibilis creaturæ latebit, quia incorruptibilium corporum uisus utique incorruptibilis erit, & ita sine comparatione uiuacior, quàm hic fuit, ut ei aliquid uisibilium clausum esse nõ possit. Corporibus quippe immortalitate donatis auferenda est tarditas, non integritas: necessitas, non uoluntas: ut ibi sine temporis mora aut impedimento ponderis sint, ubi esse uoluerint: atque eò sequatur sine ulla difficultate spirituale iam corpus, quocunque ire uoluerit spiritus angelicæ beatitudinis æqualitate perfectus. Tunc filiorum, parentum, coniugum miseria, qui ibi non fuerint, beatos contristare non poterit: quia nomina omnium necessitudinum corporalium, quæ hic nostra fragilitas habuit, excellentia illius beatitudinis non admittit, ubi omnes quicunq; fuerint, unum corpus erunt, & singuli de sua uel singulorum felicitate gaudebũt. Hæc de contemplatiua uita dicta sufficiant.

Quantum inter contemplatiuam & actiuam uitam intersit.

CAP. XII.

IAm nunc quid inter ipsam contemplatiuam & actiuam uitam intersit, D breuiter disseramus. Quod ut euidẽter eluceat, ipsas sibi inuicem uitas, contemplatiuam scilicet & actiuam, prolatis earum uirtutibus conferamus. Ad actiuam uitam pertinet inter humana proficere, & rebelles corporis motus rationis imperio temperare: ad contemplatiuam supra humana desiderio perfectionis ascendere, & indesinenter augendis uirtutibus incubare. Habet actiua profectum, contemplatiua fastigium. Hæc facit hominem sanctum, illa perfectum. Huius uitæ est, nulli prorsus iniurias irrogare: illius, irrogatas æquanimiter sustinere. Imò ut propius dicam, executor actiuæ studet in se peccãti dimittere: contemplatiuæ sectator, offensas quibus pulsatur, nec omnino concutitur, & ignoscere magis paratus est quàm donare. Iste iram patiẽtiæ uirtute cõpescit, immoderatis cupiditatibus parsimoniæ frænos imponit: tangitur desiderijs carnalibus, nec cõsentit: pulsatur mundi huius curiositate, nec rapitur: quatitur diabolica impugnatione, nec uincitur: & DEO suo deuota mente subiectus, nõ atteritur diuersis tentationibus, sed probatur. Ille omnes affectiones, quibus uita mortaliũ uariatur, sanctis uirtutibus uincit: cupiditatum ac perturbationum omnium liber, beata quiete perfruitur, & illecebris ac uoluptatibus factus expedita mente superior ineffabili gaudio diuinæ cõtemplationis afficitur. Iste suscipiendo peregrinum, uestiendo nudũ, gubernãdo subiectum, redimendo captiuum, tuendo uiolenter oppressum,

iugiter

A iugiter se ab omnibus iniquitatibus suis emaculat, & uitam suam bonorum operum fructibus ditat, ille facultatibus suis in usus pauperum distributis,* simul se expoliauit mūdo,& admouit se totis uiribus cœlo, res mundi mundo proiecit,& seipsum deuota mente Christo restituit, à quo immortales diuitias sibi dari orat,ut pauper:protegi se cotidie postulat, ut infirmus:immortalitatis indumento uestiri cupit,ut nudus: defendi se ab impugnatione inuisibilium hostium supplicat,ut fragilitate carnis oppressus:cœlestem patriam sibi * dari desiderat,ut peregrinus. Actiua uita habet solicitum cursum,cōtemplatiua gaudium sempiternum. In hac adquiritur regnum,in illa percipitur.Hæc facit pulsare bonorum operum, uelut quibusdam manibus,ianuam : illa uocat consummatos in patriam. In hac contemnitur mundus: in illa uidebitur Deus. Et ut multa prætercam,quæ commemorare non ualeo, in hac uita actiua qui immundis spiritibus extiterint fortiores, in illa contemplatiua, quæ summè beata est, remunerante Deo fient angelis sanctis æquales, atq; in æternum cum illo regnabunt in illa ciuitate superna felices.Itaque quoniam de contemplatiua uita in superioribus multa iam dicta sunt, & secundus liber ea quæ de actiua dicenda sunt,continebit:sufficiant ista,quæ diximus, ut cōsideremus & reliqua, quæ de tertio capitulo usq; ad finem libri huius sequēti disputatione tractabimus. Videamus nunc utrum is, cui ecclesiæ regendæ cura commissa est,contemplatiuæ uitæ fieri particeps posit.

*als: semel

*als:donari

B

Quòd sacerdotes sancti contemplatiuæ uitæ fieri participes poßint.

CAP. XIII.

QVi diligenter ea quæ superius de uita contemplatiua dicta sunt considerat,& sufficienter instructus intelligit,quando & ubi posit eius perfectio comprehendi: non dubitabit, ecclesiarum principes uitæ contemplatiuæ posse,& debere fieri sectatores:quia siue secundū opinionem quorundā nihil aliud sit uita cōtemplatiua,quàm rerum latentium futurarumq; notitia,siue uacatio ab omnibus occupationibus mundi,siue diuinarum studium literarū,siue quod his probatur esse perfectius ipsa uisio Dei,non uideo quid impedimenti sanctis sacerdotibus posit afferri, quo minus ad hæc quatuor quæ commemoraui perueniant. Duo enim, primum & ultimum,id est,rerū latentium futurarumq; notitia,& ipsa uisio Dei, incomparabiliter præstantiora erunt in illa uita beata, quàm in ista diuersis erroribus implicata:quandoquidem tam rerum omnium notitia,quàm ipsa Dei substantia plenè & perfectè uidebitur. Duo autem media,uacationem uidelicet ab omnibus occupationibus mundi, & diuinarum studium literarum,etiam hic possunt habere pontifices:sed illi qui se ab omnibus implicamentis negotiorum secularium remouētes,nō torpent ocio,sed insistūt perfectionis suæ negotio, & ab stultitia secularis sapientiæ auersi,uerbo DEI infatigabiliter uacant,sapiētes ueraciter fiunt,

cœlestia sapiunt, terrena despiciunt, contradicentes sanæ doctrinæ redarguunt, obedientes instituunt, sanctis uirtutibus, quibus in dies singulos fiãt Deo propinquiores incumbunt: & tam suis quàm omnium, qui per eos erudiuntur, profectibus clari, hic quidẽ uelut gustum quendam contemplatiuæ uitæ, quo ad eam frequentius prouocentur, accipiũt: sed sibi iam in æternũ felices effecti, de eius perfectione gaudebunt. Proinde uerò non inflantur, quia hîc omnium fidelium catholicorum honorãtur ut capita: sed lætantur potius, quia ibi Christi, qui est sacerdotum ac fideliũ caput, clariora membra futuri sunt. Et si (quod absit) secularibus negotijs impliciti, fundorum terminos sine termino cupiditatis extendant, ac se passim exquisitis delitijs dedant, quæ animum corpusq́; debilitant: si gloriã non Christi, sed suam, decepti uulgi adulantis honoribus, quærant: plusq́; de se alienæ linguæ, quàm suæ conscientiæ credant: si omne gaudiũ suũ non futurorum remuneratione, nec in sanctitate uitæ, sed in sua tantũ dignitate cõstituant, & dum tales esse se, quales creduntur amant, nunquam sibi displiceant, ac placentes sibi non sint de sua correctione soliciti: quis non intelligat, tales, si in talibus perseuerent, nec se ante finem uitæ præsentis emendent, contemplatiuæ uitæ participes esse nõ posse? ad quam nõ perueniunt, nisi qui studuerint esse, quod facti sunt: nec affectant uideri, sed esse quod sunt: non alienis laudibus, sed moribus suis eximij: non solùm de sua dignitate, sed potius de sacerdotalis uitæ nobilitate conspicui: qui sunt non appellatione tenus, sed uirtute pontifices, uitæ contemplatiuæ capaces, & gaudiorum cœlestium cohæredes.

Vbi locutor se excusat, quòd ecclesiæ magistros docere non audeat.

CAP. XIIII.

AC ne cuipiam meus sermo præsumptuosus appareat, si quales non esse, uel esse debeant omnes sacerdotes ostendat: non generaliter, sed de uno mihi uideo esse dicendum, & de te potissimum qui hoc mihi (tua pace dixerim) temere delegasti periculosi sermonis officiũ. Nec incognita uobis, sed usitata debeo comprehendere, quæ solemus inter nos mutua confabulatione conferre. Quibus breuiter declaratis, non puto quòd relationem magis, quàm disputationem meam quisquam iustè posset alicuius temeritatis arguere, quasi patres meos audeam docere, à quibus normam uiuendi accipere sum paratus & discere.

De negligentia sacerdotis, qui doctrinæ suæ agendo contraria, personam non potest implere doctoris.

CAP. XV.

REcolite ergo quanta, & qualia me audiente atque probante dicere soleatis de administratione pontificis, qui populi sibi commissi cura posthabita ardentius bona præsentia desiderat, quàm futura: & oblitus

quòd

A quòd nõ solum de se, sed etiam de grege sibi credito rationem pastori pastorum omniũ reddat, sua suorumq́ detrimenta non cogitat. Quem non delinquentium peccata contristant, nec proficientium bona lætificant: sed de se tantum, plerunque autem nec de se omnino solicitus, quid à suis boni mali'ue geratur ignorat: qui non prædicat perseuerantiam iustis, pœnitentiam prauis, contemptum mundi conuersis, futuras pœnas auersis: qui non potest dicere contemptoribus admonitionis suæ, futurum cogitate iudicium, quod ipse fortè non cogitat: amatoribus mundi, nolite diligere mundum, si cum mundi amor oblectat: ambitiosis, ambitioni finem imponite, si eum ambitio ruinosa præcipitat: ebriosis, ebrietatem cauete, si se mero usq́ ad alienationem mentis ingurgitat: sumptuosis dapibus crudus, non potest suis abstinentiam laudare, quam calcat: uitio cupiditatis addictus, cupidis amorem non potest dissuadere pecuniæ: inimicitiarum tenax, non audebit animos dissidentium sacerdotali trãquillitate componere: iustitiam prædicare iudicibus erubescit, quam ipse personæ potentis fauore corrũpit: nec defendit oppressos, si personas aut honorat, aut despicit: & quicquid boni non facit aut mali committit, nec iubebit fieri, nec uetabit: quia necessariam docendi autoritatem contrarietate suæ actionis aut amittit, aut minuit.

Quale periculum maneat eos, qui ecclesiam sibi creditam uel relinquere uolunt, uel strenuè gubernare contemnunt.

CAP. XVI.

B HAec atque his similia memorantes, episcopatus uos accepti pœnituit, qui, sicut administratorem suum, si probe administretur, illustrat: ita contemptorem suum condemnat. Denique uolentes ecclesiam uobis creditam, uelut impares ei regendæ dimittere, atque in aliquam solitudinem, non tam studio quietis, quàm ipsius officij uestri desperatione secedere: nulla res alia uobis exegit in melius mutare consilium, nisi quòd ueriti estis periculum maius incurrere: quoniam si periculosum est nauim inter fluctus cautè non regere, quanto periculosius est eam undis intumescentibus fluctuantem in tempestate relinquere? Ad quam sicut satius est non ascendere, ita semel susceptam conuenit fluctuãtis pelagi proiecta formidine, ac spe perueniendi concepta, usque in portum sine ulla mercium iactura perducere. Quæ cùm uobis comparatio placuisset, adiunxi: Et idcirco ecclesia quæ uelut nauis magna per mare mundi huius enauigat, quæ diuersis tentationum fluctibus in hac uita contunditur, quæ immundorum spirituum persecutionibus uelut quibusdam procellosis fluctibus in diuersa iactatur, quæ scandalorum cautibus uadosis illiditur, quæ uelut aggere arenæ grauantis cingitur, non relinquenda est, sed regenda: quæ sicut omnes quos uehit perducit incolumes gubernatoris uigilantia gubernata, ita non solùm omnes quos habet, sed etiã ipsum gubernatorem perdet submersa fluctibus aut soluta.

Vbi anxium quòd eccleſiam nec relinquere, nec regere poßit, prouocat ſuggerendo, quòd eam melius regat exemplo. C

CAP. XVII.

HAec atque huiuſcemodi me proſequente, permoti grauiter ingemuiſtis, uos in eam neceſsitatem fuiſſe perductos, quam nec implere aliquo ſtudio, nec ſine peccato relinquere ualeretis: ac deinde, cùm pijs gemitibus ueſtris ea qua uobis obſtrictus ſum cordis affectione compaſſus, orando uos poſſe perficere, quod non poſſetis docendo ſuggerere: plusq́ fideles catholicos bonis exemplis, quàm luculentis uerbis ſolere proficere: eamq́ eſſe ſummam perfectamq́ doctrinam, quam conuerſatio ſpiritualis oſtenderit, nō quam inanis ſermo iactitarit: nec à nobis in die iudicij uerba quærenda, ſed opera: nec facilè perſuaderi eſſe poſsibile, quod docet lingua, ſi à lingua uita diſſentiat. Illud autem probare poſsibile eſt, quod ſiue prædices, ſiue non prædices, faciendo confirmas, & imitari uolentibus cum quadam delectatione ipſius poſsibilitatis inculcas: uos mea ſuggeſtione paululum delectati, hoc protinus, ſi me non habet obliuio, retuliſtis.

Quòd parum ualeat exemplo agenda monſtrare, niſi etiam quæ ſint credenda docendo ſacerdos oſtenderit. D

CAP. XVIII.

ETiam ſi tota perfectio in opere tantum, non etiam in fide conſiſteret: nec quid homo credidiſſet, ſed quid egiſſet in die iudicij quæreretur: quis erit tantæ arrogantiæ, qui eccleſiaſticæ doctrinæ autoritate neglecta, de ſua ſibi iuſtitia blandiatur? At cùm non ſolùm, ſecundum Apo-
2. Theß. 3. 1. Petr. 5. ſtolum, nos oporteat formam præbere fidelibus, ſed etiam eos ipſos fideles, qui nobis diuinitus inſtituendi commiſsi ſunt, inſtruere debeamus, de patre, quomodo ſolus accipiatur ingenitus: de filio, quomodo ex ipſo ſit genitus: & de ſpiritu ſancto, quomodo ex patre ac filio procedens, nec ingenitus poſsit dici, nec genitus: qualiter iſta tria unum ſint: & hoc unum non diuidatur, ſed diſtinguatur in tria: quemadmodum nec pater, nec ſpiritus ſanctus, ſed ſolus filius de ſolo patre ineffabiliter natus, hominem totum ſine ulla mutatione ſubſtantiæ ſuæ ſuſceperit: ac ſe Deum & hominem uerum per uirtutes, paſsionesq́ probauerit, comprehendi permiſerit, occidi uoluerit, tertia die reſurrexerit, in cœlo hominem de nobis aſſumptum ſua uirtute leuauerit, ſuæ reſurrectionis exemplo nobis regeneratis in ſe ſpem feliciter reſurgendi præſtiterit: membra ſua nos fecerit: non credentibus ſibi, uel à ſe recedentibus ſupplicium comminatus ſit, & adhærentibus ſibi regnum cœleſte promiſerit.

De

A *De uirtute fidei, quòd ad eam non solùm credere, uel intelligere, sed etiam bene operari pertineat.*

CAP. XIX.

HAec & alia, & sacerdos nosse debet, ut doceat: & populus credere, ut quæ doceatur, intelligat: dicente Apostolo: Nisi credideritis, non intelligetis. Vnde datur intelligi, quòd nō fides ex intellectu, sed ex fide intellectus existat: nec qui intelligit, credat: sed qui credit, intelligat: & qui intellexerit, bene agat: sicut alibi scriptum est: Noluit intelligere, ut bene ageret. Non dixit, non potuit, sed noluit intelligere, ut nihil aliud nolle intelligere dictū, quàm nolle credere nouerimus, ac per hoc ut bene agat quis, intelligere studeat, & ut intelligat, credat. Sed quia idem Apostolus dicit, Fides ex auditu, auditus autem per uerbum Dei, debet doctor ecclesiæ prædicare, quod audiat crediturus: quia sine prædicatione nullus erit auditus, eodem Apostolo contestante atque dicente: Quomodo audient sine prædicante? Si ergo quilibet sine prædicante non audit, sine auditu non credit, sine fide non intelligit, sine intellectu bene non agit, uerbum fidei prædicandum est, ut audiens credat, credens intelligat, & intelligens bonum opus perseueranter exerceat: quoniam nec opera sine fide, nec fides sola sine operibus iustificat. Et ideo si corde creditur ad iustitiam, ore autem confeſsio fit ad salutem, qui non crediderit non habēdo fidem, nec B iustitiam cordis habere poterit, nec salutem.

Esai. 7. iuxta lxx. et Matthe. 13. ac Act. 28.

Psal. 35.

Rom. 10.

Ibidem.

Quòd nihil prosit sacerdoti, etiam si bene uiuat, si malè uiuentem tacendo non corrigat.

CAP. XX.

QVod uerò dicit Apostolus, Vt nos formā debeamus exhibere fidelibus, quid ualebit, si cui uel exhortandi bonos, uel castigandi malos cura commiſſa est, bene uiuendo se imitandum bonis exhibeat, & malos tacendo non corrigat? Ad hoc enim, nisi me fallit opinio, sanctè uiuendum est sacerdoti, ne dicta sua repugnantibus factis euacuet: si quod prædicat fieri debere, non faciat: aut si quod non facit, prædicare præsumpserit, nihil apud eos, qui eius uitam nouere, proficiat: quia ad hoc est ecclesiæ Dei præpositus, ut non solùm bene uiuendo, alios exemplo suæ conuersationis instituat, sed etiam fiducialiter prædicando, singulis ante oculos peccata sua constituat: quæ pœna maneat duros, quæ gloria obedientes ostendat: nullius salutem desperando contemnat: animas emendari nolentium plangat, imitatus Apostolum, qui ait: Vt lugeam multos ex his, qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam. & iterum: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? Quapropter sciens quòd si quibuslibet diuitibus ac potentibus malè uiuentibus pareat, aut faueat, eos perdat simul, & pereat. Et sanctè uiuere debet propter exemplum, & docere propter suæ administrationis offi-

1. Petr. 5.

2. Cor. 12.

2. Cor. 11.

cium: certus, quòd ei nihil sua iustitia suffragetur, de cuius manu anima C
pereuntis exigitur. Quando quicunque alius perierit, quem nulla docendi necessitas manet, solus pœnas sceleris sui dabit. Ille autem cui dispensatio uerbi commissa est, etiam si sanctè uiuat, & tamen perditè uiuentes arguere, aut erubescat, aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierunt, perit. Et quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno
Ezechie. 33. peccato? Mentior, nisi hoc dominus per Ezechielem prophetam sub cuiusdam terroris denuntiatione loquitur, dicens ad eum: Et tu fili hominis, speculatorem dedi te domui Israël. Nec hoc transeunter debemus audire, quòd sacerdotem speculatorem appellat: ut sicut speculatoris est, de loco editiori prospicere, & plus omnibus contemplari: ita sacerdos debet esse proposita sublimitate celsior cunctis, & maioris scientiæ habere gratiam, qua possit sub se uiuentes instruere. Videamus iam quid diui-
Ibidem. nus sermo contineat. Audiens, inquit, ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me: ut hoc dicat sacerdos, quod ex diuina lectione didicerit: quod illi Deus inspirauerit, non quod præsumptione humani sensus inuenerit. Annuntiabis eis, inquit, ex me. Ex me, non ex te mea uerba loquêris. Non est quo in eis tanquam de tuis infleris. Ex me, inquit, eis an-
Ibidem. nuntia. Sed iam quid annuntiet, audiamus. Si me dicente ad impium, Impie morte morieris: si non fueris locutus, ut custodiat se impius à uia sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem uerò eius de manu tua requiram. Quid potuit expreßius, quid apertius potest dici? Si impio, inquit, non locutus fueris, ut ab impietate sua se custodiat, & ille perierit, sanguinem eius de manu tua requiram. Hoc est dicere: Si ei peccata D
sua non annuntiaueris, si eum non argueris, ut ab impietate sua conuertatur, & uiuat: & te, qui non increpasti, & ipsum, qui te tacente peccauit, flammis perennibus perdam. Quis rogo tam saxei pectoris, quis tam ferreus erit, quem sententia ista non terreat? quis tam alienus à fide, qui sententiæ isti non credat?

Luctuosa descriptio sacerdotis carnaliter uiuentis.

CAP. XXI.

SEd nos præsentibus delectati, dum in hac uita commoda nostra, & honores inquirimus: non ut meliores, sed ut ditiores: nec ut sanctiores, sed ut honoratiores simus cæteris festinamus: nec gregem domini, qui nobis pascendus, tuendusq; commissus est: sed nostras uoluntates, dominationem, diuitias, & cętera blandimēta carnaliter cogitamus, pastores dici uolumus, nec tamē esse cōtendimus, officij nostri uitamus laborem, appetimus dignitatem. Immundorum spirituum feras à grege dilacerādo non pellimus, & quod eis remanserit, ipsi consumimus, quando peccātes diuites uel potētes nō solùm nō arguimus, sed etiam ueneramur, ne nobis aut munera solita offensi nō dirigāt, aut obsequia desiderata subducant: ac sic muneribus

A muneribus eorum,& obsequijs capti, imò per hæc illis addicti, loqui illis de peccato suo, aut de futuro iudicio formidamus. Et ideo minaciter superbiã nostrã diuinus sermo cõtundit: sed noster auditus nihil unde proficiamus admittit. Quia præsentis uitæ capti dulcedine, quæ pœna negligentiã nostrã maneat in æternum, nolumus cogitare. In pastores ergo dicũtur ista, de quorũ nobis inani appellatione blandimur. Hæc dicit dominus: Væ pastoribus Israël, qui pascebãt semetipsos. Non'ne greges pascũtur à pastoribus? Lac comedebatis,& lanis operiebamini: quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non cõsolidastis: & quod ægrotum, non sanastis: quod fractum, non alligastis: & quod abiectũ, non reduxistis. Quod perierat, non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis,& cum potentia:& dispersæ sunt oues meæ, eò quòd non esset pastor, & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarũ agri. Et paulò pòst: Propterea pastores audite uerbum domini: Viuo ego, dicit dominus: quia pro eo quòd facti sunt greges mei in rapinam,& oues meæ in deuoratione omnium bestiarum agri, eò quòd non esset pastor: neq; enim quæsierunt pastores gregem meum: sed pascebant pastores semetipsos,& gregem meum non pascebant. Propterea pastores audite uerbum domini: Hæc dicit dominus: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare eos faciam, ut ultrà non pascant gregem meũ, nec pastores amplius pascant semetipsos. Quis

Ezech. 34. / Ibidem. / Ibidem.

B ad hæc non contremiscat? Quis ista sine intolerabili metu futuræ examinationis accipiat, nisi qui aut non intelligit, aut futura non credit? Sed quia omnia quæ Deus obseruari uoluit, tam apertè posuit,& ita nominis sui autoritate firmauit, ut ea facilius, quod dictu quoq; nefas est, contemnamus, quàm nos intelligere uel non credere tam aperta, & diuina fingamus, quãdo audimus, hæc dicit dominus: quis non futurum esse credat, quod dicit dominus, nisi qui Deo nõ credit? Quod autem dicit, Væ pastoribus, istud uæ, pro maledicto poni,& pastorum nomine nos significari, quis non intelligat, nisi qui futura non cogitat? Gregem domini pascẽdum pastores facti suscepimus, & nosipsos pascimus, quando non gregum utilitati prospicimus, sed quid foueat,& augeat nostras uoluptates, adtendimus: lac & lanas ouium Christi oblationibus cotidianis, ac decimis fidelium gaudentes accipimus, & curam pascendorum gregum ac reficiendorum, à quibus peruerso ordine uolumus pasci, deponimus. Non sanamus spirituali consilio peccatis infirmum, non sacerdotali ope consolidamus atque reficimus diuersis tribulationibus fractum, non ad uiam salutis reuocamus errantem, non requirimus solicitudine pastorali ueniæ desperatione iam perditum: ad hoc tantum potentes effecti, ut nobis in subiectos dominationẽ tyrannicam uindicemus: non ut afflictos contra uiolentiam potentiũ, qui in eos ferarum mòre sæuiunt, defendamus. Inde est quod tam à potentibus huius mundi, quàm à nobis, quod peius est, nonnulli grauiter fatigati depereunt, quos se de manu nostra dominus

Ibidem. requisiturum terribiliter comminatur, dicens: Requiram oues meas de C
manu pastorum, & cessare eos faciam, ut ultrà non pascant. Quod quid est aliud, quàm pastores qui semetipsos, non gregem meum pascunt, sublimitate suæ dignitatis expoliem, & inter reprobos, quia honorē suum* noluerunt custodire, projiciam? Horum & his similium consideratione perterritus, timor & tremor ceciderunt super me, & contexerunt me peccatorum meorum tenebræ, & dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & uolabo, & requiescam? Et hoc est totum propter quod imperitiæ meæ ac futuri finis recordatus ingemui, & uolui sarcina episcopatus mei depositâ elongare fugiens, & manere in solitudine, & ibi expectare dominum, qui me saluum faceret à pusillanimitate mea, & ab ipsa intolerabilium mihi solicitudinum tempestate.

*als: ueneriut

Psal. 54.

Quòd secundum sermonem Prophetæ, culpa sua pereant, qui sacerdotum increpationes, uel admonitiones peruersa uoluntate contemnunt.

CAP XXII.

AD hæc ego tunc, Sic inquam, ista inuidiosis questubus iactas, & in sugillatione pontificū, uel certè ipsius pontificatus exaggeras, quasi non ubi ista legisti, quibus rationabiliter permoueris, ibi & illa sint, quæ à uobis prætermissa, breuiter in excusationem officij sacerdotalis attingam. Post illa uerba, quibus negligentium sacerdotum finis ostenditur, D
Ezech. 11. de pontifice officiū suum curante Propheta sic loquitur: Si autem adnūciante te ad impium, ut à uijs suis conuertatur, non fuerit conuersus à uia sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, & tu animam tuam liberasti. Hìc certè satis euidenter ostenditur, quòd siue proficiant, siue non proficiant auditores, tacere eis non debeant sacerdotes: nec ideo rei sint, si fortè eorum uerba populi non audiunt, uel audita contemnūt: sed si ab eis corrigendis absistunt: quia si nec exemplo uitæ præpositorum suorum, nec uerbo doctrinæ populi contumaces emendati proficiunt, ipsi sibi causa suæ perditionis existunt, & doctores suos, quorum exempla simul, ac uerba despiciūt, inuoluere criminibus suis omnino non poterūt. Quod idem
Ezech. 11. propheta euidentius alio loco prosequitur, dicens: Speculator si uiderit gladium uenientem super terram, & cecinerit buccina, & annunciauerit populo: audiens autem, quisquis ille est, sonum buccinæ non se obseruauerit, ueneritq; gladius, & tulerit eum: sanguis ipsius super caput eius erit. Sonum buccinæ audiuit, & se non obseruauit, sanguis eius in ipso erit. Si autem se custodierit, animam suam saluabit. Hic autem quid agere debeat qui fungitur speculatoris officio, diuinus sermo satis ostendit, ut quando uiderit uenientē gladium super terrā, iram Dei scilicet super peccatores, operibus terrenis addictos, omnino nō taceat, atq; eis quādiu inhæserint iniquitatibus suis, impendere diuinæ indignationis interitum denunciare

non

A non desinat, sed clarè ac publicè arguat: quia hoc buccinæ nomen insinuat, ut sic se à suis criminibus emendãtes, supplicium futuræ damnationis effugiant. Quòd si corripientem, si iram futuram, quæ contemptoribus iam imminet, nunciantem homines terreni despiciunt, sanguis eorum in ipsis erit: & sacerdos qui eis peccata sua non tacuit, pœnæ, quæ eos expectat, particeps esse non poterit.

Quòd sacerdotes etiam qualiter possunt, tam simpliciter docere debeant, ut omnes eos docentes intelligant.

CAP. XXIII.

NEc uerò se per imperitiam pontifex excusabit, quasi propterea docere non ualeat, quòd ei sufficiens & luculentus sermo non suppetat, quãdo nulla alia sacerdotis doctrina debet esse, quàm uita, satisq; auditores possint proficere, si à doctoribus suis quod uident spiritualiter fieri, hoc sibi etiam simpliciter audiant prædicari, dicente Apostolo: Etsi imperitus sermone, sed non scientia. Vnde datur intelligi, quòd non se debeat ecclesiæ doctor de accurati sermonis ostẽtatione iactare, ne uideatur ecclesiam Dei non uelle ædificare, sed magis se, quantæ sit eruditionis ostendere. Non igitur in uerborum splendore, sed in operum uirtute totam prædicandi fiduciam ponat: non uocibus delectetur populi adclamantis sibi, sed fletibus: nec plausum à populo studeat expectare, sed gemitum. Hoc 2. Cor. 11.
B specialiter doctor ecclesiasticus elaboret, quò fiant qui audiunt eum sanis disputationibus meliores, non uana assentatione fautores. Lachrymas quas uult à suis auditoribus fundi, ipse primitus fundat, & sic eos compunctione sui cordis accendat. Tam simplex & apertus, etiam si minus Latinus, disciplinatus tamen, & grauis sermo debet esse põtificis, ut ab intelligentia sui nullos, quamuis imperitos, excludat: sed in omnium audientium pectus cum quadam delectatione descendat.

Quid intersit inter doctores, qui ecclesiam simpliciter docentes ædificant, & eos qui eloquentiam suam luculentis declamationibus iactant.

CAP. XXIIII.

DEnique alia est ratio declamatorũ, & alia debet esse doctorum. Illi elucubratæ declamationis pompam totis facundiæ suæ uiribus concupiscunt: isti sobrio usitatoq; sermone Christi gloriam quærunt. Illi rebus inanibus pretiosa uerborum induunt ornamenta: isti ueracibus sententijs ornant, & commodant uerba simplicia. Illi affectant suorum sensuum deformitatem tanquam uelamine quodam phalerati sermonis abscondere: isti eloquiorum suorum rusticitatem student pretiosis sensibus uenustare. Illi totam laudem suam in fauore uulgi: isti in uirtute Dei constituunt. Illi plausibiliter dicunt, & nihil auditoribus suis declamando prospiciunt: isti usitatis

usitatis sermonibus docent, & imitatores suos instituunt: quia rationem C
suam nulla fucatæ compositionis affectatione corrumpunt.

Quales esse debeant sacerdotes qui uolunt fieri uitæ contemplatiuæ participes.

CAP. XXV.

QVocirca si sacerdotes sancti, non quales illi sunt, quos iudicandos, atque damnandos, comminatio diuina pronunciat: sed quales apostolica doctrina commendat, multos ad Deum sancte uiuendo & prædicãdo conuertãt: si nihil ex imperio, sed omnia humiliter agant, ac se communes eis, quibus sunt præpositi, studio sanctæ dilectionis exhibeant: si infirmitates carnaliter uiuentium fratrum modò uerborum salubrium medicaminibus curent, modò quas incurabiles iudicant, patientiæ uirtute sustineant: si moribus ac prædicationibus suis non suam, sed Christi gloriam quærant: nec uerba ac facta sua in pretium fauoris conciliandi miserabiliter perdant, sed quicquid sibi sacerdotaliter uiuentibus, atque docentibus honoris impenditur, Deo semper adscribãt: si non inflentur officiosis occurrentium salutationibus, sed grauentur: nec honorari se, sed onerari fauentium sibi laudibus credant: si consolentur afflictos, pascant egenos, uestiant nudos, redimant captiuos, suscipiant peregrinos: si errantibus uiam salutis ostendant, desperatis spem ueniæ consequendæ promittant, D
currentes impellant, remorãtes accendant, & quicquid ad officium suum pertinet constanter exerceant: quis sic erit alienus à fide, ut dubitet tales contẽplatiuæ uirtutis esse participes, quorũ exemplo simul ac uerbo plures fiunt regnorum cœlestium cohæredes? Isti sunt ministri uerbi, adiutores Dei, oraculũ spiritus sancti. Per tales Deus placatur populo, populus instruitur Deo. Isti sunt apostolorum domini successores, qui ecclesias, quas illi editis mirabilibus fundauerũt, mirabiliter apostolicis præditi uirtutibus regunt: qui fidem catholicam aut disputationibus, aut si ita necessitas poscat, membrorum suorum laceratione defendũt, pro qua totis uisceribus retinẽda amissis facultatibus suis etiam mori parati sunt. Fidelium catholicorum uirtutibus crescunt, qui per eos Deo autore proficiunt, & Deo suo inseparabiliter adhærentes, in quo sibi credũt solida ac permansura bona reposita, mundi huius gaudia fugitiua fastidiunt. Hactenus super tribus capitulis sermonẽ laciniosque disputationis prolixitate produximus: in quo quæ esset uitæ contẽplatiuæ proprietas, quæ differẽtia ipsius & actiuæ: & qualiter contẽplatiuæ uirtutis sacerdotes fieri participes possint, sufficienter, ut opinor, ostendimus: ideoque huic tandem libro terminum dantes, in secundo uolumine alia tria capitula, adiuuante Deo conatum nostrum uestris orationibus, tractabimus, ut in tertio libro de reliquis quatuor, quibus uitiorum atque uirtutum discutienda continetur ratio, disseramus.

FINIS LIBRI PRIMI.

Præfatio libri Secundi.

A SVPERIORI libro rationem contemplatiuæ uitæ com-
plexus, pro uiribus, quas dominus donare dignabitur, de
actuali uita, ſicut promiſi, diſputare conſtitui. Quapropter
ſicut in præfatione primi uoluminis feci, hîc quoq; officij
mei neceſsitatem paucis aperio: quia ſi potuiſſem ſine in-
obedientiæ noxa quod iubebatis abnuere, nunquam me propriæ uolun-
tatis inſtinctu committerem obtrectatorum maleuolo dente carpendum:
qui nolentes aduertere quàm inuitus hæc ſcribenda ſuſceperim, totum
quod eſt ueſtræ iuſsionis, applicaturi ſunt fortè uitio uanitatis: maximè
ſi de rebus talibus locuturus, quibus eccleſiaſticorum penè omnium con-
uerſatio tenenda deſcribitur, aliquid tale poſuero, quod ſeculariter uiuen
tium mentes offendat. Et dum in deſcriptione eccleſiaſticæ uitæ mores
ſuos, quos neſciri magis, quàm emendari uolunt, uiderint publicari, in me
tanquam ſuorum actuum proditorē carnaliter commoti deſæuiant: atq;
ea quæ fuerint donante deo prolata, etſi rationabiliter dicta dijudicent, à
me dici tamen nō debuiſſe contendant: ſicq; aut materiam diſputationis,
aut perſonam diſputantis irrideant. Sed quoniam ſana mens incompara-
biliter amplius obedientiæ fructum debet appetere, quàm uitare iniuſtæ
B obtrectationis opprobrium, leuius me credidi grauari reprehendentium
dictis meo iudicio, quàm pertinacis inobedientiæ ſubiacere periculo.
Proinde ſecurus, quòd uos mihi perficiendi facultatem precibus impetre-
tis à domino, qui iuſsiſtis ut loquerer, & præſumptionem meam apud
eos qui me iudicaturi ſunt excuſetis, ut opus ſuſceptum uobis orantibus
adiuuandus expediam. Sed priuſquàm membratim ſingula quæ propo-
ſuiſtis abſoluam, uniuerſaliter de ipſa re, quæ in hoc libello tractanda eſt,
pauca mihi uideo eſſe dicenda: quibus euidenter appareat, qua ratione
mihi ſuccēſeri poſſe præfatus ſum, ab eis qui magis quis dicat, quàm quid
dicat attendunt: nec rationem dictorum, ſed dignitatem dicentium pra-
ua examinatione diſcutiunt: & quod facere aut fieri nolunt, dici quoque
ſibi faſtidiunt: paratiores aliquid doctrinæ, etiam quod ſcire cupiunt,
ignorare, quàm à perſona inferiore cognoſcere: cùm ueritas, undecunq;
claruerit, non ſit ingenio humano deputanda, ſed deo: nec aliquorum de-
beat credi, ſed omnium quæ per ſe tanta & talis eſt, ut nō ſit tunc magna,
ſi eam magni docuerint, ſed potius ipſa magnos faciat eos, à quibus do-
ceri uel * dici potuerit. Voluiſtis itaq; uobis proprietatem uitæ actualis *al's: diſci
exponi, ut uos cum ueſtris ſecundū ipſam uixiſſe ſemper, & uiuere pro-
baretis: non qualiter uobis eſſet uiuendum, in eis diſputationibus diſce-
retis. Siquidem conuerſatio religioſa actualis eſt uita, quæ docet, quomo-
do præpoſiti ſub ſe regant uiuentes, & diligant: ac non minus de eorum,
quàm de ſua ſolliciti ſalute, quod eis expedire ſciunt, paterna cura proui-
deant:

deant: & qualiter præposito suo subiecti, tanquam capiti membra deser- C
uiant, ac præcepta eius uelut imperium dei summo amore custodiant: hoc esse sanctum, hoc sibi salubre & necessarium iudicantes, quod rectori suo placuerit: non quod eis in perniciem sui arrogantia uitiosæ mentis dictauerit. Ideoque obedientiæ ac patientiæ uirtute fundati, maiorum suorum non discutiunt constituta, sed faciunt: & quando rigor exigit disciplinæ, ut seueritate arguantur, acceptam correptionem magnanimiter ferunt: nec motibus eorum, à quibus fuerint obiurgati, sed suis negligentijs, quòd castigantur, adscribunt. Ciues quoque suos plebeios & nobiles, diuites ac potentes, qualiter tractare & regere debeant sacerdotes, huius libelli series continebit. Quæ ego, sicut sæpe iam dixi, scribere non auderem, si uobis negare aliquid potuissem. Sed iam capitula ipsa differenda ponamus. Quæsistis igitur utrum æquanimiter sustinendi sint diuina præcepta calcantes, an pro modo peccati debeant ecclesiastica seueritate coargui.

CAPITA LIBRI SECVNDI.

A dimenti afferant bona præſentia amatoribus futurorum.

CAP. XIIII. Qualiter intelligatur, quod dicit Apoſtolus, Qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edant.

CAP. XV. De cupiditate, qualiter eis, quos ſemel inuaſerit, dominetur.

CAP. XVI. Quòd Deum perfectius illi poſsideant, qui terrenis poſſeſsionibus ex corde renuntiant.

CAP. XVII. Quòd nihil proficiant, qui abſtinentes à cibis, uitijs ſeruiunt: nec profit facultates abijcere, qui ſuas faciunt uoluntates.

CAP. XVIII. Quanta bona primus homo, abſtinentiæ bonum negligendo, perdiderit.

CAP. XIX. De peccato primi hominis, & de malis quæ illum peccantem, Deo iudicante, ſecuta ſunt.

CAP. XX. Quòd omnia bona, quæ in Adam corrupti perdidimus, in Chriſto reparati recipiemus.

CAP. XXI. Qualiter uiuere debeant, qui Chriſtum imitari deſiderant.

CAP. XXII. Quali temperantia uti debeant, qui à uoluptate delectabilium, uel ab immoderata perceptione ciborum communium, atque à uini immoderato uſu cupiunt abſtinere.

CAP. XXIII. Quòd utentes carnibus concupiſcentia carnium B polluat, non natura.

CAP. XXIIII. Quàm utile ſit ieiunio, uel abſtinentiæ, aduenientium charitatem plerunque præferre.

C

D. PROSPERI AQVITANICI DE VITA CONTEMPLATIVA LIBER SECVNDVS. C

Quòd pro diuersitate peccantium alij portandi sunt, alij castigandi.

CAP. I.

SI una omnes ægritudine mentium laborarẽt, ac paribus animorum morbis affecti, nihil adinuicem discreparent, aut sustinere necesse esset, aut argui. Nũc uerò propterea portandi sunt alij, alij castigandi: quia pro diuersitate peccantium, modus quoq; diuersus est* præceptorum. Et utique ita dissimilia sunt peccatis adhibenda remedia, sicut ex dissimilibus causis ueniũt ipsa peccata. Plerosq; enim peccandi consuetudo delectat, alios ad peccandum occasio D alicuius lucri temporalis inuitat, fragilitas nonnullos inclinat, quosdam ignorantia boni facit nescire, quòd peccant, & impedit mali dulcedo, ne correpti aliquando sapiant, quod ignorant. Taceo de illis, quos aliena delicta, quibus consentiunt, decolorant. Illos etiam prætermitto, qui cupientes adipisci quod diligunt, uel refugientes pati quod metuunt, aut fidem catholicam produnt, aut mendacio præstantiam ueritatis addicunt. Illud dico, quis nesciat aliter homines cogitatione subita, aliter definitione delinquere, aliter sermone, aliter opere, aliter necessitate, aliter uoluntate peccare? Cùm igitur tam multiplicibus, ac multum ab inuicem distantibus modis homines peccent, quis non intelligat uno modo eis non posse utique mederi, quorum tam diuersi sunt morbi? Et ideo dupliciter quidem fragilitas humana Dei præcepta contemnit, aut faciendo quod uetuit, aut non faciendo quod iussit. Sed quomodo non solùm ex illis causis, quas cõmemoraui, sed etiam ex alijs, quas non commemoraui, in præceptis suis eum contemnunt, qui eius præcepta non faciunt: sic debent omnes modò exhortando, modò sustinendo, modò increpando curare, ut sub ope Christi nullius salus in hac uita debeat desperari. Iam nunc si satis apparuit quòd diuina præcepta calcantes non solùm portandi sunt, sed etiam castigandi, à quibus id fiat, qui, uel quo ordine, quandiu curandi sint qui curantur, adiuuantibus me meritis & orationibus uestris debeo declarare.

*alïs: peccatorum

De

A

De laude sanctorum sacerdotum.

CAP. II.

AC ne fidem meus sermo uelut humana coniectura non habeat, effectumq́ꝫ,dum ei parum creditur, perdat: ea quæ adiuuante domino demonstrare constitui,uera esse diuinis testimonijs conabor ostendere: si prius pauca de laude uerorum sacerdotum, qui sunt ecclesiarum magistri,protulero. Ipsis enim propriè animarum curandarum solicitudo cõmissa est,qui pondus populi sibi commissi uiriliter sustinentes, pro peccatis omnium uelut pro suis infatigabiliter supplicant Deo, ac uelut quidam Aaron incensum contriti cordis, & humiliati spiritus offerẽtes,quo placatur Deus,auertunt iram futuræ animaduersionis à populo, qui per Dei gratiã fiunt diuinæ uoluntatis indices, ecclesiarum Christi post Apostolos fundatores,fidelis populi duces,ueritatis assertores, prauæ doctrinæ hostes,omnibus bonis amabiles, & malè sibi conscijs etiam ipso uisu terribiles,uindices oppressorum,patres in fide catholica regeneratorum, prædicatores cœlestium,primi * phalanges inuisibilium præliorum,exẽpla bonorum operum,documenta uirtutum,& forma fidelium. Ipsi sunt ecclesiæ decus,in quibus amplius fulget ecclesia. Ipsi columnæ firmißimæ, quibus in Christo fundatis,innititur omnis multitudo credentium. Ipsi ianuæ ciuitatis æternæ, per quos omnes qui credunt, ingrediuntur ad Christum.Ipsi ianitores,quibus claues datæ sunt regni cœlorum.Ipsi etiã B dispensatores regiæ domus, quorum arbitrio in aula regis æterni diuiduntur gradus,& officia singulorũ.Hi sunt qui non ambiendo, sed spiritualiter uiuendo sacerdotium meruerũt:quiq; nõ fauoris humani suffragio,sed diuino munere sublimati, nihil sibi de præstantia sui principatus adplaudunt. Quos nõ inflammat honor acceptus, sed exercet labor impositus.Qui nõ excellentiã suã cogitant prouecti,sed sarcinã:nec glorientur de officij dignitate,sed sudant potius constituti sub onere. Tales diuina scriptura speculatores appellat,qui speculantur actus omnium,& qualiter unusquisq; cum suis in domo,qualiter in ciuitate cum ciuibus uiuat, intentione religiosæ curiositatis explorant:Quos bonos probauerint, honorando confirmant:quos deprehenderint uitiosos, arguentes emendãt: aut si emendari noluerint,æquanimiter portant,habituri uberrimum fructum,aut de sua districtione,si correpti profecerint: aut de sua patientia, etiam si illi quos sustinent,emendari noluerint.

Exodi. 30. et Leuit. 16. & Num. 16.

*al:s:præliãtes

Ezech. 3.

De testimonijs apostolicis,& expositione eorum.

CAP. III.

SEd iam diuina testimonia, sicut promisimus,proferamus. In Actibus apostolorũ Paulus Apostolus sacerdotibus dicit: Ecce ego scio,quod amplius nõ uidebitis faciem meam uos omnes,inter quos ambulaui prædicans regnũ Iesu Christi.Ideoq; cõtestor uos hodierna die, quia mũdus sum ab omnium sanguine. Non enim subterfugi, quominus adnũtiarem Actu. 20.

uobis omne consilum Dei. Adtendite uobis & uniuerso gregi, in quo uos C
spiritus sanctus posuit episcopos, regere ecclesiam Dei, quam adquisiuit sanguine suo. Regnum Dei, inquit, inter uos ambulans prædicaui, ut me alienum ab omnium perditione seruarem, qui uerbo doctrinæ salutaris audito, nihil promouentur ad salutem. Regnum Dei prædicat, qui de uita futura, quæ non habet finem: de contemplatione diuina, quæ non habet fastidiosam satietatem: de sanctorum beatitudine, quæ non habet defectionem: de angelorum similitudine consequenda prædicare nõ cessat: ita ut si ad hæc ineffabilia bona qui audiunt prouocari noluerint, absolutus sit ille, qui eis prædicando non tacuit. Quod autem secutus adiungit: Non enim subterfugi, quò minus adnuntiarem uobis omne consilium Dei: quid aliud facit intelligi, nisi ut ecclesiasticus doctor dispositionẽ Dei (quod consilium Dei uocat Apostolus) eis, quos docet, aperiat? Aperit ergo dispositionis diuinæ consilium, quando docet, ut patres pietatem filijs suis impendendo, eam mereantur à domino, qui est omnium pater. Vt filij honorem debitum patribus suis exhibeant, non exhæredationis metu deterriti, sed futuræ remunerationis desiderio prouocati: quia præceptum domini tam patres filios diligendo, quàm filij honorificentiã suis exhibendo patribus complent, qui utrũq; iussit ut fieret. Vt mariti fidem coniugalis thori suis uxoribus seruent: ut uxores maritos suos nõ studio formæ lenocinantis adhibito, aut accuratione uestium diuersarũ, sed grauitate morum delectent, & operum sanctitate. Vt domini seruos uelut eorum in Christo conserui misericorditer tractent: & serui dominis ita ex D
corde deseruiant, ut uoluntatem non solùm dominorum suorum, sed etiã Dei, hoc ipsum iubentis, efficiant. Vt inter se ciues cum ciuibus, cum amicis amici, cum parentibus parentes ueram concordiam teneãt: ut in nullo negotio alter alterum callida fraude decipiat: aut ne in communi contractu fidem, quam sibi seruari aliquis cupit, ipse corrumpat. His & talibus & sacerdos adnuntiat prædicando, & obediendo populus accipit Dei cõsilium, sine quo non peruenitur ad regnum, in quo solo executores diuini consilij participes Deo autore futuri sunt cœlestium præmiorum. Deinde

Ibidem. quod dicit Apostolus: Adtendite uobis & uniuerso gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit episcopos, regere ecclesiam Dei, quam adquisiuit sanguine suo, quis non uideat, quòd tunc sibi sacerdotes attendunt, quando sanctè uiuendo, ac uoluntatem domini fiducialiter prædicando, ecclesiæ Dei prospiciunt: ut eis iam graue non sit, infirmos ecclesiæ sustinere, pro quibus redimendis se dignatus est morti uitæ autor offerre? Sed & ipsi qui docentur, ut sapiant: qui increpantur, ut saltem obiurgati proficiant: qui sustinentur, ut de suis aliquando criminibus erubescant, & gaudium suis doctoribus, quorum patientia blandè tractantur, * de utilitatis suæ profectu exhibeant, & ipsi inquam libenter audiant, quid eis apostolico ore diuinus sermo præcipiat: Obedite, inquit, præpositis uestris, & subiecti estote eis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus uestris redditi

*al[s]: de utilitate sue correctionis

Heb. 13.

redditiuri

A reddituri,ut cum gaudio hoc faciant & non gementes, hoc enim expedit uobis. Ergo doctoribus suis debent obedire qui audiunt, atque eis cum reuerentia esse subiecti. Quod faciunt illi, qui castigati libenter accipiūt, nec increpantibus contradicūt. Quod uerò ait: Ipsi enim peruigilant, quasi rationē reddituri pro animabus uestris: sacerdotalem curā pro populo sibi cōmissō satis ostendit, qui tam in suis actibus, quàm in prædicationibus uigilantes, solicitè hostis antiqui rimantur insidias, ne quē, uelut dormiēte pastore, lupus diabolus astuta fraude subripiat, & in damnum pastoris abreptum, secum usque ad supplicia sempiterna perducat. Verùm quia ex his qui arguuntur, aliqui se obedientes emendant, aliqui in sua peruersitate perdurant, ideo de sacerdotibus ait: Vt cum gaudio hoc faciāt, & nō gementes. Cum gaudio sacerdotes arguunt, quando correpti proficiunt: & tristes hoc faciunt, quādo se nihil proficere in suis contemptoribus ingemiscunt: ac sic hoc dicit illis expedire, ut cum gaudio, non gementes eos increpent sacerdotes, qui doctores suos sua correctione lætificant, & eorum gaudia incremento sui profectus accumulant. Ibidem. Ibidem.

Obiectio: Quare sacerdotes sancti, quorum cura est, perditè uiuentes arguere, simulatores religionis æquanimiter ferant.

CAP. IIII.

B NEcdum sermonem de sacerdotibus sanctis, unde plura dicere conabar, impleueram, cùm ecce ad me quidam de nostris ingressus, quid dictarē curiosus interrogat. Cui cùm recitari fecissem, Omnes, inquit, episcopos tales esse debere, quales tuus sermo descripsit, & nunc esse plures apud nos plenos sacerdotalibus bonis, qualia ueraciter prædicasti, dubiū nō est. Sed cùm ad eorū probetur officiū pertinere, ut inquietos sacerdotali autoritate corripiāt, rudes doceant, cōtradicentes sanæ doctrinæ, redarguant: quid est, quòd nō in omnes hæc eorum cura porrigitur: cur nō & alios simili autoritate castigant: Illos dico, qui uelut conuersi, ex pristinis moribus nihil abijciunt, non mente mutati, sed ueste: nec actu, sed habitu. Hi sunt, qui sermone tantùm, non opere, seculo renuntiasse contenti seculariter uiuunt, & uitia sua inani professione uitæ melioris abscōdunt, ac religionis imaginariæ nomine palliati, opinionem uirtutis pro uirtute suscipiunt. Prædicāt magna, nec faciunt: accusant uitia, nec deponunt. Publicè sibi displicere simulāt, quod occultè cōmittunt. Magni studēt uideri, non fieri. Laudāt eos, quorum cupiunt prædicatione laudari. Ieiunant, ut uultus sui pallorem perniciosis laudibus uendant. Ad reprehēdendos alios prompti, se non patiuntur à quibuslibet uel leniter reprehendi. Ad faciem publicam patientiā fingunt, & in animo iracundiæ uirus abscondunt, ad nocendum parati, cùm nocēdi tempus inuenerint, suorū actuum negligentes, fiunt aliorum procaci libertate censores. Impudenter se assuunt uirginibus sacris ac uiduis, quibus tanto inglutinantur affectu, ut

facilius ab ecclesiæ (quod dictu quoque nefas est) quàm ab earum commu- C
*als:pereant nione discedant. Qui etsi cum illis fortè non *peccant, tamen malæ suspitionis de se præbendo materiã, uitam suam maculis sinistræ opinionis infamant. Taceo de illis, qui undante lapsabundi corporis motu, defluentibus in talos uestimentis incedunt, & uagis laterum flexibus quodammodo fluctuantes, animorum dissolutionem uestigijs sinuosa mobilitate nutantibus produnt. Illos quis ferat, qui adumbratæ prætendentes honestatis imaginem, ad hoc pupillorum, ac uiduarum causas, uelut tuēdas simulata pietate suscipiunt, ut earum facultates suis adijciant, & diuites ex pauperibus facti, uel ex diuitibus ditiores, tenuem censum per nefas accumulent, ut cùm fuerint exundante patrimonio sumptuosiores effecti, nunquam materia uoluptatis gulæ suæ deficiat? Hos igitur tales quare non arguunt, qui arguendi potestatem diuinitus acceperunt? Non uerentur, ne fortè cùm tam flagitiose uiuentibus parcunt, uideantur probare quæ faciunt? Quid quòd etiam eos ad officium clericatus admittunt, & (proh nefas) quasi parum sit quòd tales dissimulata seueritate non increpant, insuper & honorant?

Responsio: ubi ostenditur, quibus exigentibus causis, quorundam infirmitas blandè tractetur.

CAP. V.

EGo uerò, si recolis, inquam, quid de sanctis sacerdotibus fuerit dispu- D tatum, sufficiens accepisti responsum. Ecclesiæ quippe doctoribus, sicut suprà iam diximus, & censura inesse debet, ut arguant: & patientia, ut emendari nolentes fortiter ferant, apostolico satisfacientes imperio,
2. Tim. 4. qui Timotheo præcipit dicens: Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Quasi diceret: Argue coæquales, obsecra seniores, increpa iuniores. Sed propterea addidit, In omni patientia & doctrina: quia leniter castigatus exhibet reuerentiam castiganti: asperitate autem nimiæ increpationis offensus, nec increpationem recipit, nec salutem. Item alio
Rom. 15. loco idem Apostolus dicit: Vos qui firmiores estis, imbecillitates infirmiorum sustinete. Sustinent ergo æquanimiter ut infirmos, quos emendare non potuerint castigatos. Proinde quia nec obiurgari omnes expedit, nec omnes blandè tractari, sciunt sancti sacerdotes, atque discernunt, quos debeant temperata seueritate corripere, & quos sacerdotali magnanimitate portare: & ideo omnium quos per Dei gratiam curant, non uoluntati, sed utilitati prospiciunt. Denique alios honorari deformiter ambientes, quibus non expedire nouerunt, non uitio alicuius inuidiæ, sed altæ prudentiæ consilio prætermittunt: & alios latêre cupientes honorant, ut eis aditum ad maiores profectus aperiant. Eos quos probant increpationem posse pati, castigāt: & impatiētes obiurgationis ut languidos palpant: nō eis adulando, quòd tales sunt: sed infirmitatibus taliū cōpatiēdo, si fortè aliter sanari nō possunt. Cæterùm si ecclesiæ cōmunione

priuentur

A priuentur infirmi, qui curari adhibita increpatione non possunt, aut intolerabilis mole tristitiæ supra modum grauati succumbunt, & sanctorũ omnium uultus, per quos possent restitui Deo, refugiunt: aut certè ad omnem peccandi impudentiam, si fuerint exacerbati, prosiliunt: & quicquid mali occultè faciebant, publicè perpetrabũt: in tantam uesaniã reparandæ salutis desperatione prolapsi, ut seria uerba corripientium in iocos exitiabiles impudenti urbanitate conuertant, ac maledica in se ex ipsa iactatione turpitudinis suæ, turpiter uiuentium maleuolas lætitias pascant. Propter hoc ergo blanda pietate portãdi sunt, qui increpari pro sua infirmitate non possunt. Et re uera si peccanti salubrem pudorem, dum pro eo erubescis, incutias, ac uerecundiã, quam pro peccatis eius assumis, in eum pia animi compassione transfundas, facilè in illo reprimis omnem peccãdi licentiã: atq; ei totam impudentiã demis, licentiosæ turpitudinis hortatricẽ. Tunc mores eius uerecũdia custos integritatis ornabit, ut ei placeat quod antè sordebat: quãdo sordidus erat, ut sordeat quod antè placebat, quando ipse bonis omnibus displicebat. Sanctos uiros amando sectabitur, & sectando in eorum similitudinẽ paulatim uitæ prioris emendatione formabitur, ut ei quàm laboriosum fuit in sublimitatem uirtutis euadere, tam deforme sit in uitia rursus, quibus se gaudet caruisse, descẽdere: Quia sicut uirtus onerosa est uitioso: * ita uirtutis amico uitiosa uoluptas amara est. Ecce quomodo peccantes omnes blandè tractat, aut increpat, qui B nihil aliud, nisi eorum salutem, quibus uult prodesse, considerat.

*al. sic: ita est amara uitiosa uoluntas uirtutis amico

Quòd illi peccata aliena impatienter accusant, qui sua non cogitant.

CAP. VI.

TAndiu enim quis peccata sua, quæ nosse, ac deflere debet, ignorat: quandiu curiose aliena considerat. Quòd si mores suos ad seipsum cõuersus aspiciat, non requirit quod in alijs specialiter reprehendat, sed in se ipso quod lugeat. Proinde fratrum nostrorum uitia nõ facilè debemus accusare, sed gemere: ut inuicem onera nostra portantes, legem Christi possimus implere: qui utiq; non accusauit peccata nostra, sed tulit, Euãgelista dicẽte, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Itaq; si ille, qui sine peccato fuit, nos peccatores ineffabili pietate sustinuit, & sustinere nõ desinit, non interitum nostrum desiderans, sed profectũ: nec mortem peccantium, sed salutem: quare nos exemplo nostri saluatoris & domini non sustineamus infirmos, cùm & ipsi aut infirmi sumus, & uolumus à Deo portari: aut si sani sumus, possumus adhuc ut fragiles infirmari?

Gal. 6.
Ioan. 1.

Quantum remedij habeat confeßio peccatorum, & quale mereatur occultatio dolosa supplicium.

CAP. VII.

HVc accedit, quòd & ipsa peccata sic habentur occulta, uel aliena nobis, uel alijs nostra, ut plerunque & sanctus inter peccatores lateat, & famã sancti obtineat peccator. Innocentẽ si se tueri non potest, suspicio iudicis incauta condemnat: & reum calliditas ingenij uiuacis excusat. Veruntamen non diuinum, sed humanũ fallunt ista iudiciũ. Et quid mirum, si animos aliorum quales sint, sine ipsorũ confessione nescimus, cùm nos ipsos ita hodie nouerimus, ut quales futuri simus crastino nesciamus? Cùm uerò nobis fratres quilibet nostri peccata sua tanquã medicis uulnera quibus urgentur aperiunt, operã dare debemus, ut quãtotius ad sanitatẽ Deo autore perueniãt, ne in peius dissimulata curatione proficiãt. Ecce autẽ crimina quorũlibet, si ipsis criminosis confiteri nolentibus undecunque claruerint, quæcunque non fuerint patientiæ leni medicamẽto sanata, uelut igni quodã piæ increpationis urenda sunt, & curãda. Quòd si nec sic quidẽ æquanimiter sustinentis, ac piè increpantis medela profecerit in eis, qui diu portati, & salubriter obiurgati corrigi noluerint, tanquã putres corporis partes debent ferro excommunicationis abscidi: ne sicut caro morbis emortua, si abscisa non fuerit, salutẽ reliquæ carnis putredinis suæ contagione corrumpit: ita isti, qui emendari despiciunt, & in suo morbo persistũt, si moribus deprauatis in sanctorũ societate permãserint, eos exemplo suæ perditionis inficiant. Porrò illi, quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab alijs publicata, si ea confiteri, aut emẽdare noluerint, Deum quem habent testem, ipsum habituri sunt & ultorem. Et quid eis prodest humanum uitare iudicium, cùm si in malo suo permãserint, ituri sint in æternum Deo retribuente supplicium? Quòd si ipsi sibi iudices fiant, & ueluti suæ iniquitatis ultores hic in se uoluntariam pœnam seueritsimæ animaduersionis exerceãt: temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia: & lachrymis ex uera cordis compunctione fluentibus restinguent æterni ignis incendia. At hi, qui in aliquo gradu ecclesiastico constituti aliquod occultè crimen admittunt, ipsi se uana persuasione decipiunt, si eis uidetur propterea communicare & officium suum implere debere, quòd homines occultatione sui criminis fallunt. Exceptis enim peccatis, quæ tam parua sunt, ut caueri non possint, pro quibus expiandis cotidie Deo clamamus, & dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: illa crimina caueantur, quæ publicata suos autores humano faciunt damnari iudicio. Qui autem ea commiserint, & ideo prodere metuunt, ne sententiam iustæ excõmunicationis accipiant, sine causa communicãt: imò uerò dupliciter contra se iram diuinæ indignationis exaggerant, quòd & hominibus innocentiã fingunt, & contempto Dei iudicio abstinere se ab altari propter homines erubescunt. Quapropter Deum sibi facilius placabunt illi, qui non humano conuicti iudicio, sed ultro crimen cognoscunt: quia aut proprijs illud confessionibus produnt, aut nescientibus alijs quales occulti sunt, ipsi in se uoluntariæ excommunicationis sententiam ferunt, & ab altari

(Margin letters: C beside line 1; D beside "fiteri, aut emẽdare noluerint…"; marginal note "Matth. 6." beside "pro quibus expiandis…")

A ab altari, cui ministrabat, non animo, sed officio separati, uitam suam tanquam mortuam plangunt, certi quòd reconciliato sibi efficacis pœnitentiæ fructibus Deo, nō solùm amissa recipiant, sed etiam ciues supernæ ciuitatis effecti, ad gaudia sempiterna perueniant.

Quòd iniquè, & non simpliciter arguentes uani sint, ac diuino iudicio condemnandi.

CAP. VIII.

IAm de illis, qui leui suspicione permoti, simpliciter uiuentes obiurgant, ut & illos incondita correptione confundant, atq; deijciant, & sibi per hoc nescio cuius districtionis gloriā quærant, non est meum aliquid dicere, super quibus tam perspicuè diuinus sermo pronunciat, ut expositore non egeat. Ait enim in Ecclesiastico spiritus sanctus: Est correptio mēdax in ira contumeliosi: & est iudicium quod non est bonum. Vtiq; contumeliosi hominis & superbi correptio quæ dicitur mendax, superbiæ est non alicuius humilitatis indicium, & ideo non est bonum. Quid potuit euidentius, quid apertius dici, quàm contumeliosum dicere, & mendaciter arguentem? Quia & contumeliosus est, qui mendaciter arguit, & mendaciter arguit, qui contumeliam facit. Item in Prouerbijs: Testis falsus non erit impunitus, & qui arguit iniquè, non effugiet. Quis est falsus testis, nisi qui hominē quemlibet de criminibus indiscussis obiurgat? Quem propterea iniquè increpantem dicit, non impunitum futurum: quia innocentem nullis prouocantibus meritis arguendo uult esse reum. Quod autem dicit de eo qui iniquè arguit, non effugiet: quid aliud debet intelligi, nisi iram Dei non effugiet, qui aliquem non sic corripit, ut emendet, sed ut se procaciter iactet? Sed de contemptoribus præceptorum Dei, & de correptionis ac patientiæ uirtute, sufficiāt ista quæ diximus: ne in uno capitulo iusto amplius immorati, aut cætera breuius quàm necesse sit trāscurramus, aut intentionem uestram longitudine nimium protelati uoluminis oneremus. Videamus itaque quid nos etiam continentia capituli sequentis edoceat: Vtrum, inquit, congregādis fratribus, aut alendis expediat facultates ecclesiæ possideri, an perfectionis amore contemni.

Eccle. 19.

Prouerb. 19.

B

Quòd sacerdotes nihil proprij habere debeant, & ecclesiæ facultates quasi communes, utpote pro quibus Deo rationem reddituri sunt, suscipiant.

CAP. IX.

EXpedit facultates ecclesiæ possideri, & amore perfectionis proprias contemni. Non enim propriæ sunt, sed communes ecclesiæ facultates: & ideo quisquis omnibus quæ habuit dimissis aut uenditis, fit rei suæ cōtemptor, cum præpositus fuerit factus ecclesiæ, omnium quæ habet ecclesia efficitur dispensator. Denique sanctus Paulinus, ut ipsi melius nostis, ingentia prædia, quia fuerunt sua, uendita pauperibus erogauit, sed cum postea

postcà factus esset episcopus, non contempsit ecclesiæ facultates, sed fidelissimè dispensauit. Quo facto satis ostendit, & propria debere propter perfectionem contemni, & sine impedimento perfectionis posse ecclesiæ quæ sunt profectò cõmunia possideri. Quid sanctus Hilarius? non'ne & ipse omnia bona sua aut parentibus reliquit, aut uendita pauperibus erogauit? Is tamen cùm merito perfectionis suæ fieret ecclesiæ Arelatẽsis episcopus, quod illa tunc habebat ecclesia non solùm possedit, sed etiam acceptis fideliũ numerosis hæreditatibus ampliauit. Isti ergo tam sancti, tam perfecti pontifices factis euidẽtibus clamant, posse, & debere fieri quod fecerunt. Qui utiq; homines tam secularium, quàm diuinarũ literarum sine ambiguitate doctissimi, si scirent res ecclesiæ debere contemni, nunquam eas debuerant, qui omnia sua reliquerant, retinere. Vnde datur intelligi, quòd tales ac tanti uiri, qui uolentes esse Christi discipuli, renunciauerunt omnibus quæ habebãt, non ut possessores, sed ut procuratores facultatis ecclesiæ possidebãt. Et idcirco sciẽtes, nihil aliud esse res ecclesiæ, nisi uota fidelium, pretia peccatorũ, & patrimonia pauperũ, non eas uendicauerunt in usus suos, ut proprias, sed ut cõmendatas pauperibus diuiserunt. Hoc est enim possidendo contemnere, non sibi, sed alijs possidere, nec habendi cupiditate ecclesiæ facultates ambire; sed eas pietate subueniendi suscipere. Quod habet ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune: nec aliquid inde eis, qui sibi de suo sufficiunt, debet erogare: quando nihil aliud sit habentibus dare, quàm perdere.

Cum quo damno animæ suæ ab ecclesia, quæ pauperes pascit, accipiunt illi, qui sibi de suo sufficiunt.

CAP X.

NEc illi qui sua possidentes, dari sibi aliquid uolunt, sine grandi peccato suo, unde pauper uicturus erat, accipiunt. De clericis quidem dicit
Oseæ 4. spiritus sanctus: Peccata populi mei comedunt. Sed sicut nihil habentes proprium, non peccata, sed alimenta quibus indigere uidentur, accipiũt: ita possessores non alimẽta quibus abundant, sed aliena peccata suscipiũt. Ipsi quoque pauperes si se possunt suis artificijs aut laboribus expedire, non præsumant, quod debet debilis aut infirmus accipere: ne fortè ecclesia, quæ potest omni solatio destitutis necessaria ministrare, si omnes etiã nihil indigentes accipiant, grauata, illis quibus debet, subuenire non ualeat. Qui autem ecclesiæ seruiunt, & labori suo uelut debita reddi oportere credentes, ea quibus opus non habent aut accipiunt, aut exigunt, nimis carnaliter sapiunt: si putant, quòd ecclesiæ fideliter seruientes stipendia terrena, ac non potius præmia æterna percipiant. Secularis quippe militia quia cœlestia non habet, terrena strenuè militantibus præstat. Vnde satis indignum est, si fidelis, & operosa deuotio clericorum propter stipendium temporale præmia sempiterna contemnat. Quòd si quilibet minister ecclesiæ non habeat unde uiuat: non ei præmium hic, sed

A ſed neceſſaria præſtat eccleſia, ut in futuro præmium laboris ſui recipiat, quod in hac uita iam ſpe dominicæ promiſsionis certus expectat. Illi quoque, qui uel idonei nihil quidem ſibi dari uelut debitũ poſcunt, ſed tamen eccleſiæ ſumptibus uiuunt, non eſt meum dicere, quali peccato cibos pauperum præſumendo ſuſcipiant: qui eccleſiam, quam iuuare de proprijs facultatibus debuerũt, ſuis expenſis inſuper grauant: propter hoc fortaſsis in congregatione uiuentes, ne aliquos pauperes paſcant, ne adueniẽtes *ſuſcipiant, aut ne ſuum cenſum expenſis quotidianis imminuant. Quod ſi aliquid de fructibus ſuis eccleſiæ, uelut pro ipſa expenſa ſua contulerint, non ſe præferant inani iactantia illis, quos nihil habentes paſcit, & ueſtit eccleſia: quia perfectior eſt ille, qui ſe mundi rebus expoliat, aut qui cum nihil habuerit, nec habere deſiderat, quàm ille qui ex multis quę poſsidet, eccleſiæ aliquid præſtat, ac ſe de eo quod præſtiterit, forſitan iactat. Dura ſunt quæ dico, nec ego diffiteor. Dura ſunt, ſed obſeruare nolẽtibus. Cæterum ſi faciant iſta, quæ difficilia non facientibus ſunt, ſtatim facientibus facilia fiunt. Non ergo ea quæ nolumus obſeruare, impoſsibilitas nobis facit dura, ſed nouitas. In uſum ueniant, & neminem frequentata conturbant. Nam quæro, quid eorum ſit quod dixi difficile, ut homo id quod opus non habet ab eccleſia nõ accipiat, an ut quod habet ſine cauſa contẽnat. Si propter hoc non uult ſua relinquere ut habeat, unde uiuat, ut quid accipit unde rationem reddat, ut quid peccatis alienis ſua multiplicat?

*alij: excipiant

B

Qui ſunt, qui etiam cum profectu animæ ſuæ opibus ſuſtentantur eccleſiæ.

CAP. XI.

Itaque ſacerdos cui diſpenſationis cura commiſſa eſt, non ſolum ſine cupiditate, ſed etiam cum laude pietatis accipit à populo diſpenſanda: & fideliter diſpenſat accepta, qui omnia ſua aut relinquit, aut eccleſiæ rebus adiungit, & ſe in numero pauperum paupertatis amore conſtituit, ita ut unde pauperibus ſubminiſtrat, inde & ipſe tanquam pauper uoluntarius uiuat. Clerici quoque, quos pauperes aut uoluntas aut natiuitas fecit, cum perfectione uirtutis uitæ neceſſaria, ſiue in domibus ſuis, ſiue in congregatione uiuentes accipiant: quia ad ea accipienda non eos habendi cupiditas ducit, ſed cogit uiuendi neceſsitas.

Quid facere debeant clerici, quorum infirmitas non poteſt ſua contemnere.

CAP. XII.

Illi autem, qui tam infirmi ſunt, ut poſſeſsionibus ſuis renunciare non poſsint: ſi ea quæ accepturi erant diſpenſatori relinquãt, nihil habẽtibus conferenda, ſine peccato poſsident ſua. Qui & ipſi quodãmodo ſua relinquunt, quãdo proprijs contẽti rebus, nihil eorum, quæ labori, uel ordini ſuo deberi arbitrãtur, accipiunt. Quod ſi putant ideo accipi debere eorũ,

quæ

quæ conferuntur ecclesiæ,portionem, ne eam uideantur abijcere, se uerò C
non posse sua relinquere, quòd eis deforme sit inter suos pauperes reddi, nouerint esse deformius possessores de eleemosynis pauperum pasci.

Quæ sint uera gaudia, uel ueræ diuitiæ, & quid impedimenti afferant bona præsentia amatoribus futurorum.

CAP. XIII.

HEu quàm subtiliter nos ille decipiendi artifex fallit, quanta cæcitate oculos nostræ mentis obducit, ne discernamus gaudendi auidi, unde iustius gaudeamus: aut ne cupientes augeri diuitijs, nouerimus, quas quibus incõparabiliter præferamus. Nam gaudere quidem bonum est: sed qui gaudet, si non inde gaudeat unde debet, non potest bonum esse quod gaudet. Siquidem gaudet & raptor, quum desiderata rapuerit: gaudet & ebriosus, quum exoptatæ occasionẽ potationis inuenerit: gaudet & adulter, quum ad delectationem fruendi corporis concupiti peruenerit. Sed cùm sit gaudere bonũ, de his atq; huiusmodi gaudere grande est malum. Hæc & his similia sunt unde gaudere nos uult mundus, cum suis amatoribus periturus. Hæc sunt quæ repudiare debemus, ut de bona conscientia, de sanctitate morum, de acquisitione uirtutũ, de dono Dei, & de promissione futuri regni ineffabiliter gaudeamus. Ditari quoq; diuitijs grãde est bonum, sed inde ditari unde non debeas, non est habenda facultas, D
sed detestanda calamitas. Nihil enim calamitosius, nihilq; miserius eo, qui iniquis adquisitionibus crescit, quem locupletem fraudes faciunt, ac rapinæ. Illæ nobis sunt ambiendæ diuitiæ, quæ nos ornare possint pariter & munire: quas nec adquirere possumus inuiti, nec perdere: quæ nos contra hostiles impetus armant, à mundo disterminant, Deo commendant, ditant animas nostras atq; nobilitant, nobiscum sunt, intra nos sunt. Diuitiæ nostræ credendæ sunt pudicitia, quæ nos pudicos, iustitia quæ iustos, pietas quæ pios, humilitas quæ humiles, mansuetudo quæ mansuetos, innocentia quæ innocentes, puritas quæ puros, prudentia quæ prudentes, temperantia quæ temperantes, & charitas quæ nos facit Deo & hominibus charos, uirtutum potentes, seculi contemptores, ac bonorum omnium sectatores. Hæc sunt non omnium, sed sanctorum sanctæ uirtutes, non diuitum superborum, sed humilium pauperum facultates, patrimonium cordium, diuitiæ incorruptibiles morum, quibus non abundãt, nisi illi qui illis carnalibus ex corde renunciant. Quæ quamuis & ipsa sint bona, utpote à bono Deo creata: tamen quia sunt bonis malisq; cõmunia, student ea spirituales uiri contemnere, quò possint ad illa incomparabiliter meliora, quæ sunt bonorum omnium propria, peruenire: quoniã non est tale bonum quod habent & mali, quale illud est, quod non habent nisi boni. Corporale bonum quando habent iniqui, ipsorum est præmium: quando habent iusti, non est eorum præmium, sed temporale solatium.

Item

A Item boni temporalis amiſsio, fit exercitium iuſti, & iniuſti ſupplicium: quia & iuſtus deſiderio cœleſtium captus, omnia temporalia ſiue habeat, ſiue amittat, omnino non ſentit: & iniquus quod cum delectatione habet, ſine dolore non perdit. Propter hoc igitur eis, qui militant Deo, fugiẽdæ ſunt ex toto corde diuitiæ, quas qui habere uolunt, ſine labore non quærunt, ſine difficultate non inueniunt, ſine cura non ſeruant, ſine anxia delectatione non poſsident, ſine dolore nõ perdunt. Apoſtolus autẽ Chriſti militibus dicit, Volo uos ſine ſolicitudine eſſe. &, Radix omnium malorum eſt auaritia. Quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis, ac ſic cenſus iſte terrenus eis, à quibus uitioſè diligitur, non eſt uoluptatum materia, ſed dolorum. Quapropter expedit facultates eccleſiæ poſsideri, ut inde uiuant, qui non ſeculo, cuius gaudia fugitiua repudiant, ſed Deo ſeruiunt, cuius ineffabilia bona deſiderant. 1. Cor. 7. 1. Tim. 6.

Qualiter intelligatur quod dicit Apoſtolus, qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt.

CAP. XIIII.

DE talibus dicere uidetur Apoſtolus, Qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt: & qui altario deſeruiunt, cum altario participant. Qui niſi hoc de contemptoribus facultatum ſuarum uellet intelligi, nunquam ſecutus adiungeret, Ita & Deus ordinauit his, qui Euangelium adnunciant, de Euangelio uiuere. De Euangelio uiuunt, qui nihil habere proprium uolunt, qui nec habent, nec habere aliquid concupiſcunt, non ſuorũ, ſed cõmunium poſſeſſores. Quid aliud eſt de Euangelio uiuere, niſi laborantẽ inde ubi laborat neceſſaria uitæ percipere? Apoſtolus tamẽ qui ſic Euangelium prædicauit, ut nec de Euangelio uiueret, ſed neceſſaria ſibi ſuis manibus miniſtraret, de ſe confidenter eloquitur: Ego autẽ nullo horum uſus ſum. Et quare hoc dixerit, ſecutus aperuit, dicens: Expedit mihi magis mori, quàm ut gloriam meã quis euacuet. Euacuare dicit gloriam ſuam, ſi ab eis, quibus prædicabat, uoluiſſet accipere uitæ* corporalis expenſam. Nolebat quippe in præſenti laboris ſui fructũ, ſed in futuro recipere. Si ergo ille, qui nihil habebat, noluit de Euangelio ubi laborabat, ſed ſuis manibus uiuere, ne gloriam ſuæ mercedis amitteret: quid nos, qui & propria nolumus amore poſsidendi, non uiuendi neceſsitate, relinquere: & accipere inſuper uolumus, non unde uiuamus, ſed unde cenſum noſtrum incrementis damnabilibus augeamus? 1. Cor. 9. Ibidem. B Ibidem. Ibidem. *al. tẽporalis

De cupiditate, qualiter eis, quos ſemel inuaſerit, dominetur.

CAP. XV.

IVbet ecce nobis imperioſa cupiditas, ut diuina parui pendentes poſſeſſionum terreſtrium damnoſa compendia cogitemus: ut in eis totam ſolicitudinem curamq́ ponamus, ut inde nos morbida uanitate iactemus,

D utam

ut amplitudine patrimonij diffusioris elati, fieri pauperes spiritu negliga- C
mus. O' facinus inauditum: Suaui iugo Christi contempto, ferreum cupiditatis imperiũ uoluntaria mentium inclinatione suscipimus, & domini nostri leui onere, quod subiectos nõ onerat, sed subleuat, posthabito, plũbeum pondus nostris ceruicibus aggeramus, quod citius potest deponi, quàm ferri: quia & ipsa cupiditas, quæ nobis subijci ultro uolentibus hoc pondus imponit, contemni potest facilius, quàm expleri: & ideo qui se illi uolentes dediderint oppugnanti, uolũtatem resistendi ulterius non habebunt tyrãnicè dominanti. Et hoc fit iusto Dei iudicio, ut qui cupiditati resistere noluimus ingressuræ, iam resistere nequeamus ingressæ. O' plãgẽdum miserabiliter mẽtis expugnatæ seruitiũ. O' *intolerandũ dæmonicæ cupiditatis imperiũ, ut ex hostibus suis, quos potest uincere, uictores faciat suos, promittit ingentia, & bonorũ temporalium pollicitatione deceptos impellit iam miseros, & miserandos in turpia. Tenet nos lucrorum pœnaliter dulcium catenis addictos, & in sua ditione captiuos: nec trahit inuitos, sed quod est deterius, quoscunq; uoluerit, uolentes ducit. Vastat *in nobis quicquid uerecũdiæ, aut pudoris inuenerit: & quos suis triumphis addixit, adhuc tanquam resipiscendi suspectos omnibus uiribus honestatis exarmat, ne quãdo cõtra eam, qui bellare noluimus, rebellemus. Rapit nos ac passim per omnia adquisitionum genera cupidos adquirẽdi dispergit. Non permittit animum liberum, nõ stabile corpus *uagãte animo mobiliter, aut quietum, & uelut quædam cadauera in pastũ feris auibus bestijsq; proiecta, captiuos suos immundis spiritibus tradit, nõ lacerandos, sed auidissimis mortiferorum criminum faucibus deuorandos: nec tamen ut esse iam desinant, sed ut pœnaliter uiuant. Denique in uiuis corporibus adhuc portãt funera sua: sed idem uiui simul & mortui. Hinc est, quòd peccato uiuentes quantum nos congestarum opum oblectet accessio, ipsa fruendi carnalibus delectatione sentimus: & quantam uirtutum sustineamus inopiam, uelut mortui uirtutibus ignoramus. D

*al's: execrãdum

*al's: iam

*al's: uacante

Quòd Deum perfectius illi possideant, qui terrenis possessionibus ex corde renuntiant.

CAP. XVI.

HAec sunt propter quæ non explendis uoluptatibus ac fouendis, sed congregandis fratribus, aut alendis expedit facultates ecclesiæ possidere, ut uno solicitudines omnium in sua societate uiuentium sustinente, omnes, qui sub eo sunt, fructuosa uacatione potiãtur spiritualiter & quiete. Ideo interposui istud aduerbiũ, quoniam qui ociosa quiete perfruitur, nisi spiritualiter uixerit, more pecudum uiuit. Et ideo is, quem nulla corporeæ necessitatis cura solicitat, nulla occupatio domesticæ solicitudinis inquietat, nullus litigator infestat, nullus calũniosus exagitat, quid aliud curare debet harum molestiarum, & his similiũ liber, nisi unde ad meliora proficiat, unde uitia sua profectibus cotidianis imminuat, uirtutes augeat

A geat,& pro carnalibus,quæ contempsit,spiritualia bona possideat:in his se diuinitus adiutus exerceat:ea semper amplectatur,ac diligat:& non solùm omnibus alijs delectationibus suis,sed etiã ipsis suæ carnis cruciatibus anteponat:ut qui nihil sibi reliquit,quod formidaret amittere:ea,pro quibus omnia,quæ habebat,abiecit,tanta firmitate fidei retineat, ut si necesse fuerit,pro eis libenter suum corpus impendat. Proinde quem possidendi delectat ambitio,Deum,qui possidet omnia,quæ creauit,expedita mente possideat,& in eo habebit,quæcunqꝫ habere sanctè desiderat. Sed quoniã nemo possidet Deum,nisi qui possidetur à Deo, fit ipse primitus Dei possessio,& efficietur ei Deus possessor & portio. Et quid potest eo esse felicius,cui efficitur suus conditor census,& hæreditas eius dignatur esse ipsa diuinitas:si modò eum sanctis operibus colat, omnes fructus ex illo percipiat:in illo,& de illo iugiter uiuat:& nihil terrenũ cum illo possideat. Quia omniũ cõditor,cui nihil eorũ quæ fecit ualet æquari,non dignatur cum his quæ condidit possideri. Denique quid ultrà quærit, cui omnia suus cõditor fit:aut quid ei sufficit,cui ipse nõ sufficit. Hunc possidebat,& ab illo possidebatur ille,qui dicebat in spiritu: Portio mea domi- *Psal. 118.*
nus,dixi custodire legem tuã.Et: Dominus pars hæreditatis meæ, & cali- *Psal. 15.*
cis mei.Sed & ipse cum dicit: Filijs Leui non dabitis partem inter fratres *Num. 18.*
suos:ego dominus portio eorum:satis ostendit,quòd hi,qui terrenæ hæ- *Deute. 18.*
reditatis cõtempserint portionem, Deum spiritualiter mercantur possi-
B dere:cuius ditati muneribus,omnia quæ præclara habentur in hoc mundo,fastidiunt:& ipsum possidere,uel ab ipso possideri,eo solo perfrui,atque illi adhærere inseparabiliter cõcupiscunt. Vnde datur intelligi,quòd qui temporalia bona,qui seculi gaudia peritura sectatur,ac diligit,quę & quãta sit multitudo supernæ dulcedinis, nõ didicit. Quis enim cui Deus dignatur esse possessio,aliquid aliud quærit: aut quis nõ pro amore illius omnia quæ putantur magna,contẽnit? Ergo qui uult Deum possidere, renũtiet mundo,ut sit illi Deus beata possessio. Nec renuntiat mundo is, quẽ terrenæ possessionis adhuc delectat ambitio:quia quãdiu sua non relinquit:mundo,cuius bona retinet,seruit:& uticꝫ nõ potest mundo seruire simul,& Deo:ac sic propter ea uoluit Deus cultores suos omnibus renuntiare,propter quæ diligitur mundus, ut exclusa cupiditate mũdi, diuina in eis charitas possit augeri,uel perfici. Et ideo decimas atque primi-
tias frugũ,primogenita & sacrificia pro peccato, uel uota quæ sibi Deus *Ibidem.*
iussit offerri,sacerdotibus ac ministris distribui debere cõstituit: ut deuotissimo populo uitæ necessaria ministrãte, ipsi creatori ac pastori suo libe ris mẽtibus ministrarẽt,atqꝫ in eius cultu sine ulla solicitudine corporali proficerẽt,ne terrenis occupationibus implicati officio suo dignas excubias strenuè curare nõ possent. Nunc autẽ quòd Christiani tẽporis sacerdotes magis sustinẽt,quàm curãt possessiones ecclesiæ, etiam in hoc Deo seruiũt:quia si Dei sunt ea quæ cõferũtur ecclesiæ, Dei opus agit, qui res Deo cõsecratas nõ alicuius cupiditatis,sed fidelissimæ dispẽsationis intẽ-

tione non deserit. Quapropter possessiones, quas oblatas à populo suscipiunt sacerdotes, non sunt inter res mundi deputari credendæ, sed Dei: C quoniam si uestes, ac uasa, & cætera, quæ in sacris usui ministrātibus erāt, sancta uocabantur: nec in usus humanos reuocari iam poterant, diuinis semel ministerijs consecrata: quomodo non ea, quæ conferūtur ecclesiæ, sacra credenda sunt, quibus non ut seculi rebus luxuriosè, sed sanctè, ut Deo consecratis, utuntur ad necessaria sacerdotes: ut illis omnibus, qui se perfectionis amore sub uno constituunt, & sua sibi non uendicant, ecclesiæ facultates ad hoc ipsum collectæ sufficiant: ut quicquid omnibus occupationibus absoluti proficiunt, fructus illius, qui unus pro multis occupatus est, fiat: atque ita ille, qui solicitudines omnium sub se * seruientium portat, in congregatione sua proficiente proficiat: ut sicut illius occupatio omnium suorum facta est fructuosa uacatio, ita omnium discipulorum perfectio gloriosa magistri honor habeatur, & gloria.

*als: uiuentium

Quòd nihil proficiant, qui abstinentes à cibis, uitijs seruiunt: nec prosit facultates abijcere, qui suas faciunt uoluntates.

CAP. XVII.

ITem quæsistis, quæ sit abstinentiæ credēda perfectio: & utrum tantum corpori, an & animæ debeant necessaria ministrare. Si hominem totum uirtus hæc, quæ abstinentia nominatur, perfecta sanctificat, nō solùm corpori, sed & animæ necessaria est: quia omnis homo ex corpore constat & D anima. Sed in eis, qui diuersis uitijs subiacentes, aliquid sibi eorum, quæ usui nostro * necessaria sunt, interdicunt: abstinentia quidem, sed carnalis & imperfecta esse debet intelligi. Ea autem spiritualis atque perfecta est censenda, quæ abstinentem tam illecebris carnalium uoluptatum, quàm à peccatis omnibus facit alienum: cuius nec animum desideriorum morbi corrumpunt, nec imperio gulæ dominantis quæsitæ delitiæ uires corporis frangunt. Proinde ille abstinens uerè credendus est, qui uitiorū omniū liber effectus est: ac recisis * corporalibus uoluptatibus elaborat, non ut cōcupiscentiam suæ carnis exatiet, sed ut mortalem uitam necessariorum perceptione sustentet. Quoniā quidem quicquid sine quo potest uiui percipitur, non sustentandæ uitæ, sed fouendæ luxuriæ carnis impenditur. Hæc itaque uirtus, quæ abstinentia, non solùm delicatorum ciborum, sed etiam malorum omnium nuncupatur, cùm omnibus omnino necessaria sit, tum maximè illis familiarior, atq; cōiunctior esse credenda est, quibus iuxta illud, quod in Actibus apostolorum legitur factum, unum cor est, & anima una diuinæ charitatis igne conflata, & quibus sub unius ordinatione uiuentibus, omnia omnium communia fiunt: si tamen ita eis una sit uita, sicut sit una substātia: & nulla sit in eis diuersitas animorum, quibus est communio facultatum: quia ut fieret & esset animorū sancta cōiūctio, necessaria est facultatū iudicata cōmunio. Cæterū quid eis prodest, quòd facultates suas abijciūt, qui uolūtates proprias nō relinquūt, cùm sit lōgè præstan

*als: cōcessa

*als: corporeis

Actu. 4.

A præſtantius, uolũtatibus proprijs abrenũtiare, quàm rebus? Res ſuas etiã mundi quiuis philoſophi abijcere potuerũt, & nũc quilibet hæretici poſſunt. Sed nec illi, cùm ſuæ* uoluptatis fuerint amatores, ſecundum uolũtatem Dei uixerũt: & iſti dominicæ uoluntati ſuæ uolũtatis ſtudio cõtradicunt. Non ergo res ea nos Deo cõmendat, quam & inimici Dei faciunt: ſed illud, quod nõ niſi ueræ Chriſtiani, & per hoc amatores Dei perficiũt. Hi ſunt, qui uoluntatibus ſuis & rebus proiectis ſuo ſe creatori ex toto corde ſubijciunt, ac ſuum uelle ex eius uoluntate ſuſpendũt: & ideo quicquid eis ſenſus carnis ſequendum faciendumq; ſuggerit, iuſtitiæ capti delectatione contemnunt. *al: uoluntatis fierent

Quanta bona primus homo abſtinentiæ bonum negligendo perdiderit.

CAP. XVIII.

QVòd ſi primus homo uoluiſſet ſe in illa Paradiſi beatitudine cuſtodire, ut à fructu unius interdictæ arboris ieiunaſſet, nec ſtatũ illum tantæ felicitatis amitteret, nec eum uoluntaria ſalutaris præcepti trãſgreſſio neceſsitati corruptionis ac mortalitatis addiceret: ut tanta beneficia Dei ſui, quæ in natura ſuæ conditionis acceperat, aut corrumperet peccato corruptus, aut perderet. Quis enim ſufficiẽter enumeret, quæ & quãta bona illi abſtinentiæ contemptus ademerit? quòd intellectualis mẽtis di-
B gnitate donatus, imaginem ſui creatoris accepit: quòd ſoli Deo ſuo ſubiectus, omnia uiſibilia ſibi ſubiecta conſpexit: quòd ei ad uiuendi uſus affatim lignorum omnium, quæ erant in Paradiſo, feracitas diuina iuſsione ſeruiuit: quòd arbor uitæ myſticum eibum non unde uiueret, ſed unde uitam corporis non finiret ſui creatoris munere miniſtrauit, qui cibus quãdiu perciperetur, ita percipientem ſe in uno ſtatu ſacramenti cuiuſdã latẽtis figurata ſignificatione ſeruaret, ut eum nec ulla infirmitate corrũpi, nec ætate mutari & ſeneſcere, nec diſſolui morte permitteret. Nõ inquietabat moleſta ſolicitudo quietũ: nõ fatigabat labor anxius ocioſum: nõ ſomnus opprimebat inuitũ: nõ amittẽdæ uitæ timor angebat de immortalitate ſecurũ. Habebat facilẽ uictũ corpus ex omni parte ſanũ, trãquillũ motũ, cor mũdum, ignarus pœnalis mali, habitator Paradiſi, expers peccati, capax Dei. Poſtremò quid eo felicius fuit, cui erat orbis ſubiectus, nullus infeſtus, liber animus, & uiſibilis Deus? Quoniã quidẽ niſi ante peccatũ Deũ uidere in aſſumptione uiſibilis creaturę ſoleret, quomodo ſe iam peccator effectus, à facie domini, quẽ nnuquã uiderat, abſcõderet? Potuit ergo ita uidere Deum priuſquã peccaret Adã, ſicut eum patriarchæ uiderunt. Sed quãdo ait: Vocem tuã audiui & timui: ex illa iam uidẽdi Deum ſanctitate ceciderat, iam ſe indignũ uidẽdi Deum reddiderat. Vocẽ tuã, inquit, audiui, & timui, eò quod nudus eſſem, & abſcõdi me. O' quantũ ſecuritatis habent, qui ſibi bene ſunt cõſcij: & quãtum perturbatos humiliat perpetratio pudenda peccati: ſicut iſti qui ſe abſcõderunt à facie domini, de ſua Geneſ. 3.

turpitudine, non de nuditate confusi: qui non ideo erubescebant, quia ueste erant extrinsecus nudi, sed quia intrinsecus protectione diuina nudati. Denique & ante peccatum nudi erant, & non erubescebant: quia nihil contra uoluntatem Dei, unde confunderentur admiserant. C

De peccato primi hominis, & de malis quæ illum peccantem Deo iudicante secuta sunt.

CAP. XIX.

SEd iam uideamus, si placet, qualiter illi homines primi cōmiserint tam grande peccatum, quod & ipsos de Paradiso proiecit in hoc uitæ pœnalis exilium, & in eis originaliter totum dānauit genus humanū. Et mihi quidem uidetur, quòd nō ederēt de ligno prohibito, nisi cōcupissent: nec cōcupisset, nisi tētati: nec tentarētur, nisi deserti: nec desererētur à Deo, nisi ipsi prius desererent Deum: nec desererēt Deum, nisi superbirēt, & similitudinē Dei * miserabiliter appetissent: ad quā peruēturi essent sine corporis morte, si sub Deo suo uiuentes, præceptum quod acceperant custodissent: ut qui posse mori acceperant in natura, non posse mori consequerentur in gloria: & ibi accepturi essent præmium non posse peccare, si hic eorum meritum fuisset peccare noluisse. Non igitur à creatore suo in creaturam diuinitatis affectatione collapsos moueret aperta concupiscentia, nisi eos antè corrupisset occulta superbia: nec eis per serpentem diabolus propinaret tam ferale consilium, nisi prius eorum deprehenderet appetitum. Si, inquit, gustaueritis de ligno scientiæ boni & mali, aperientur oculi uestri, & eritis sicut Dij, sciētes bonum & malum. Hæc sunt illa tria, quæ in mundo esse, & diligi non debere à dilectoribus Dei, contestatur Ioannes apostolus dicens: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi, quæ non est ex patre, sed ex mundo est. Quæ nisi illi, qui à dilectione Dei iam defecerant, diligere* cœpissent, nunquàm malè suasi serpentis consilio credidissent. Itaque concupiscentia carnis ab eis impleta est, quòd de ligno uetito gustauerunt: concupiscentia oculorum, quòd sibi aperiri oculos cupierunt: & ambitio seculi, quòd se fieri posse, quod Deus est, crediderunt. Proinde delectatione carnis, & oculorum curiositate, ac seculi ambitione corrupti, à ligno uitæ, ex quo eis arcēdæ mortis, ac salutis cōtinuādæ gratia præstabatur, abscisi sunt: & morbidam qualitatem eorum corpora contraxerunt, ut iuxta sententiam Dei eo die credantur mortui, quo in eis pœnaliter facta est necessitas moriendi, & per lignum illud, quod scientiæ boni & mali ex causa nomen accepit, à quo se abstinere cum possent miseri neglexerunt, quid interesset inter bonum, quod amiserant, & malum, quod incurrerant, ipsa pœna sua decernerent: qui si amisso tanto bono nullum malum incurrerent, quale perdidissent bonum, fortè nescirent. Dulcior enim fit salus, cùm dolor excruciat: & sanitatis amissæ dulcedinem, languoris amaritudo

*al's: damnabiliter

Gene. 3. D

1. Ioan. 2.

*al's: concupiscerent

Gene. 2.

A tudo commendat: ac sic ad hoc illi malum non discendo, sed experiendo sentire cœperunt: quod melius ignorarēt, ut ex ipsa miseria sua sentirent, quantā beatitudinē perdidissent: atq; ita quos nō mouerat fortassis boni naturalis amissio, moueret saltē mali pœnalis iusta perpessio. Hęc per excessum necessariū dicta sunt nobis de primis hominibus, ut qui nolūt damnationis eorum subire supplicium, caueant prolapsionis exemplum.

Quòd omnia bona quæ in Adam corrupti perdidimus, in Christo reparati recipiemus.

CAP XX.

QVamuis enim ex Adam simus carnaliter nati, non ipsum tamen debemus imitari, sed Christum, in quo renati sumus, & uiuimus, quando ueterem conuersationē salubriter innouati deponimus. Quid est imitari Adam, nisi pro carnalibus desiderijs ac cōcupiscentijs morte mulctari? Et quid est imitari Christum, nisi carnalibus concupiscentijs ac desiderijs crucifigi? Sicut aliud non est ueterem conuersationē deponere, quàm non secundū carnem, quæ ueterascit, & moritur, sed secundum Deum uiuere, qui solus potest perseuerantes in se innouare perenniter, & beare. Quapropter sicut quando in Adam fuimus omnes, ipso cadente* occidimus: ita quia in Christo iam esse cœpimus, qui pro nobis omnibus dignatus est mori, ut nos peccatis nostris illi cōmortui, cum illo spiritualiter re- *al's: cecidimus

B surgamus: in illo omnia bona quæ potuimus habere perdidimus, in hoc etiam maiora, & sine fine habēda recepturi sumus, si perseuerāter eius uestigia teneamus. Adam nos* sub noxa habuit malis omnibus per propriā culpam, à quibus nos liberauit aduentus Christi per gratiā. Ille in nos culpam suam transmisit, & pœnam: hic qui culpam nostrā suscipere, utpote conceptus & natus sine peccato, non potuit, de susceptione pœnæ nostræ culpam nostram simul abolere potuit, & pœnam: & ut totum dicā, Adam nobis eripuit Paradisum, Christus donauit cœlum. *al's: subnoxauit: uel, subuocauit

Qualiter uiuere debeant, qui Christum imitari desiderant.

CAP. XXI.

ET ideo si in Deo esse uolumus, quod esse debemus, sicut Ioannes apostolus dicit, quomodo ille ambulauit, & nos spiritualiter ambulemus. Quid est ambulare sicut ille ambulauit, nisi contemnere omnia prospera, quæ cōtempsit, non timere aduersa quæ pertulit, libēter facere quæ fecit, fieri docere quę* docuit, sperare quæ promisit, & sequi quò ipse præcessit, præstare beneficia etiā ingratis, non retribuere secundū merita sua maleuolis, & orare pro inimicis, amare bonos, misereri peruersis, inuitare aduersos, suscipere in charitate conuersos, & æquanimiter pati subdolos ac superbos? Ad hoc etiam pertinet, quod ait sanctus Paulus apostolus: Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in 1. Ioan. 2. *al's: mandauit Coloss. 1.

dextera Dei ſedens. Illi reſurgunt cum Chriſto, qui moriuntur ſicut ille C peccato, ea tamen diſtinctione ſeruata, quòd ille mortuus eſt peccato, non ſuo, ſed noſtro. Vnuſquiſq; autem noſtrum, non omniū moritur peccato, ſed ſuo. Quid eſt peccato mori, niſi damnandis operibus omnino non uiuere, nihil concupiſcere carnaliter, nihil ambire? Vt ſicut qui mortuus eſt carne, nulli iam detrahit, nullum aduerſatur aut deſpicit, nullius pudicitiā callida circumuentione corrumpit, nemini uiolentus exiſtit, neminem calumniatur aut opprimit, non inuidet bonis, aut inſultat afflictis, non luxuriæ carnis inſeruit, non uinolentiæ deditus, in ſe bibendi ſitim bibēdo magis ac magis accendit, non odiorū facibus inardeſcit, non compendia iniuſta ſectatur, non potentibus aut diuitibus adulatur, non inquieta curioſitate raptatur, non domeſticæ ſolicitudinis cura diſtenditur, non officioſis occurrentium ſalutationibus delectatur, nec ſuperborum iniurijs fatigatur, non eum ſuperbia inflat, non ambitio uentoſa præcipitat, non uana gloria turpiter iactat, non deſiderium glorioſæ opinionis inflammat,

*als: diſtinctio

non * diſtentio alieni actus illaqueat, non ad ſocietatem turpium turpitudinis amor inuitat, non rabies inſani furoris exagitat, non ſumptuoſarū delitiarum ſtudium mactat, non ardor animoſæ contentionis exanimat, non facit impudentem audacia, iniquum iniuſtitia, ferum inclementia, uarium inconſtantia, pertinacem contumacia, inſanum ueſania, delitioſum gula, rebellem inobedientia, uanum iactantia, infidelem perfidia, leuem facilitas, ſæuum crudelitas, * manducatorem turpis edacitas, impatientem D mobilitas, mobilem inſtabilitas, uagum ſpiritualis infirmitas, iracundum animoſitas, ſuſpitioſum peruerſitas, uerboſum uanitas, iniurioſum malignitas: qui remotus eſt prorſus à ſecularibus illecebris, remotus ab inimicitijs, remotus ab inſidijs alienis, remotus à rapinis uel occultioribus uel apertis, remotus à mendacijs ſiue periurijs, poſtremò remotus ab omni genere flagitiorum atque facinorum, quibus carnaliter uiuentes Deum offendunt: & mortui peccato non ſeruiunt. Sicut inquam carne mortuus nec facere poteſt iſta quæ dixi, nec pati: ita & his, & talibus uitijs omnino non uiuunt, qui uiuentes Deo carnem ſuam cum uitijs & concupiſcentijs crucifigunt.

*als: manduconē turpem edacitas

Quali temperantia uti debeant, qui à uoluptate delectabilium, uel ab immoderata perceptione ciborum communium, atque à uini immoderato uſu cupiunt abſtinere.

CAP. XXII.

MEmbra ſua, quæ ſunt ſuper terram, mortificant, quando inſolens corpus ieiuniorum continuatione caſtigant: quando intra neceſſarium modum ſuum temperant appetitum: quando non ſolùm ſe à delicatioribus cibis moderata diſtrictione ſuſpendunt, ſed etiam in ipſis communibus nihil carni ſuæ pro deſiderio, ſed pro ſuſtentandæ uitæ neceſſitate permittunt: certi quòd nec delitiæ quælibet, ſi abſque deſiderio percipiantur,

A percipiantur, officiunt: & uiles cibi plerunque abstinentiæ profectum, si appetenter accipiantur, impediunt. Hinc est quòd sanctus Dauid aquæ in se concupiscentiam castigauit, atque eam sibi à suis oblatam, ne desiderio suo ex ea satisfacere uideretur, effudit: & sancto Heliæ perceptio carnium non concupita non nocuit. Vnde datur intelligi, quòd ueraciter abstinentes escarum non naturas, sed concupiscẽtias damnẽt, ac* uoluptates suas desiderati cibi, uel potus abusione mortificẽt. Qui autem non solùm à qualitate, sed etiam à quantitate ciborũ cupiunt abstinere, nihil aliud student, nisi ut quantum stomacho reficiendo ac fami eximendæ satis esse uidetur indulgeant: nec expleant suos appetitus auiditate percipiẽdi, sed comprimant: atque eis saturitas edendi finem non faciat, sed uoluntas: qui tam à cupiditate pretiosorum ciborũ animos, quàm à nimia perceptione uilium continebũt: qui cibis nec lautioribus uolunt carne luxuriante dissolui, nec distentione uentris onerari, quando abstinentes uiri nec delitiosi soleãt esse, nec auidi. Iam de uino abstinendo, uel percipiẽdo quid dicam? Vnde sanctus Apostolus certam fixit regulã, dicens: Nolite inebriari uino, in quo est luxuria. Quasi diceret: Luxuriam facit, & nutrit uini perceptio nimia, non natura: & propterea non uti uos uino, sed inebriari prohibeo: quandoquidem infirmum stomachum moderatus usus uini cõfortat, ebrietas animum corpusque debilitat. Denique Timotheo suo discipulo, qui se longa abstinentiæ districtione iam fregerat, & stomachũ suum aquæ perceptione corruperat, modico uino uti debere præcipit, dicens: Noli adhuc aquã bibere, sed modico uino utere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Ac per hoc nihil contra abstinentiã faciunt, qui uinum non pro ebrietate, sed tantum pro corporis salute percipiunt: nec hoc eis offert uoluntas, sed permittit infirmitas. Quæ si defuerit, à uino est abstinendum, ne uini perceptio quæ infirmũ sustentat, sanum corpus incẽdat: quandoquidẽ uino uti, & usui habere oleum, nullus dixerit esse peccatũ. Sed hæc ideo non debemus carni desideranti præstare, ne cùm illi licita concedere cœperimus, poscat illicita: & sibi obsequentes in minimis, in flagitia punienda compellat: ac naturali ordine perturbato, non spiritui corpus, sed spiritus corpori dominanti deseruiat. Huc accedit, quòd & ipsam mentem abstinentiæ fructus alacrem facit: carnem quoque non usque ad lassitudinem fatigatam, sed spiritui ordinanti subiectam mobilem reddit. Sensus etiam quos dicuntur crassos efficere, uel grauare congestæ delitiæ, consuetudo parcitatis exonerat, & uelut quadam politura religiosæ exercitationis attenuat.

[Margin: 2.Reg.23. 1.Paralip.11. 3.Reg.17. *alij: uoluntates; Ephes.5.; B; Timoth.5.]

Quòd utentes carnibus concupiscentia carnium polluat, non natura.

CAP. XXIII.

CAeterùm si à quadrupedibus abstinentes, phasianis altilibus, uel alijs auibus pretiosis, aut piscibus perfruãtur, non mihi uidentur resecare delect

delectationes sui corporis, sed mutare: nec pro abstinentia, sed uelut pro C nescio qua immundicia, uel certè, quod uerius est, pro stomachi nauseātis teneritudine delicatas illas cōmunes ac uiles carnes abijcere, quò possint alijs non solùm carnibus, sed etiam delicatioribus, ac pretiosioribus carnibus suas uoluptates explere: cùm, sicut iam suprà patuit, non aliquarū carnium, quæ usui humano concessæ sunt, nobis naturæ damnandæ sint, quas Deus instituit: sed carnales concupiscētiæ fugiendæ, quas sensui carnis diabolus introduxit. Illi autem qui parciores uideri uolunt, & gloriā sibi uelut de abstinentia districtiore conquirunt, sic ab omnibus animalibus iudicant temperandū, ut peregrinis pomis, ac sorbitiūculis delicatis, cæterisq́ alijs immanem sui corporis impleant appetitum: cùm spiritualis abstinentia non aliquorū ciborum usum, sed desiderium suadeat compescendū. Et illi magis parsimoniæ seruire censendi sunt, qui sibi non aliquarum rerum perceptiones, sed delectationes corporis interdicunt. Illi quoq;, qui negata sibi uini perceptione, diuersorū poculorum potionibus inundantur, nequaquam mihi abstinentiā uidentur implere: quia ad hoc fortasis à uino se suspendunt, ut mercentur ab hominibus laudem: & interdicti sibi uini perceptionem compensant suauioribus poculis uoluptatum. In uini enim usu non à uino tantùm, sed ab omnibus quæ accipiētes inebriant, uel ab alijs quæ etsi non ebrietatem, suauitatem certè conceptā conciliant, abstinebit, ut sit ueritate abstinentiæ perfectè consummatus: non eius imagine, foris splendidus, intus cauus: hominibus uelut purus, D & Deo simulatæ uirtutis sordibus plenus. Nec minus à cupiditate possidendi superflua, quàm à uoluptate percipiēdi nobis est abstinendū: quoniam cùm omnia quæ habemus, pro nostris usibus habeamus, ea quibus uti nobis cōceditur, ardēter habere uelle, uel etiam lucris hinc inde quæsitis augere, nihil est aliud, quàm non tolerandæ necessitati, sed intolerādæ cupiditati seruire: nec possum dicere, ut sit unde pauperibus cotidie erogetur, mea possideo, quando nemo perfectius erogauerit eo, qui nihil sibi perfectionis intentione relinquit ex proprio.

Quàm utile sit, ieiunio, uel abstinentiæ aduenientium charitatem plerunque præferre.

CAP. XXIIII.

VEruntamen sic abstinere, uel ieiunare debemus, ut non nos ieiunādi, uel abstinēdi necessitati subdamus: ne iam non deuoti, sed inuiti rem uoluntariam faciamus. Si enim quoslibet aduenientes ieiunio intermisso reficio, non soluo ieiunium, sed impleo charitatis officium. Cæterum si propter abstinentiam spirituales fratres, quos noui mea remissione delectari, contristo: abstinentia mea non est uirtus dicenda, sed uitium: quoniam quidem ipsa abstinentiæ ac ieiuniorum continuatio, nisi fuerit, quando res exigit, prætermissa, & me inflat, & fratrem meum, cui charitas iubet seruire, contristat: uel certè mihi nihil inesse charitatis fraternæ

A fraternæ demonstrat, cùm sine abstinentia quemlibet hominem catholicum charitas sola perficiat: & omnes abstinentia aut perdat sine adiunctione charitatis, aut pereat. Quia ergo abstinere aut ieiunare etiam Manichæi, uel quilibet alij hæretici possunt: utpote, qui omnes carnes non pro abstinentia, sed pro immundicia detestantes, corpora sua panis & aquæ perceptione afficiunt: non pro magno ducamus, quando ab his, quæ illi quoque reijciunt, abstinemus: sed quando abstinentiam nostram fides commendat, charitasq; consummat: quas uirtutes illi non habentes occidere se possunt, ædificari autem, aut perfici taliter abstinēdo, non possunt. Ipsis uerò catholicis Christianis, qui siue non ualendo abstinere, siue nolendo omnia usui nostro concessa cum gratiarum actione percipiunt, non nos propter abstinentiā præferamus: ne fortè plus humilitatis, aliarumq; uirtutum habeant illi, unde nobis iure abstinentibus præferantur. Quocirca si uolumus nobis abstinentiam nostram, ieiuniaq; nostra proficere, à superbia in primis, quæ aut expellit omnes uirtutes, aut minuit, & iactantia cunctis inimica uirtutibus, atq; ab omnibus uitijs omnino discedamus, ut prosit nobis, quòd à cibis delicatioribus abstineamus: quia tunc nobis proderit, quòd corpora nostra, uel certè corporum incentiua rigore districtioris abstinētiæ castigamus, si carnalibus desiderijs absoluti, sanctis uirtutibus floreamus.

B Sed iam finem liber accipiat, ut de uirtutibus ac uitijs, unde hic pauca tetigimus, latius ac plenius in tertio uolumine donante Deo disputemus.

FINIS LIBRI SECVNDI.

Præfatio libri Tertii.

De vita contemplatiua, & quantum ab ea differat actualis: uel qualiter posſitis ipſius contemplatiuæ uirtutis fieri adiuuante Deo participes, in primo uolumine abſolui. De actuali quoque uita, ubi quæ eſſet religioſæ increpationis utilitas, ac patientiæ uirtus oſtenſa eſt: & qualiter tractandæ eſſent eccleſiæ facultates, uel de dono ſpiritualis abſtinentiæ, quæ dicenda uiſa ſunt, Deo donante, in ſecundo libro diſſerui. Nunc ſupereſt, ut diſputationem de uitijs, atq; uirtutibus, non ingenio fretus, cuius mihi conſcius non ſum, ſed orantibus uobis adiuuandus incipiam.

CAPITA LIBRI TERTII.

CAP.

D. PROSPERI AQVITANICI DE VITA CONTEMPLATIVA LIBER TERTIVS. C

Quantum à ueris uirtutibus uirtutum similitudines distent.

CAP. I.

QVAESISTIS quantum à ueris uirtutibus uirtutum similitudines distent. Non dico, quantum à medicamento uenenum: quia medicamentum ita corpus aliquoties sanat, ut id defendere à mortis necessitate non ualeat. Et uenenum nō auferri facit uitam corpori, quasi auferenda non esset, nisi fuisset acceptum: sed accelerat corporis mortem, quod erat aliquantò diutius fortè uicturum. Sed planè dico à ueris uirtutibus tantum similitudines di- D
stare uirtutum, quantum distat à ueritate mendacium: quia & similitudo uirtutis, quæ uidetur uirtus esse, cùm uirtus non sit, nihil est aliud, quàm mendaciū: & ideo nō est uirtus dicēda, sed uitiū. Et uera uirtus est ueritas, cui qui amāter adhæserit, à peccati morte resuscitatus, mori ultrà non poterit: nisi cùm ab ea deprauata uolūtate recesserit. Sicut ecōtrario uirtutis simulatio, quæ est, ut dixi, mendaciū, ueritati contrarium, animā separat à Deo, uita sua: nō interiturā, sed in supplicio, quę est illius mors, pœnaliter
Sapien. 1. sine fine uicturā, scriptura dicēte: Os quod mētitur occidit animā. Ac per hoc sicut uirtus animā, sibi ueraciter inhærentē, si fuerit uera, iustificat: ita simulata cōdemnat. Et quid iustificatio animæ, nisi eius est uita perpetuè beata, ac beatè perpetua? Sicut condēnatio animæ pœna eius est sentiēda, quæ mors probatur & ipsa perpetua. Itaque dupliciter rea est anima, si & bonū nō faciat, unde spiritualiter uiuat: & appetat similitudinē boni, sub qua malè uiuat, & lateat. Superbus uult se credi constantē, prodigus liberalē, auarus diligentē, temerarius fortē, inhumanus parcū, gulosus humanum, ignauus quietū, timidus cautū. Impudētia fiduciæ sibi nomē adscri-
*al's: obtēdit bit, procacitas appellationē libertatis * ostēdit, eloquentiā fingit uerbositas, & curiositatis malum sub studij spiritualis colore delitescit. Hæc etsi possunt humano ingenio discerni, tamē sine dono Dei, quantū mihi uidetur, nec uirtutes possunt appeti, uel haberi, nec earum similitudines, quæ sunt uitia, uirtutes imitantia, declinari in tantum, ut infidelibus nihil pro-

fuisse

A fuisse credamus, etiam si sunt aliquas per corpus operati uirtutes: quod eas nec à Deo suo se accepisse crediderũt, nec ad eum, qui est finis omnium bonorum, referre uoluerũt. Et quid dico? Nihil eis profuerũt: imò etiam nocuerunt, dicente Apostolo: Omne quod non est ex fide, peccatum est. Rom. 14. Non dixit, Omne quod non est ex fide, nihil est: sed dicẽdo, Omne, quod nõ est ex fide, peccatũ est: declarauit, quòd omnia bona aut ex fide gesta, uirtutes sunt, quæ profectò iustificant: aut si fuerint sine fide, non sunt aliqua bona credenda, sed uitia, quæ nõ iuuant suos operarios, sed cõdẽnãt, inflatosq́ præcipitant, atq; à finibus æternæ salutis eliminant. Sed quid ego hæc de infidelibus, unde nullus ambigere uidetur, exaggero? cum sanctus Apostolus etiã fideles quosdam, qui credentes in Deum, non secundum Deum, sed secundũ hominem uiuũt, carnales nominet, dicẽs: Et ego 1. Cor. 3. fratres cùm uenissem ad uos, nõ uobis potui loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: nondũ enim poteratis: sed nec adhuc quidẽ potestis: adhuc enim estis carnales. Et tanquã quæreremus, quid carnales uelit intelligi, secutus adiunxit: Cùm enim sit inter uos zelus & cõtẽtio, non'ne carnales estis, & secundũ hominẽ ambulatis? Ibidem. Quid potest his duabus animi pestibus inueniri deterius zelo & cõtentione, quibus carnales, qui secũdũ hominẽ uiuunt, etiã in hac uita torquẽtur: cùm & cõtentio hæreticos reddat, & zelus imitatores diaboli Paradisum primis hominibus inuidentis efficiat? Ac sic quãdo fideles iustitia, pietate, misericordia, mansuetudine,

B humilitate, innocẽtia, cæterisq́ uirtutibus gaudent, aut secundum Deum uiuunt, quæ spiritualiter uiuentes adeptæ sanctificãt, & Deo cõmendant: aut secundũ hominẽ uiuunt, & nõ sunt ueræ uirtutes, sed uirtutũ similitudines, quæ nihil carnaliter uiuẽtibus prosunt. Quapropter qui religiosè, qui continẽter, qui sobriè, qui misericorditer uiuit, si Deo, cuius munere ut bene uiuat, adiuuatur, adscribit, secundum Deum spiritualiter uiuit. Si uerò omnia quę bene facit, suis uiribus adscribat, quasi etiam sine adiutorio Dei ad bene agendum sibi sufficiat, secundum hominem carnaliter uiuit: & ideo aut bene non uiuit, aut nihil ei proderit, quicquid boni propter homines facit: quia humanis laudibus delectatus, hic iam temporalem mercedem recipit suorum operum, quæ temporaliter fecit. Igitur ille secundum hominem uiuit, qui secundum seipsum uiuit: quia & ipse homo est, & secundum seipsum uiuit, qui si potuerit esse cum quibus uult, pergit quò uult, dormit quando & quandiu uult, loquitur quæ uult, & ubi uult, mãducat & bibit quãdo, & quod uult, & quantũ uult ridet, ac lætatur inter quos uult: postremò quicquid naribus suaue est, quicquid tactui blandũ, quicquid oculis delectabile, quicquid cæteris sensibus carnis suæ iucundum, exercet, ac sequitur qualiter uult, qui omnia licita uel illicita carnaliter uult. Qui autem secundum Deum uiuit, non quod eum carnaliter delectat, sed quod ædificat spiritualiter facit, & omnia desideria carnis spiritualis desiderij delectatione compescit, futura præsentibus anteponit, carnem spiritui subdit, & quicquid cupit, aut agit, non uult ex

sua, sed ex Dei sui uoluntate procedere, cui placere totis uiribus concupiscit. Itaq; si utcunq; iam claruit, quòd uirtutes ueras nõ uideantur habere C
qui simulant: & illi simulant, qui nõ ex fide, aut nõ propter Deũ, sed propter homines tantùm boni aliquid operãtur, eleemosynis ac ieiunijs uel abstiuẽtiæ cæterisq; bonis operibus seruiendo, nõ ut boni fiant, sed ut se bonos hominibus fingant, nec ad recipiendam sempiternam mercedem, sed ad comparandam gloriam popularem: uideamus nunc quibus præcedentibus causis, & subsequentibus incrementis, nasci soleant uitia uel augeri: & quibus adiuuante Deo remedijs possint uelut quibusdam medicamentis imminui, uel sanari.

Quòd superbia sit malorum omnium causa.

CAP. II.

Est quidem hoc caput ualde perplexum, sed si oretis illum qui dixit:
Matth. 10. Non uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in
Psal. 80. uobis. & alibi: Dilata os tuum, & ego adimplebo illud: ea quæ mihi ut homini impossibilia sunt, illuminante domino, uel docente possibilia fiunt. Consideremus ergo quæ causæ præcedant, quæ uitia subsequãtur. Quod ut credibilius uideatur, non hoc à me prudentia uestra perquirat, sed uobis, & mihi, uel omnibus scriptura diuina consulta respondeat: quæ uelut
Eccles. 10. si iam quæreremus ab ea immobilem sententiam protulit, dicens: Initium omnis peccati superbia. Quid potest apertius, quid probabilius dici? Initium, inquit, non alicuius, sed omnis peccati, superbia: ut euidenter ostenderet, quòd ipsa sit peccatorum omnium causa: quoniam non solùm peccatum est ipsa, sed etiam nullum peccatum fieri potuit, potest, aut poterit, sine ipsa. Siquidem nihil aliud omne peccatum, nisi Dei contemptus est, D
Esa. 14. quo eius præcepta calcantur. Quem contemptum Dei nulla res alia per-
Luc. 10. suadet hominibus, nisi superbia, quæ etiam in ipso diabolo, ut diabolus ex angelo fieret, æternæ perditionis extitit causa. Denique & ipse sciens se per superbiam de cœlestibus corruisse, & in hunc caliginosi aëris carcerem trusum, homini subuertendo, quem Deus fecerat sine ullo peccato,
Genes. 3. uitium persuasit serpentina calliditate superbiæ: certus, quòd recepta superbia, quæ est malorum omnium causa, facilè iam peccata omnia, quæ non nisi superbo concipiuntur animo, perpetraret. Hinc est, quòd idem primus homo superbi spiritus elatione corruptus, omnem posteritatem suam, quæ in illo radicaliter fuit, necessitati corruptionis ac mortalitatis addixit: ut corruptibilis & mortalis effectus, corruptibiles mortalesq; generaret: atq; ita quod in illo egerat punienda superbia, in omnibus ex illo natis peccati fieret pœna. Et proptereà non eo mòdo iam possumus peccato resistere, sicut ille potuit, cui nihil aliud fuit non peccare, quàm nolle. Nobis autem irreprehensibiliter uiuere uelle non sufficit, nisi ipsum uelle nostrum, quod lãguida possibilitate deficit, diuina uirtus adiuuerit: quia illum ad non peccãdum etiam iuuare poterat adhuc sana natura, nos iam impedit

A *impedit uitiata:& illum peccare fecit sola peccandi * uoluptas: nos etiam *als:impulit
cogit plerunque peccati iam facta necessitas. Propter quod Deo clamamus, & dicimus, De necessitatibus meis libera me. Ac sic ideo fortassis dicit diuina scriptura, Initium omnis peccati superbia: quod ipsa præcessit in diabolo, & per ipsam subuersus est homo, de quo dicit Apostolus: Per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Cæterū nos qui primo homine peccante peccauimus, non in nostra seperata iam uita, sed in eius natura, in qua fuimus, & corruptionem uelut de radice superbiæ morbo conceptam contraximus, & in ipsa corruptione nostra omnes peccatorum causas habemus, qui non corruptibiles efficimur, quia peccamus, sed quia corruptibiles sumus, omne peccatum ex ipsa corruptione nostra committimus. Primus autem homo non ideo peccauit, quia corruptibilis fuit, sed cùm incorruptus esset, seipsum peccando corrupit, & corruptionem suam in nos propagatione transiecit: & idcirco ibi nobis auferenda est tota mortalitas, omnisq; corruptio, quæ facta est ex peccato, ubi erimus sine ullo peccato: hîc uerò ubi non iam sanata est, sed adhuc sanatur per gratiam nostra natura, quæ infirmata est per culpam, pijs conatibus nostris resistit ipsa concupiscentia uitiosa, non naturalis, sed naturæ nostræ indita pœnaliter & inserta, quæ peccato facta est: & peccatum, si uicerit, facit. Quam licet quandiu mortaliter uiuimus, habeamus: non

*als: uoluntas

Psal. 24.

Eccl. 10.

Rom. 5.

B eam tamen studio nostræ uoluntatis adiuuemus, & uincimus: quoniam non eam in nobis sentiendo, sed ei consentiendo peccamus: nec ipsa statim ut nos pulsauerit, uincit: sed si mentem nostram (quod absit) de sublimitate propositi sui in consensum peccati deiecerit.

Quòd superbia, ex qua procedunt omnia mala, humilitatis uirtute uincatur: & omnia uitia tunc fucata depereant, si uirtutibus cedant.

CAP. III.

PRoinde si superbia est initiū omnis peccati, & cōcupiscētia pœna peccati: nō potest aliter uinci cōcupiscētia uitiosa, nisi prius caueatur humilitatis uirtute superbia, quæ eius est inimica. Superba uolūtas facit Dei præcepta cōtemni, humilitas custodiri. Superbia ex angelis dæmones fecit, humilitas homines sanctis angelis similes reddit. Illa rebelles diabolo subditos facit, hæc humiles Christo cōiungit. Superbi cupiunt in se, quod nō faciūt, prædicari: humiles refugiunt, quicquid boni operātur, agnosci. Illi uitia sua à se alienādo peruersitatē suæ uolūtatis excusant, & bona sua suis uiribus deputādo semetipsos turpiter iactant: isti si qua peccata cōmiserint, uolūtariè cōfitendo, semetipsos accusant, & omnia bona sua diuino muneri deputando, Deum iugiter laudant. Quapropter si uirtus non habitat in animo uitioso, superbia humilitatis cedit imperio: quia nō potest mens regnū habere uirtutū, nisi prius iugū excusserit uitiorū. Tunc enim

 uitia

uitia fideliter expulsa discedunt, si uirtutibus cedant. Alioquin uel subsi- C
dunt ad tempus eiecta, uel redeunt, nisi uirtutes in locis uitiorum, quæ fuerint depulsa, successerint. Quapropter pietas in nobis crudelitati resistat, iram patientia fundata coërceat, pudicitia libidinem uincat, animositatem trãquillitas tollat, uerbositatem taciturnitas moderata compescat, delectatio spiritualis desideria carnalia imminuat, abstinentiæ rigor aculeos carnis obtundat, curiositati studium spirituale succedat, sobrietati cedat ebrietas, mansuetudini succumbat immanitas, dominetur leuitati maturitas, Dei & proximi charitate crescente consumatur tota mundi cupiditas, excludat parcitas uera luxuriam, castiget industriæ uirtus ignauiã, reprimat humilitas profunda iactantiam, pellat simplicitas pura uecordiam, non impediat uarietas fucata constantiam, emendati mores augeant disciplinam, frangat clementia religiosa sæuitiam, & funditus eradicet bonitas adquisita malitiam, ut expulsione uitiorum celebretur introductio gloriosa uirtutum. Sed de uirtutibus in capite sequenti uidebimus, nunc de uitijs, ut cœpimus, prosequamur.

De cupiditate, quæ ita mixta est superbiæ, ut nihil peccati fiat, quod non ex utraq; procedat.

CAP. IIII.

Eccl. 10. SI utcunque iam patuit, qualiter intelligatur, quod scriptura dicit, Initium omnis peccati superbia: hoc etiam uideamus quod sanctus Apo- D
1. Tim. 6. stolus dicit, Radix omnium malorum est cupiditas: cùm spiritus sanctus, qui locutus est per prophetam, per Apostolum quoque locutus sit, nec sibi posit esse diuersus locutionis modus, solicitè considerare debemus, quare ille initium peccati superbiam, hic radicem omnium malorum cupiditatem nominari uoluerit. An fortè sermonem propheticum Paulus Apostolus, ut solet, exposuit? quandoquidem siue initium omnis peccati, siue radicem omnium malorum dicas, unum idemq; significes. Porrò cupiditas atq; superbia intantum est unum malum, ut nec superbus sine cupiditate, nec sine superbia cupidus posit inueniri. Siquidem & diabo-
*al: potestatis lus, in quo tenet superbia principatum, propriæ * uoluntatis, ac perditionis humanæ cupidus fuit: & ipse homo per appetitum arboris interdictæ, ac diuinæ similitudinis affectationem, morbosæ affectum cupiditatis ostendit. De superbia nanque nascũtur hæreses, scismata, detractiones, inuidia, uerbositas, iactantia, contentiones, animositates, ambitio, elatio, præsumptio, uanitas, inquietudo, mendacium, periurium, & cætera eiusmodi. Sed hæc quis dubitet ex cupiditate quoque procedere, cùm omnes qui fuerint illis omnibus morbis, quos nominaui, corrupti, habeãtur & cupidi? Item cùm gulosos, intẽperantes, ebriosos, auidos, rapaces, fornicarios, adulteros, stupratores, incestos, flagitiosos, cupiditas reddat, quãdo possunt sine sup̃bia tales fieri? Sine qua oĩno nõ possunt Dei præcepta cõtemni, quibus p̃hibẽtur illa omnia mala, quæ superius cõprehẽdi.

A Ideoq́ʒ si uolumus cõsummare nostri certaminis cursum, caueamus in primis cupiditatem atq́ʒ superbiam, non duo mala, sed unum, à quo trahunt omnes mali actus initium. Nam sine superbia quæ possunt saltẽ inchoari peccata, cùm dicatur, Initium omnis peccati superbia? Aut sine cupiditate, quæ est malorum omnium radix, quæ possunt fieri mala, cùm sine radice omnia, aut nulla deputẽtur, aut mortua? Deinde si quodlibet peccatum perpetrare non possum, nisi * malæ delectationi consentiã, quod cupiditatis est proprium, & Dei præcepta contemnam, quod est superbię malum, quomodo non ex cupiditate, quæ est radix malorum omnium, & ex superbia, quæ initium omnis peccati dicitur, procedit omne peccatum? *al.: mea

Quo animi tormento inuidos affligat inuidia.

CAP. V.

INuidus certè, qui alienũ bonum, suum facit inuidendo suppliciũ, nulla uidetur ad inuidendũ concupiscentia prouocari, sed tantum superbiæ morbo uexari. Sed si animi eius pestem, qua præcipitatur incensus, subtiliter alteq́ʒ rimemini, inuenietis eum & perditionis eius cupidũ, cuius cupit interitum, & superbiæ malo teneri, quo sibi iugiter ingemiscit meliorẽ cui inuidet anteferri. Quis facilè potest, quale sit hoc malum, uerbis exprimere? quo inuidus odio hominis persequitur diuinũ munus in homine: quum potius amari homo debeat, etiam pro sui meriti sanctitate. Tantos
B inuidus habet pœna iusta tortores, quantos inuidiosus habuerit laudatores. Siquidem inuidiosum facit excellentia meriti, inuidum pœna peccati: nec ei ab homine potest remedium adhiberi, cuius est uulnus occultum.

In quæ, & quanta mala, concupiscentia carnis erumpat, si ei mens corrupta consentiat.

CAP. VI.

QVid concupiscẽtiæ carnis addictus? Nunquid non uidetur nihil habere superbiæ, cùm præsertim passio ipsa eum uideatur humiliare luxuriæ? Et tamen nisi prius Deo rebellis existeret, cuius salubre præceptum de pudicitia cõseruanda, superbi spiritus præsumptione cõtemnit, nulla eum lasciuiæ cupiditas prouocaret. In animo eius diu disceptãt Dei contemptus & metus. Sed aut contemptus Dei præpõderat, & superbus animus recepta cupiditate pudicitiã perdit: aut obtinet metus, & animus Deo subiectus cupiditati simul ac superbiæ contradicit. Plerosque enim gula & abundantia uini turpiter in luxuriam soluunt: alios in iniuriã pudicitiæ sordidæ cogitationes incendunt: nõnullos de proposito castitatis occasiones oblatæ deijciunt: quosdam sub impudicitiæ iugum exempla perditè uiuentiũ mittunt. Sunt alij, quorum uitam lingua turpis inflammat, aut turpem conscientiã manifestat. Qui prius inuerecũdos sermones aut proferunt libenter, aut audiunt, ac deinde paulatim morbo crescente ab honestate deficiunt, attritoq́ʒ pudore uiles effecti, dum indecenter ele-

gantes uideri uolunt, paſsim iam turpibus uerbis impudenter inſaniunt. C Hoc enim loquũtur quicq̃, quod diligunt: & delectabiliter audiunt, quod aſsiduis cogitationibus uoluunt. Cogitatio quippe eſt, quæ mentem, ſicut turpis inquinat, ita ſi fuerit honeſta, purificat. Aut ſi non ex cogitatione facies mentis exiſtit, ſed qualitas cogitationis ex mente, non ſordidæ cogitationes mentem ſordidam reddunt, ſed ex mente ſordida ſordidæ cogitationes exiſtunt. Quod ſi ita eſt, pulchrorum corporum formæ per oculos irrepentes, animum non mouent incorruptum: & quando corruptibiliter mouent, non corrumpunt ſanum, ſed oſtendunt propria uoluntate corruptum. Turpia quoque uerba per aures ingreſſa, quid præualent, ſi non fuerint arbitrio mentis admiſſa? Quando autem præualent, non ipſam corrumpunt mentem, ſed iam corruptam ſponte reperiunt. Auribus enim caſtis obſcœni ſermones cum ſono deficiũt, nec ſecretum pudici cordis irrumpunt. Quid palpamen tenerũ, quod menti iam uitioſæ blanditur? Nunquid poteſt ad animum admitti per tactum, ſi animus incorruptum ſeruet profeſsionis ſuæ propoſitum? Ac ſic prius integritatẽ ſui animus ſponte uitiatus amittit, & ſic delectationem tactus admittit. De cibi uel potus cauenda delectatione, iam dixi ſufficiẽter, ut arbitror, in ſe-
Cap. 22. & 23. cundo uolumine, ubi quanta potui breuitate perfectionẽ ſpiritualis abſtinentiæ commendaui. Sed & hic hoc breuiter dico, quòd per os carnis nõ irrumpit delectatio guſtus ad mentem, nec erumpit ſermo turpis ex mente, niſi ſe uoluntariè mens antè corrũpat, quàm recipiat aliquid unde corrumpatur, aut proferat. Cæterũ ſi animus ſub Deo ſuo firmus ipſius Dei D ſui munere perſeueret, nec quibuslibet delitijs lenocinantibus cedit, nec profert aliquid turpe, nec recipit. Iam de odoribus pauca perſtringã, ut totam tentationẽ quinq; partiti ſenſus uerbis includã. Quos odores per aditum nariũ aut affectat mens ægra, aut diuinitus adiuta repudiat: quæ ſi ſe ſuo creatori ſubijciat, atq; ei, qui dignitas eius eſt & ſalus, amãter inhæreat: non ſolùm nulla eam uitiorum fœditas decolorat, ſed nec delectatio ulla carnalis effœminat. Quòd ſi à charitate ſui conditoris & illuſtratoris inflata reſiliat, ac ſe relicto interiore ſolidoq; bono, foras in exteriora bona proijciat: quicquid in ea neruorũ poteſt eſſe, reſoluitur: quicquid uirium, debilitatur & frangitur: tuncq; ei actio ſpiritualis efficitur onerosa, & ipſa in carnalibus fit inquieta: ita ut omnia quę per ſenſum corporis ſentit non uitiãda, ſed iam uitiata turpiter cõcupiſcat: & quando corpus nihil ſenſibilium ſentit, ipſa ſibi delectabiliter recordando, ſenſarum rerum imagines repræſentat. Apud ſe intus audit, ſine uoce, quicquid cantilenæ ſuauis ac iocationis obſcœnæ per fluxuoſos aurium meatus influxit. Ibi ei odor malè ſuauis corruptibiliter fragrat, qui per patulas nariũ cauernas irrepſit. Ibi eam ſapor oblectat, quem ad ſe per illecebram uoluptuoſi guſtus admiſit. Ibi perſentit neſcio quid molliter blandum, quod ei exterior tactus impreſsit. Ibi colores uarios & illices formas concupiſcibiliter uidet, quas ei oculorum curioſitas nunciauit. Quæ mens ita abſen

A absentibus plerunque imaginibus corporum delectatur affecta carnaliter, ut nimia sordidæ cogitationis intētione defixa, non sibi imagines corporum uideatur amplexari, sed corpora. Hinc est quòd ille corporis fluxus, qui fit in dormiētibus sine culpa, interdum uigilantibus contingat ex culpa. Aliud est enim quod in dormiēte fit, aliud quod uigilās facit. Ibi naturaliter plenitudo humoris expellitur: hic turpiter concupiscentia publicatur. Sed hæc concupiscentia illis uigilātibus hunc elicit fluxum, quibus per fœda colloquia sordidum cōmouerit appetitum. Hi sunt, quibus usui est fœminarum descriptio. Illa rudis est, illa dicacula, illa deformis, illa formosa, alterius placet ornatus, gestus alterius, illius etiam laudatur sine forma festiuitas, illius sola formositas. Inde transitur ad mores, & aliam talibus commendat taciturnitas moderata, aliam turpem uideri facit libertas incondita. Hæc & his similia colloquentes, suggerunt concupiscentiæ suæ materiam. Hæc tamen ideo concupiscunt, quia ista aut loquuntur libenter, aut audiunt. Qui nisi concupiscentiæ morbo corrupti essent, nunquā uel loquerētur talia, uel audirent: quia non eos ista corrumpunt, sed corruptos ostendunt. Ac ne me ista ueraciter arguentem quisquam iudicet arguendum, nouerit propter hoc fortè ab antiquis fuisse decretum, ne qui adolescentium legerent Geneseos librum, ac pariter Ezechielis prophetæ, uel Canticum canticorum, & cætera talia, in quibus generationes, & actus, & nomina quarundam scripta sunt mulierum. Quas licet secundum historiam fuisse credamus, earum tamen nominibus uirtutes figuratas accipimus: quoniā sicut illæ non solum uiris suis per sanctos mores, sed etiam extraneis sine dispendio sui pudoris ob nimiam pulchritudinem placuerunt, ita sanctæ uirtutes & suos mirabiles omnibus reddunt, & extraneos quadam admiratione sui perstringunt. Hinc est quòd & ipsi, qui uitiosè uiuunt, uirtutes uitijs anteponunt: quia aliud est quod faciunt morbo, aliud quod coguntur *placere iudicio. Sed ne fortè hæc spiritualia secundum carnem adhuc carnales acciperent, nec uirtutes cogitarent, quas mulieres illæ significant, sed ipsas cogitando carnaliter deperirent, consultò iuniores legere sunt illa prohibiti, quæ sicut spiritualiter accepta uiuificāt, ita carnaliter intelligentibus, ipsa carnalis intelligentia, occasiones carnalis concupiscentiæ subministrat. Earum quisque nomina frequenter habet in ore, quarum desideria uulnerato gestat in corde: aut turpitudinem quam exercere uerecundatur in facto, tenet in animo, reus non humano iudicio, sed diuino.

Lege Hieronymum in primum Commētariorum Ezechielis proœmiū, & eundem ad Paulinum de omnibus diuinæ historiæ libris.

B

*al. probare

Quòd etiam hi, quos ab impudicitia qualibet necessitas uetat, si uiuere pudicè consuescant, ad amorem castitatis ascendant.

CAP. VII.

TAles pudicos aut temperatio corporum facit, aut timor supplicij temporalis ab impudicitiæ actione suspendit, aut occasio denegata destituit.

tuit. Sed licet uoluntate sit impudicus, qui necessitate pudicus est: tamen si & ille temperati corporis de beneficio naturæ suæ Deo, autori omnium naturarũ, gratias agit: & ille, quem timor in bono pudicitiæ tenet, atque is cui facultatem mœchandi negat occasio, uiuere pudicè consuescant, in uirtutem plerunque de necessitate proficiunt: & paulatim ipsius pudicitiæ delectatione crescente, pudici ueraciter fiunt: ut iam non sermone, sed uirtute sordes impudicitiæ detestantes, non timore pœnæ carnalibus incentiuis obsistant, quod est insipientium proprium: sed execratione peccati refrenent inquietos carnis affectus, quod est castitatis consummatæ fastigium: non quòd animus unquã desinat in hac carne cum uitijs habere conflictum, sed quòd eum alat ac prouehat, & quantũ fieri potest, in præsenti uita perficiat ipsa numerositas triumphorũ: si modò nõ se in corpus sensibilium captus delectatione deijciat, sed execratione delectationum sublimiter roboratus, supra corpus se corporalium uictor adtollat, ac Deo suo, sub quo cum uiuentem desideria repudiata non uincũt, in æternum glorificandus adhæreat. C

Quibus indicijs possit ostendi superbia, quæ uel in perditis aperta est, uel in fictis occulta.

CAP. VIII.

IAm nunc uideamus, quibus indicijs possit superbia deprehẽdi: ut sicut in superioribus claruit, nullũ peccatũ sine illa posse cõmitti: ita hic signa eius eluceant, quibus cauenda possit ostendi. Omitto illos, quos etiã ipse habitus, & incessus superbos ostẽdit: quorum erecta ceruix, facies torua, truces oculi, & sermo terribilis, nudã superbiã clamant. Qui libidine dominandi possessi, quos possunt, uiolenter sibi subijciunt, humana iura diuinaq; cõfundunt, honoribus intumescunt, passim cuncta diripiunt, suis criminibus gaudẽt, & se ipsos superbiæ corrupti morbo, non capiũt. Hos ergo prætereo, in quibus superbia tam aperte regnat, ut nec dignetur se occultare, nec ualeat. Illos tantum dolẽdos ostendo, atq; eorum exempla cauenda denũcio, quos iam cõuersos & aliquantulũ proficiẽtes superbia occultè captiuat, quos in profundum malorum fraudulẽta dominatione præcipitat, & ne inde unquã possint emergere, iugiter calcat. Ipsa in cordibus talium locũ diabolo facit. Ipsa ei aduenienti immunitũ pectus familiariter pandit. Ipsa introeũtẽ suscipit. Ipsa captis ius perditè uiuendi cõstituit. Ipsa * omnes uirtutibus exarmat, quos semel inuaserit. Ipsa quicquid in eis remanserit, quod uitijs posset obniti, ne contra se fortè conualescat, interimit. Inde est, quòd hi quos superbæ mentis tabes purulenta corruperit, seniorum suorum non obseruant imperata, sed iudicant: de suis negligentijs obiurgati, aut rebellant insolenter, aut murmurant: de loco superiori disceptant, præferri se etiam melioribus impudenter affectant: simplicitatem spiritualium fratrum irridenter exagitant, suas sententias procaciter iactant: obsequia delata fastidiunt, negata D

*als: bonis omnibus

pertin

A pertinaciter quærunt: natales moribus anteponunt: iuniores suos elati despiciunt, conferri sibi aliquos posse non credunt: æquari senioribus dedignantur, super eos se solo animi tumore constituunt. Non seruant in obsequio reuerentiam, in sermone modestiam, in moribus disciplinam. Habent in intentione pertinaciã, in corde duritiam, in sermocinatione iactantiã: in humilitate fallaces, in iocatione mordaces, in odio pertinaces: subiectionis impatientes, potentiæ sectatores, omnibus bonis odibiles: ad opus bonum pigri, ad communionẽ feri, ad obsequium duri, ad loquendum quod nesciunt prompti, ad supplantãdum parati, ad omnia quibus subsistit fraterna societas inhumani: temerarij in audendo, clamosi in loquendo, fastidiosi in uidendo, præsumptuosi in docendo, efferati deformiter in cachinno, onerosi amicis, infesti quietis, ingrati beneficijs, inflati obsequijs, & imperiosi subiectis. Hæc sunt superbiæ grassantis indicia, quibus Deus offenditur, & recedit, ac superba corda destituit. His malis diabolus pastus exultat: inuitatur, ut ueniat: superbas mentes intrat, ut teneat: erigit, ut elidat: fouet, ut perdat, qui inexplebiliter de ipsa perditorũ captiuitate tripudiat, ut captiuos suos quos superbiæ uiribus sibi subiecit, iure possideat, & omnia illa mala, quæ superius comprehendi, per illos exerceat. Merito igitur per iustum Dei iudicium deseruntur huiusmodi occulto damnati supplicio: quoniam non uiolenter addicti, sed sponte cedunt superbiæ decipientis imperio: cui utique possunt, si uoluerint, repu-
B gnare liberæ uoluntatis arbitrio: liberati per donum spiritus sancti, & muniti. Veruntamen etiam tales, si ad recipiendam salutem diuinitus animati, spem resipiscendi concipiant, nec se in peccatis suis desperando contemnant, poterunt fructuosæ satisfactionis medicamento sanari, & superbiam, quæ eos à Deo suo tumefactos excusserat, fundatæ humilitatis assumptione damnantes uinculis æternæ damnationis absolui. Quod qualiter fieri posit, suprà iam diximus, cùm de ipsa superbia, unde processerit, quò peruenerit, & quid egerit, tractaremus. Nam quia à diabolo processit, ad hominem primum peruenit, & in ipso totum genus humanum, uelut in radice, fructum naturæ sponte peccati uitiatione corrupit.

Quibus signis inuidorum declaretur inuidia.

CAP. IX.

ORdo ipse exigere uidetur, ut de inuidia quoque pauca dicamus, quæ in tantum de superbiæ fonte manauit, ut diabolus, qui per superbiã perijt, hominem primum statim, succensus inuidiæ felle, perdiderit: non quia à diabolo processit. Proinde quia idem diabolus superbiendo inuidus, non inuidẽdo superbus apparuit, non superbia fructus inuidiæ fuit, sed inuidia ex superbiæ radice processit. Vnde quoniam quantum inuidos affligat inuidia, superior iam sermo prodidit, non hic de illius supplicio dicendum uidetur, quo suos animos inuidi laniando conficiunt: sed hoc tantum donante domino debemus ostendere, qualiter inuidi sanctè uiuentium Cap. 5.

uiuentium

uiuentium merita sua faciant inuidendo peccata: & quantum in eis bonum corrumpat inuidia, qui quicquid boni fieri, uel dici à sanctis audierint, aut omnino non credunt, aut res bene gestas in malum malè interpretando conuertunt. Omne malum, quod de illis mendax fama iactauerit, statim, tanquam si ipsi uiderint, credunt. Feraliter eis qui illud uerum non esse probare uoluerint, contradicunt. Omnia suis æmulis fingunt, eorum profectu deficiunt, odia intra se abscondunt, in suos cruciatus enutriunt, proficientibus inuident, peccantibus fauent. De bonorum malis gaudent, de profectibus lugent, de inimicitijs gratuitis ardent, deprehendi pectoris sui malitiam timent, semper amari, nunquam certi. Amici diaboli, inimici etiam sui, omnibus odiosi. Ad gaudenda anxij, ad plangenda læti, utrobique * dispersi. Inter amicos discordias seminant, discordantes ad tempus, si possunt, in dissensione confirmant. Opinionem bonorũ mendacijs decolorant: in spiritualibus carnalia laudant, ut spiritualia bona eis deesse persuadeant. Amicitias simulant, ut eos, qui se incautè sibi commiserunt, qua possunt arte decipiant. Odiorum sibi occasiones prauis suspitionibus coaceruãt: dæmones, quorum sectantur facta, lætificãt. Sanctos uiros quibus sunt noti cõtristant, uelut amici in obsequio, hostes in animo. Continentes in uerbo, turpes in facto. Prodigi secretorum, tenaces malorum. Prompti suspicionum malarum, inanes bonorum. Pleni sordiũ, præditi fraudibus. Aduersarij corde uirtutibus, praui moribus, & insidiosi cunctis secum in simplicitate uiuctibus. Hæc & his similia sunt, quæ omnes inuidos bonis uoto siue animo inimicos ostendunt. In hæc mala deueniunt, qui insectando sectandos, & diligendos abominando, feraliter à communione bonorum omnium seipsos excludunt, ut illud bonum iure non sit in eis, quod persequuntur in bonis. Considerate, obsecro, qualiter inuidos punitura sint mala sua, quos etiam bona puniunt aliena. Vbi isti fieri poterunt boni, qui sunt in bono mali: aut quando bene malis usuri sunt, qui malè bonis uti non desinunt? Bene malis usi sunt martyres sancti in testimonio saluatoris nostri ueraces, & in castris spiritualibus strenui bellatores, qui tribulationibus, & damnis, ac uarijs cruciatibus affecti, pariter & probati, terrenis cœlestia mutauerunt: & de bono usu malorum profecti ad gaudia bonorum perenniũ peruenerunt. Item bonis utitur inuidus malè, quia omnibus bonis quæ miser execratur abiunctus, animi sui supplicio relinquetur affligendus. Et quis ei poterit subuenire, qui se sibi exhibet inuidendo carnificem? Aut unde sibi parabit salutem, qui de salute malè utendo facit perniciem? Veruntamen si inuidi quoque sicut alij peccatores diuinitus inspirati, in spem recuperandæ salutis adsurgant, ac sibi quales sint, Deo placituri displiceant, si non imitentur Cain, qui postquàm dominantis inuidiæ furore cæcatus, germano suo uitam per scelus extorsit, & animam suam fraterni corporis morte percussam, supplicio æternæ mortis addixit, consequendæ ueniæ desperatione depressus, ait ad dominum: Maior est iniquitas mea, quàm ut ueniam

*al's: peruersi

Gene. 4.

A niam merear: hoc est dicere Deo, Indulgere mihi non peto: quia peccatorum meorum magnitudine indulgentiæ tuę uincitur magnitudo. Deniq; nusquam legitur aut pœnituisse de suo scelere, aut ueniã meruisse. Si ergo huius abhorrentes exemplum se sibi auferant, & se Deo suo restituãt, nec se in profundum malorum salutem desperando proijciant, quis dubitet, imò quis non firmiter credat, eis prioris malitiæ ueniam posse conferri, si modò inuidiæ uulnere sanato correcti, amaritudinem sui pectoris dulcedine fraternæ dilectionis expellant, eos simpliciter amando quos oderãt, ut ad bonum fraternæ communionis ac pacis, bonorum omnium quorum grauabantur meritis, adiuuentur exemplis?

Quantis malis uanitas uanos inuoluat.

CAP. X.

HIs itaque super inuidia disputatis, quàm graui malo etiam uanitas uanos inuoluat, consequenter expediam. Quæ ut facilius uitari possit, quid in se corruptionis habeat, breuiter declaremus. Est enim uanitas, inflata quædam circa delectationes uarias animi languentis affectio, potiendi honoris auida, simul & nescia, morbo excellentiæ inanis afflata, caua, morbida, turbulenta, animorum leuium domina, malè fundatis omnibus blanda, repugnantibus fumea, capiendis seductoria, captis inuicta, simulatio quædam uirtutum, * anima uitiorum, fomes carnalium delectationum, labes morum, appetitio dignitatum, dulcis miseris, amara perfectis, **al: amica*
B periculosa dubijs, imperiosa subiectis, infirma fundatis, facilè captiuat, captiuatos oblectat, ambitiosos uexat, angustos inflat, inflatos humiliat: cui seruiunt tumidi, sub qua iacent elati, quam inueniunt perditi, ad quã currunt lapsuri, in qua sibi uidentur stare iam lapsi. Hæc est uanitas, quæ non aliquas uirtutes, ut putatur, exantlat: sed licentia uitiorum, cùm fuerit à uitiosis recepta, corroborat: cæterùm mentes uirtutum plenas omnino non penetrat. Vacuos ergo, ac nullis fultos uirtutibus tentat: & ipsos fastu ruinosæ ambitionis inflatos, in occulta dedecora quadam publicè furendi delectatione præcipitat: sicut uacuam nauim tempestas in diuersa tumidis fluctibus iactat, & in area frumentis sua grauitate manentibus leues ex ea uentus paleas raptat. Quod si ita est, non uitiosos facit uanitas, sed ostendit, quòd illos sui afflatus uento circunfert, ac lubricis circumactos affectibus rotat: qui se ad omnes eius impulsus studio propriæ uoluntatis adcommodant: qui se de operibus, quorum sibi conscij non sunt, turpiter iactant: qui se ab omnibus prædicari per nefas affectant: qui sanctos uiros sui comparatione depretiant: qui uitio auræ popularis elati, nihil sibi deesse perfectionis existimant. Occurrentium salutationibus gaudent, suis adulatoribus fauent, uoluptatibus parent, omnibus turpibus placent. Gestiunt docere quod nesciunt: credi de se sublimia uolunt, delectabilia grauibus anteponunt: execrantur uerbo, quod animo concupiscunt: appellationes uirtutum uitijs suis imponunt.

Seipsos fallunt, fauentes sibi decipiunt. In promissione honesta ueloces, C in exhibitione mendaces. A bono mutabiles, mali tenaces. In uerbo graues, in animo turpes, ubique fallaces. Læti ad prospera, fragiles ad aduersa. Inflati ad obsequia, anxij ad opprobria. Immoderati ad gaudia, faciles ad humana, difficiles semper ad honesta. His ergo & similibus delinitos uanitas premit, nec eos aut suum morbum sentire, aut ad medicum uenire permittit. Et quid est ad medicum uenire, nisi infirmum suas infirmitates agnoscere, nec placere sibi, sed de factis quæ illi uidebātur esse gloriosa, confundi? Quod certè illi faciunt, qui desiderio comparandæ opinionis incensi, eis tantum operibus, quibus emitur fauor humanus, inseruiunt, & morum bona contemnunt: tantumq; eos ardor humanæ laudis inflammat, ut laboriosa opera, quæ populus admiretur, & quibus fama diffunditur, sine labore suscipiant, & libenter exerceant. Inde est, quòd ieiunare, abstinere, uigilare, ecclesiam frequentare, uel psallere, cum hæc omnia sine labore non fiant, etiam cum delectatione illi faciunt, qui ex his hominibus placere concupiscunt: non quòd ista & homines Dei non faciant: sed quòd illi probentur ea Deo magis, quàm hominibus exhibere, qui feruentius student etiam moribus sanctis excellere. Cæterum si quisquam foris, ubi potest magnus credi, resplendeat, & intus ubi Deus solus uidet, squaleat: quis non intelligat, quòd illæ omnes abstinentiæ, ac ieiuniorum, uigiliarumq; continui labores, quos nobis tolerabiles uanitas facit, nō sint ornamenta morum, sed uelamina uitiorum? Quapropter ieiu- D nia, abstinentiæ, uigiliæ, eleemosynæ, & cætera huiusmodi, augere debent bonum nostrum, non uelare peccatum: nec pro iustitia, sed cum iustitia Deo sunt exhibenda: quoniam quidem multò attentius debēt præcepta perficere, qui ea parati sunt perfectionis opere transcendere. Alioquin si inuidi, si superbi, si elati, si cupidi, hæc & his similia mala pectoris sui non reprimant, & tamen suum corpus ieiunijs, ac * labore abstinentię, quamuis continuatæ, conficiant: nec illa eos opera impensa uanitati iustificant, & hæc uitia quæ negligunt emendare contemnunt. Itaque licet ubique libri huius singulis quibusque uitijs absolutis, remedia quoque quibus possint caueri uel emendari, subiecerim: hîc tamen compendij gratia generalis quædam regula domino illuminante monstranda est, cui regulæ * ueolciter innitentes, omnibus peccatis obsistunt. Nulla res sic nos ab omni peccato seruat immunes, sicut timor supplicij, & amor Dei. Sed de charitate, quod dominus, cuius donum charitas ipsa est, donat, posteà differemus.

*al's: laboris abstinentia

*al's: ueraciter

De utilitate timoris, & quòd efficaciter peccatis obsistat.

CAP. XI.

NVnc de timore supplicij pauca dicamus. Ad pœnam, quæ * peccanti debetur, mens antequàm peccet, aspiciat: cruciatus, ac dolores, qui solent sequi peccantem, carnalibus incentiuis opponat, & nihil eam peccati

*al's: peccatis

A peccati oblectat, nec ad peccandum ulla delectatio corporalis inclinat. Denique non ideo cedimus illecebris, ac uoluptatibus nostris, quia repugnare non possumus: sed quia securitatem nobis occultandi criminis ipsi promittimus: & dum credimus colorari, uel redimi posse quod facimus, spe præsumptæ impunitatis illecti, dominationem in nos nostræ uoluptati permittimus. Cæterùm si eo tempore, quo quis peccare deliberat, sana mente consideret, quæ pœna expectet in suis facinoribus ac flagitijs deprehensos, quod supplicium conuictos excruciet, qui tremor membra quatiat, pallor ora perfundat, quantum denique humiliet & execrabiles omnibus reddat, etiam ipsum sordidæ opinionis opprobrium, nescio an possit quibuslibet uitijs accommodare consensum. Quid enim mali operis fieri potest, unde nec erubescant etiam illi, quos ipsa flagitia sua delectant? Hinc est quòd hi qui bona sua uanè ac deformiter iactant, dedecora, quibus remordentur, & humiliantur, occultant: quicquid est unde in peccantem, etiam sine humano iudicio conscientiæ iudicantis tormenta desæuiunt, & malè sibi consciam mentem ipsæ etiam cogitationes secreti reatus, cruciatoria recordatione conficiunt.

De futuro iudicio, uel æternitate supplicij, ac de qualitate gehennæ.

CAP. XII.

B AGè iam cùm ad illud ultimum iudicium uenerimus, ab eo iudice iudicandi, qui nec falli occultatione criminum potest, nec ad impunitatem promerendam muneris alicuius oblatione corrumpi: cùm cœperint omnium secreta reuelari, & non solùm actus ac uerba, sed etiam ipsæ cogitationes ostendi: quid faciemus sub tanti iudicis maiestate? quid excusationis obtendere poterimus? qua nos defensionis arte purgabimus? quæ nobis subuentura est pœnitentia, quam in hac carne contempsimus? Quæ nos defensura sunt opera bona, quæ in hac uita non fecimus? Ad quos apostolos, aut ad quos alios sanctos confugituri sumus, quorum exempla simul ac uerba despeximus? An fortè aliquos ibi fragilitas corporis excusabit? Sed excusationi eorum reclamabunt omnium sanctorum exempla, qui fragilitatem carnis in carne uincentes, quod fecerunt, utique fieri posse docuerunt: maximè, quia nec ipsi peccato sua uirtute, sed domini miserantis auxilio restiterunt: qui se & non quærentibus, ut quæratur, atque in eum credatur, ostendit: & credentes in se, ne à peccato uincantur, inuicta protectione defendit. Quid ergo responsuri sunt, si eis dominus dicat, Si potuistis, quare non restitistis desiderijs peccatorum: si non potuistis, quare meum contra peccata non quæsistis auxilium? aut uulnerati, quare pœnitendo non adhibuistis uulneri uestro remedium? Non'ne ad hæc obmutescentes, & quid excusationis referant non habentes, dicet: Ligate eos manibus & pedibus, & mittite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium, ubi uermis eorum *Matt. 22. Esa. 66. & Mar. 9.*

non morietur, & ignis eorum non extinguetur? Et quid est obmutescentes manibus & pedibus ligari, nisi in inferno, ubi Deo nemo confitetur, actione priuari: sicut in exteriores tenebras mitti, nihil aliud erit, nisi à domino, qui est mentium lumen, expelli? Fletus autem & stridor dentium acerrimos eorum dolores ostendunt, qui supplicio æternæ mortis addicti, non uidendi sensum habituri sunt, sed dolendi. Quorum continuus gemitus, cruciatus æternus, dolor summus, pœnalis sensus, torquent animas, nec extorquent, puniunt corpora damnata, nec finiunt. Quos ideo sibi deputatos ignis inextinguibilis non extinguit, ut permanente sentiendi uita, pœna permaneat, & ad dolendũ magis, quàm ad uiuendũ æternis corporibus cõpeditos habeat, quos in flãmis uiuacibus immortalitas secũdæ mortis occidat. Iam uermis eorũ nõ morietur, & ignis eorũ non extinguetur, sed ad totam reseruantur damnati hominis pœnã, quem inefficacis pœnitẽtiæ ignis exurit, & consumẽtis consciẽtiæ uermis immortaliter rodit. Proinde omnes qui in gehenna dicuntur occidi, non id cum illis agitur, ut maximis consumpti doloribus, aliquãdo deficiant, sed ut in illis pœnaliter uiuant. Hæc & his similia libenter audire uel legere, iugiter ante oculos mentis adducere, futura credere, sine ulla perturbatione metuere, cogitare quale malum sit ab illo gaudio diuinæ contemplationis excludi, beatissima sanctorum omnium societate priuari, fieri patriæ cœlestis extorrem, mori uitæ beatæ, morti uiuere sempiternæ, in æternum ignem cum diabolo & angelis eius expelli, ubi sit mors secunda damnatis exilium, uita supplicium, non sentire in illo igne quod illuminat, sentire quod cruciat, exundantis incendij terribiles crepitus pati, Barathri fumantis amara caligine oculos obcæcari, profundo gehennæ fluctuantis immergi, edacissimis in æternum dilaniari uermibus, nec finiri. Hæc & multa similia cogitare, nihil est aliud, quàm uitijs omnibus repudium dare, & omnia blandimenta carnalia refrænare. Sed nos iam, si uidetur, ab his terribilibus malis, quæ fidelium mentes salubri terrore concutiunt, atque ab omnibus uitiosis delectationibus abducunt, & quæ amatores uoluptatum suarum tunc suæ damnationis experimento probabunt, quando iam, quod est omni infelicitate miserius, se emendare non poterunt: ab his inquam terrificis ac tristibus malis ascendamus ad illa sublimia, quibus proficientium mentes in spem promerendæ beatitudinis assurgunt, abiuratisq; terrenis, cœlestia concupiscunt: & quoniam proficere cupientes à salubri timore incipiunt, & ad charitatem proficiendo perueniunt, nos quoque sufficere iudicantes, quod de incipientium timore tractauimus, etiam de charitate, quod ipse, cuius munus est, donauerit, disputemus.

Ibidem.

De laude charitatis.

CAP. XIII.

Charitas

A CHaritas, ut mihi uidetur, recta uoluntas ab omnibus terrenis, ac præsentibus prorsus auersa: iuncta Deo inseparabiliter, & unita: igne quodam sancti spiritus, à quo est, & ad quem refertur, incensa: inquinamenti omnis extranea, corrumpi nescia, nulli uitio mutabilitatis obnoxia, supra omnia quæ carnaliter diliguntur excelsa, affectionum omnium potentissima, diuinæ contemplationis auida, in omnibus semper inuicta, summa actionum bonarum, salus morum, finis cœlestium præceptorum, mors criminum, uita uirtutum, uirtus pugnãtium, palma uictorum, anima sanctarum mentium, causa meritorum bonorum, præmium perfectorum. In peccatis suis mortuos suscitat, languentes sanat, perditos instaurat, spem desperatis inspirat, pacificas mentes inhabitat: fructuosa in pœnitentibus, læta in proficientibus, gloriosa in perseuerantibus, uictoriosa in martyribus, operosa in omnibus omnino fidelibus. Quam fides concipit, ad quam spes currit, cui profectus omnium seruit, ex qua quicquid est boni operis, uiuit, sub qua obedientia crescit, per quam patientia uincit, propter quam carnalia blandimenta deuotio religiosa contemnit: sine qua nullus Deo placuit, cum qua nec potuit aliquis peccare, nec poterit. Hæc est charitas uera, germana, perfecta, quam excellentiorem uiam nominat sanctus Apostolus. Et uerè ipsa est uia, quæ ducit per se ambulantes ad patriam: quia sicut sine uia peruenit nullus, quò tendit: ita sine charitate, quæ dicta est uia, non ambulare possunt homines, sed errare. 1. Cor. 12.

B *Qualiter poßint ea, quæ de charitate sanctus Apostolus dixit, intelligi.*

CAP. XIIII.

ITtaque iam qualis, & quanta sit hæc charitas, non pedum uia, sed morum, Apostolo * docente discamus: Si linguis, inquit, hominum loquar & angelorum, charitatem autem nõ habuero, factus sum uelut æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Hominum uel angelorum linguis inanem facundiam quorundam significatam debemus accipere, qui omnia quæcunque uoluerint, accuratè quidem, atque eloquenter enuntiãt: sed quamuis ornate copioseque differant: tamen si docendi officium uanitate placendi magis, quàm consulendi charitate suscipiant: non ut aliquos doceant, sed ut se doctos ostendant: nec profectum, sed plausum à suis auditoribus quærant: si totam conscientiæ diligentiam transferant: maledicaces ad linguam, & studiosius eloquentiam uelint curare, quàm uitam: si supercilio uanæ loquacitatis elati, dicta sua magis cupiant laudari, quàm fieri: nec sint de sanctitate operis, sed de sermonis elucubrati uenustate soliciti: nunquid non tales meritò æramento sonanti, aut tinnienti cymbalo comparantur? qui in modum tinnientis æramenti, uel cymbali præclara magis quæque appetunt sonare, quàm facere: nec erubescunt à seipsis aliter uiuendo, quàm prædicant discrepare: qui ut quoquo modo turpitudinem suæ conuersationis obnubulent, honesta prædicare

*al: dicente
1. Cor. 13.

non cessant: non ut auditores sui eorũ prædicatione proficiant, sed ut ipsi C uideantur curare, quæ prædicãt. Sed uideamus quæ his adnectat Apostolus: Si habuero, inquit, prophetiã, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiã: & si habuero omnẽ fidẽ, ita ut montes transferã: charitatẽ autem non habuero, nihil sum. Non ad hoc ista dicit, quasi aliqua bona sine charitate habere aliqui non possint: sed quia nihil prosint habentibus ea, si à charitate defecerint. Ipsa autem & hic necessaria est, ut omnia bona, summum bonum charitatis habẽtibus prosint: & ibi eis etiam perfectior permanebit, cùm omnes perseuerãtes in se ad uisionẽ Dei perduxerit. Cæterum prophetia, & mysteriorũ omniũ notitia, uel sciẽtia, necnon & ipsa fides, uel cætera talia, quæ nõ perfectioni fidelium, sed fragilitati necessaria iudicantur, in illa sancta perfectione sanctorum, quò in charitate radicati contendũt, peruenientibus necessaria esse non poterunt, cùm illis incomparabiliter meliora, ac perfectiora successerint: quia nec ꝓphetia ibi opus erit, cùm ad illud, quod futurum promittebat, impleta perduxerit: nec scientia, quæ uelut lucerna quædam in huius seculi nocte fideles illuminat, cùm in illius uitæ die perpetuò Sol uiuus iustis effulserit: nec mysteriorũ notitia, aut ipsa fides necessaria erit, quãdo ad ea, quæ per mysteriũ significabãtur, & credebanť, ex fide perfectio Christiana peruenerit. Charitas uerò hîc quidẽ necessaria est, quæ nos separat à diabolo, purificat à peccato, recõciliat Deo: sed ibi perfecta erit, cùm perfectos Deo, à quo est donata, cõiunxerit. Adhuc Apostolus laudẽ diuinæ charitatis amplificãs, D

Ibidem. adiungit, & dicit: Si distribuero in cibos pauperũ omnes facultates meas, & si tradidero corpus meũ, ut ardeat: charitatem autem nõ habeam, nihil mihi prodest. Nec immeritò: Si enim non quid, sed propter quid faciamus, in illa ultima examinatione quærendum est, eleemosynæ, uel traditiones corporis in mortem, quid proderunt non habentibus charitatem? Ipsa ergo habenda est, ipsa sectanda, sine qua nec eleemosynæ, nec occisio corporis, nec illa omnia superius dicta, uel alia quæuis bona perducunt

Gal. 5. aliquos ad salutem: quia quælibet actio bona uel passio, nisi ex fide, quæ per dilectionem operatur, extiterit, nobis prodesse non poterit. Quapropter nihil eis peccati damnabilis remanere poterit, nec deerit aliquid boni, quibus charitas, omnis inquinamẽti mundatio, & bonorum omnium

1. Cor. 13. mater affuerit: quoniamquidem si charitas patiens est, benigna est: si non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem ueritati: si omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, & eos in quibus fuerit, omnibus his bonis quæ habet impertit, quid illis esse potest in hac uita perfectius, qui tantis abundant charitate in se regnante uirtutibus? Proinde quando uidemus aliquos patientiæ mole fundatos, inconcussum pectus sæuientibus malis opponere: abundãtia sanctæ benignitatis affectos, bonum suum uelle cum omnibus habere cõmune: non aliquibus ardẽtibus inuidiæ facibus

coqui

A coqui, non agere perperam, sed simpliciter cum omnibus, quibuslibet puritatem exhibere: nullo fastu perniciosæ uanitatis inflari: nihil eorum, quæ sunt aliena, crimine cupiditatis ambire: quæ sua sunt, piæ cõmunionis bono non quærere: nulli malum, quibuslibet irritatus iniurijs, cogitare: non super * alicuius, aut sui operis iniquitate, sed de ueritate gaudere: *al's: alicuius aduersi operis omnes inquietos, uel inquietudines, fundata animi trãquillitate, sufferre: post hanc uitam pœnas diuinitus comminatas credere metuẽdo, præmia promissa sperare gaudendo, reuelationẽ filiorum Dei desiderare fortiter sustinendo. quando ergo uidemus hæc, & talia bona aliquos posse: nouerimus, non eos magnitudine uirtutis suæ posse, quod uolunt ardenter, & faciunt: sed de beneficio illius charitatis, quæ non est ex nobis, sed diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Rom. 5.

Quantum perfectionis charitas in se fundatis exhibeat.

CAP. XV.

Ergo si charitatẽ Deo exhibeamus, & proximo, de corde puro, & conscientia bona, & fide nõ ficta, facilè peccato resistimus, bonis omnibus abundamus, seculi blandimenta contemnimus, & omnia quæ difficilia sunt humanæ fragilitati, uel aspera, etiam cum * delectatione perficimus: si tamen Deum charitate perfecta, quæ nobis ex illo est, ex toto corde, ex tota anima, & ex totis uiribus diligamus. Ex ea enim parte quis peccat, ex qua minus diligit Deum. Quem si ex toto corde diligamus, nihil erit in nobis, unde peccati desiderijs seruiamus. Et quid est diligere Deum, nisi illi occupare animum, concipere fruendæ uisionis eius affectum, peccati odium, mundi fastidium, diligere etiam proximũ, quem in se censuit diligendum, in ipso amore seruare legitimum modum, nec peruertere dilectionis ordinem constitutum? Ordinem dilectionis illi peruertunt, nec modum diligendi custodiunt, qui aut mundum, qui contemnendus est, diligunt, aut corpora sua minus diligenda, plus diligunt, aut proximos non sicut seipsos, aut Deum plus quàm seipsos fortè non diligũt. Sed de mundo, quòd diligi omnino non debeat, ipsius Dei nostri per sanctum Ioannem apostolum uox est, dicentis: Nolite diligere mundum. Corpus autem nostrum, quia pars nostri est, ad hoc nobis diligendũ, ut saluti eius, ac fragilitati naturaliter cõsulamus, & agamus quatenus spiritui ordinatè subiectum, ad æternam salutem, accepta immortalitate, & incorruptione perueniat: non suis uoluptatibus diffluendo, animæ rigorem sibi cedentis emolliat, puritatem polluat, & totam dignitatem suæ delectationis morbo corrumpat. Proximos autem tunc diligimus sicut nos, si non propter aliquas utilitates nostras, non propter sperata beneficia uel accepta, non propter affinitates uel consanguinitates, sed propter hoc tantum, quòd sunt naturæ nostræ participes, diligamus: quia non eos sicut nos ipsos amamus, quando propter illa superius dicta diligimus. Neque

Marginal notes: 1. Timoth. 1. — *al's: dilectione — Deut. 6. — B — Matth. 22. Luce 10. Marci 12. — 1. Ioan. 2.

enim ideo proximum tanquam seipsum diligit quisque, quia sibi frater, C
aut soror, pater aut filius, mater aut filia, nepos aut neptis est: Carnaliter quippe amat, qui taliter amat: quoniam non illi tantum proximi nostri credendi sunt, quos nobis gradus sanguinis iungit, sed proximi nostri credendi sunt, omnes homines naturæ nostræ, sicut dixi, participes. Nam si propinquos nostros, quamuis incompositos, turpes, ac malè moratos plusquàm quoslibet sanctos, quos à nobis secundum sanguinem uocamus extraneos, diligamus: non solùm carnaliter diligimus, sed etiam grauiter in tali eorum dilectione peccamus. Proinde secundum nos proximos omnes diligimus, quando ad mores bonos, & ad æternam uitam consequendam, sicut nobis saluti eorum consulimus, quando nos in eorum peccatis ac periculis cogitamus: & sicut nobis subueniri optamus, ita eis pro uiribus subuenimus: aut si facultas defuerit, uoluntatem subueniendi tenemus. Quapropter hæc est proximi tota dilectio, ut bonum, quod tibi conferri uis, uelis & proximo: & malum, quod tibi nolis accidere, nolis & proximo. Illi uerò plus, quàm se, diligunt Deum, qui pro eius amore suæ ad tempus saluti non parcunt, seipsos tribulationibus ac periculis tradunt, nudari facultatibus proprijs, patriæ suæ extorres fieri, parentibus & uxoribus ac filijs suis renunciare parati sunt, & ut totum dicam, ipsam corporis mortem non solùm non refugiunt, sed etiam libenter excipiunt, ambientes à corporis sui uita magis, quàm à Deo, uita uitæ suæ, discedere. Iste igitur nobis dilectionis ordo seruandus est, iuxta illud D
Cantic. 2. quod dicit spiritus sanctus: Ordinauit in me charitatem: ut sicut ordinata charitas poscit, Deum principaliter diligamus: & propter ipsum, in ipso ea, quæ diligenda sunt, tantum, quantum ipse præcipit, diligamus.
Leuit. 19. Matth. 22. Ipse enim præcipit, ut corpora nostra propter nos, proximos sicut nos, & ipsum plus diligere quàm nos, debeamus: ita sanè, ut eis quos nobis coniunctiores familiaritas facit, si eos fama non reprobat, & uita commendat, nos amplius impendamus, omnium profectus nostros esse credamus, & de aliorum peccatis tanquam de nostris misericorditer lugeamus. Sic ergo possunt in hac uita illi esse perfecti, qui perfectè diligunt Deum. Et illi perfectè Deum diligunt, qui uolendo, quod uult Deus, & nolendo, quod non uult, nec ullis peccatis quibus offenditur adquiescũt: & semper se ad uirtutes, quas ipse dignatur donare, diligendas & habendas, extendunt. Hi sunt, qui omnia bona quæ implere potuerint, ab illo se adiutos ut possint, ueraciter credunt: quicquid mali commiserint, uitio suæ uoluntatis adscribunt: quicquid boni non potuerint implere, ab illo, ut possint iugiter, petunt: cùm potuerint, illi gratias agunt. Bona eius quæ fuerint consecuti, etiam alijs conferri socialiter uolunt, & usque in suos inimicos dilectionis suæ latitudinem porrigentes, hoc omnes cupiunt esse, quod ipsi sunt. Satis de uitijs, eorumq; remedijs disputatum: nunc iam qualiter unaquæque uirtus possit adquiri, breuiter disseramus.

De qualit

A

De qualitate uirtutis, & qualiter sibi consentientes informet.

CAP. XVI.

OMnis sancta uirtus res est diuina, incorporea prorsus, atq; mundissima: quam mentes inquinatæ non inquinant, sed ipsa inquinatas emaculat: cuius participatione formantur informia, suscitantur mortua, sanantur infirma, corriguntur praua, reconciliantur auersa. Hanc non habet nisi Deus, & is cui dederit Deus. Quæ in animo habitat, sed animum corpusq; sanctificat: ad quam nullus accedit inuitus, quam nullus amittit, nisi propria uoluntate deceptus. Nemo eam sibi conferre potest, cum possit auferre: alteri autem nec conferre præualet, nec auferre. Itaq; cùm talis ac tanta uirtus cuilibet inter uoluptates suas adhuc marcescenti refulserit, atq; ei ad se concupiscendam desiderium salubre commouerit, protinus in animo eius duarum delectationũ contrariarum rixa consurgit: & mentem uoluntas aduersum se ancipiti delectatione diuisam, in diuersa ducit, ac reducit, modò reprehendendo quod elegerat, modò quod reprehenderat eligendo: atq; ita in alterutrum latus se cogitationum uarietate uersantẽ, ipsa uelut uirtutis ac uitij tepida medietas, uexat ac lacerat. Quoniã quidem quemlibet hominem, donec se in eo quod elegerit certa definitione confirmet, quandiu modò non uult, quod uolebat, modò

B uelle incipit, quod nolebat, uelut in quodam deliberationis incertæ biuio constitutum, discerpit ipsa diuersitas uoluntatũ. Hinc eum uirtus admonet suæ salutis, & uocat: inde consuetudo uitiosa discedere à se uolentem remoratur, & reuocat: & paulisper à se auerso, nec ad uirtutem plenè conuerso, usitatæ uoluptatis admonitione blãditur: & omnes illecebras, quibus olim perditè fruebatur, ostendit. Turpia quoq; desideria quibus uinciatur immittit, ac iam penè fastidienti blandum nescio quid molliter insusurrat: & supplicat, ne præponat mollibus dura, lætis tristia, certis dubia, præsenti uoluptati futura: cogitet quàm pœnale sit, atq; difficile, dulcibus carere delitijs, illecebris renunciare carnalibus, abstinentiæ iugis grauari laboribus, ieiuniorum ac uigiliarum continuatione torqueri, certa carnis afflictione præmium dubiæ remunerationis ambire, cõtra diabolum decipiendi peritum resistendo arma corripere, insidias eius ac fraudes uigilantis animi cautione uitare: quàm deinde miserum sit enormitate tantæ asperitatis euictum, ac diabolica fraude deceptum, ad repudiata redire, uoluptatibus quas abiecerat frui, & omnibus, quæ incautè laboriosum suscipiendo propositum contempserat, delectari. His & talibus uitiosa consuetudo, dubiũ sanctæ definitionis affligit. Virtus contrà, quæ continentia nominatur, morantem confidenter obiurgat, ad delectationes puras, castasq; delitias, quibus fruuntur omnes sui amatores, inuitat: offert nudo iustitiæ uestimentum: illuminato sui apparatus demonstrat ornatum: diffidenti de se protectionis suæ promittit auxilium: hortatur & prouocat, ut

cat, ut definitionis ambiguitate deposita, propositum spirituale susci- C
piat: perseueraturum se in suscepto labore propositi sui, non sua possibi-
litate, sed domini miseratione confidat: nec suis uiribus, sed gratiæ omni-
potentis fretus auxilio, contra diabolicas impugnationes uictricia arma
corripiat: cogitet quanti, & quantæ potuerunt, & possunt, quod se posse
desperat: unde illi, uel illæ potuerunt, inde se posse firmiter credat: certa
spe spiritualia carnalibus, & terrenis cœlestia, & futura præsentibus an-
teponat.

Quibus gradibus conuersi in culmen perfectionis ascendant.

CAP. XVII.

CVm uerò quis persuasione ac pulchritudine uirtutis illectus aliquantulum à priore conuersatione recesserit, statim ei alia tentatio, contra quam luctetur, occurrit. Nam quē carnalis uoluptas superata dimiserit, mundi uanitas occupabit: sicut nobis illi exemplo sunt, qui delectationē sibi satiuæ libidinis interdicunt, & uentosæ uanitatis licentiam suæ uoluptati permittunt: turpitudini concubitus contradicunt, & ambitioni succumbunt: utuntur delitijs ac uestibus accuratis ad luxuriam, comatulis pueris, ac potentibus equis ad pompam, accipitribus ac saginatis canibus ad uenatum, uenationibus crebris ad luxum, & ad ambitiosi apparatus iactantiam necessarium mentiuntur ornatum: Iam ridere effusè, D uocem procacibus cachinnis attollere, turpes iocos libenter audire, aliorum pœnam, suam facere fatigando lætitiam, urbanos quosque quamuis turpes, explere delitijs, seruos necessarijs indigentes abijcere, domos amplissimas & ornatas extruere, facultates suas indesinenter augere, alienis peruadendis si possibilitas patiatur inhiare, non rem cupiditatis, sed nescio cuius utilitatis existimant: ut illa, quæ dixi, uel alia multa similia, non solùm libenter exerceant, sed etiam hinc eos obiurgātes irrideant: ineptire credentes illos, qui licita & usitata nobilibus, crimine ambitionis infament. Sed qui hoc quoque malum diuinitus adiutus euicerit, & spiritualis continentiæ uiribus fultus omnia, quibus potest à perfectione retardari, calcauerit, mentem suam sanctæ uirtutis, studio bonæ uoluntatis inclinauerit, tunc delectabiliter, ac deuotè nutus omnes reginæ uirtutis in se regnantis obseruat: ac sic cum Deo suo unus spiritus factus, nihil aliud agit semper aut cogitat, nisi unde clarior ac nobilior fiat, & oblectationes uitiorum omnium puris delectationibus uincat.

Quæ sit quaternarij numeri credenda perfectio: & quòd quatuor uirtutes, quæ dictæ sunt principales, ex fide uiuentes à Deo collatæ iustificent.

CAP. XVIII.

Videamus

A VIdeamus nunc, an uera sit philosophorum illa sentẽtia, qua quatuor uirtutes, uelut quosdam uirtutum omnium fontes: uitia quoq; quatuor, uelut quasdam origines omnium malorum definiunt. Principales quatuor esse uirtutes non solùm philosophi sentiunt, sed etiam nostri cõsentiunt. Sed quare quatuor, uel quæ sint opera singularum, hoc domino illuminante debemus breuiter demonstrare. Quaternariũ numerum perfectioni sacratum, penè nullus ignorat. Siquidem totus orbis Oriente & Occidente, Aquilone & Meridie, quatuor determinari partibus siue angulis inuenitur: & ipse Adam qui est humani generis pater, uel generale nomen, quod dicitur homo, quatuor literis explicatur. Corpus quoque quatuor elementis extructum, quaternarij numeri in se continet sacramẽtum. Ipsius etiam animæ quatuor esse affectiones, quibus uel ad bona utimur, uel ad mala, & antiqui subtiliter inuenerunt, & eorum inuenta probantes posteri susceperũt. Sed & quatuor flumina, quæ de Paradisi fonte procedunt, uel quatuor Euãgelia, diuini currus rotæ quatuor, & animalia, alæ eorum quatuor ac facies, dignitatem numeri huius abunde cõmendant: & ideo uirtutes istæ quæ tantum continent perfectionis in numero, sollicitè considerare debemus, quantam sanctitatẽ conferant animo Christiano, & quàm nihil perfectionis usquam sit, quod in istis uirtutibus non sit. Nam si temperantia facit temperantem, prudentia prudentem, iustitia iustum, fortitudo fortem, eo qui temperanter, & iustè, & prudenter agit
B ac fortiter, nescio quid posit deesse perfectius. Itaq; difficile quidem est nobis nomina uirtutum, quæ ex illis quatuor, quas principales diximus, oriuntur ostendere: sed cùm proprietates, & actus earum cœperint aperiri, ex ipsis affectionibus singularũ, quæ uirtutes ex quibus existant, forsitan apparebit. Veruntamẽ hoc in primis nosse, & tenere debemus: quòd istæ quatuor uirtutes, uel omnes quæ ex illis existunt, dona sint Dei: & quòd nullus eas habet, habuit, aut habebit, nisi cui Deus, qui est omnium uirtutum proprietas & origo, contulerit: quoniam quicunq;, quocunque tempore, in quacunque gente in Deum credentes ex fide uixerunt, illius dono temperantes ac prudentes, iusti ac fortes fieri utiq; potuerunt. Qui autem nescientes Deum, uel etiam blasphemantes, sine fide uixerunt, nihil earum uirtutum à Deo accipere, uel habere potuisse credendi sunt.

Gene. 2.
Ezech. 1.

De temperantiæ qualitate, uel opere.

CAP. XIX.

SEd iam uideamus, quæ sit proprietas singularum. Temperantia temperantem facit, abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, tacitum, serium, uerecundum. Hæc uirtus si in animo habitat, libidines frænat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, uitiosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, ordinata corroborat, cogitationes prauas remouet, inserit sanctas, ignem libidinosæ uoluptatis extinguit, animi teporem desiderio futuræ remunerationis accendit, mentem placida tranquillitate

litate componit, & totam semper ab omni uitiorum tempestate defendit. C
Temperantia intemperantiam nostram ad honestum modum redigit in cibo ipso uel potu, ut contenti simus appositis, ne poscamus impudenter, quod aut ille, qui poscitur, non fortè habeat: aut alios quod desiderio nostro placet offendat: aut gulæ nostræ intemperãs appetitus appareat: nec iudicemus eos, qui uolũt cibis, quos ipsi percipimus, abstinere: nec eis uerecundiã faciamus, qui ea quibus ipsi abstinemus, fortè percipiũt, & Deo gratias agunt: certi quòd satis miserum sit, aliquos de cibi uel potus perceptione damnare, aut nobis arrogare per abstinentiã sanctitatem. Temperantiæ est quòd reuerentiam senioribus exhibemus, æquales germanitus honoramus, iunioribus gratiam paternæ dilectionis impendimus, quòd præstamus loquenti seniori silentiũ, quòd ipsius ad loquendũ præstolamur imperium, quòd non adtollimus immoderatum in collocutionibus sonum, quòd risui prorumpere non permittimus in cachinnũ, quòd nulli detrahimus, nec detrahentes æquanimiter sustinemus: scientes, quòd tam illi qui detrahunt, quàm illi qui detrahẽtibus adquiescunt, uanitatis morbo corrupti sunt. Qui ad hoc alios uiles uideri uolunt, ut se commendent eorum comparatione quos carpunt, & uideãtur ea uitia non habere, quæ malitiosè in aliis reprehendunt: quod malum temperantia tollit, cui qui seruire uoluerit, non quod reprehendat in fratribus, sed unde Deum laudet adtendit. Ac per hoc ipsius temperantiæ est, quòd non solùm temperantes in omnium membrorum officiis sumus: sed etiam quòd omnia libenter, quæ nos moderatos ac sobrios faciunt, obseruamus. Sed de temperantia hæc dicta sufficiant, ut & de fortitudine disseramus. D

Quales esse debeant, quos animi fortitudo nobilitat.

CAP. XX.

ANimi fortitudo ea debet intelligi, quæ non solùm diuersis pulsata molestiis inconcussa permaneat, sed etiam nullis uoluptatum illecebris resoluta succumbat. Alioquin si impetus quidem malorum sæuientium frangat: si calamitatibus quibuslibet impactis obsistat: si inter iniuriarum sæua, inter procellas angentium pressurarum, inter inimicitias ac damna præsentia, atque multimodas persecutiones infatigata persistat: & tamen de ipsa se aduersariorum sustinentia iactet, nec de dono Dei, quo illustratur, exultet: sed carnaliter se de uulgi fauore, quo prędicatur, oblectet: plusque gaudeat ex eo, quòd laudatur, quàm ex eo, quòd habet, unde laudetur: & per hoc humanam laudem diuinis * muneribus anteponat: quis dubitet hanc animi intentionem uirtutem dici non posse? Quæ si uirtus esset, fortiter etiam blandimẽtis talibus repugnaret, nec adquiesceret mollibus, quæ adiuuante domino, dura quæque uel aspera superasset. Quosdã nanque insuperabiles asperis passionibus facit mundi cupiditas: in quibus non patientia laudanda est, sed miranda duritia. Eos uerò quos ad tolerantiam passionum fortes Dei charitas reddit, nulla delectatio carnis, nulla

*alias: operibus

A nulla uoluptas malè blanda corrumpit: quoniam si non quid, sed propter quid patiamur, plurimum refert, non in eis patientia est, qui æquanimiter patiuntur angentia, sed in eis tantùm, quos fortiter facit sustinere iustitia. Denique dominus non ait, Qui persecutionem patiuntur, & tacuit, *Matth. 5.* sed adiecit, Propter iustitiam: ut euidenter ostenderet, quòd patientiam ueram non facit pœna, sed causa: & ideo beatitudinem nõ persecutionem patientibus, sed propter iustitiam patientibus repromisit. Quòd si ita est, superandorumque malorum sustinentia, tunc est uera patientia, si fuerit iusta: & in eis iusta est patientia, quorum nec doloribus, nec uoluptatibus cedit mentis inuictæ constantia. Sed hæc animi fortitudo ab illo est nobis, cui cum propheta cantamus: Fortitudo mea, & laus mea dominus, & factus *Esa. 12.* est mihi in salutem. Fortitudo nostra est, quia ita nos contra omnia uitia inuicta protectione corroborat, ut animum nostrum nec blanda dissoluant, nec aduersa deijciant: & tunc laus nostra dominus fit, si non nos de muneribus Dei, sed diuina in nobis cupiamus munera prædicari. Nec illi suam possunt iactare uirtutem, quibus dominus factus est in salutem. Is ergo cui dominus est animi fortitudo, nullis carnalibus desiderijs cedat, nullis uoluptatibus adquiescat, ambitionem ac popularem gloriam uincat. Non eum pecuniæ amor addicat, non acerbitas passionum damnorumque subijciat. Sit illi Deus laus tota, perfecta gloria, * delectatio pura, **alij: dilectio* spes certa, securitas firma, possibilitas sana, sanitas incorrupta: ut ei quic-
B quid carnalibus placet, in hoc mundo displiceat: quicquid preciosum uidetur esse, uilescat: quicquid nitidum, futurorum contemplatione sordescat: nec ab his quæ iam per gratiã Dei elisit, se patiatur elidi: quia & turpius uidetur animum ab his uitijs uinci, quæ uicerat: & nihil ei profit aliqua superesse, si alicui, quod neglexerit superare, subiaceat: quãdo nõ ille fortis haberi solet, qui in adeũdis laboribus periculisque claruerit, aut frænandis uoluptatibus ac domandis institerit: sed ille magnus & sublimis, ille potens atque dignus fortitudinis appellatione censendus est, qui nihil sibi uitij rebellare, aut dominari permiserit, modò absit ignauia, ne nos id desperemus posse, quod possumus: absit præsumptio uitiosa, ne nobis hoc, quod per Dei gratiam possumus, ascribamus: quia siue de munere Dei, quo fortes efficimur, desperemus: siue nos de nostra possibilitate iactemus, idonei ad resistendum uitijs esse non possumus. Et utique animi fortitudo tam desperandi ignauiam debet excutere, quàm iactantiæ contrà ire.

De iustitia, uel fide, quæ ex ipsa procedit.

CAP. XXI.

HActenus de uirtute, cui nomen est fortitudo, disputauimus: uideamus iam quid etiam iustitia nobis afferat in hac uita præsidij, & qualiter ipsa quoque in eorum pectoribus, qui se illi tradiderunt, nullis uitiorum ualeat impugnationibus superari. Fides enim, quæ est iustitiæ fun-

damentum, quam nulla bona opera præcedunt, & ex quo omnia procedunt: ipsa nos à peccatis omnibus purgat, mentes nostras illuminat, Deo reconciliat, cunctis participibus naturæ nostræ consociat, spem nobis futuræ remunerationis inspirat: auget in nobis uirtutes sanctas, ac nos in earum possessione confirmat. C

De æquitate, quòd ad eandem pertineat humanæ societatis utilitas.

CAP. XXII.

EX iustitia manat & æquitas, quæ nos facit, ut omnium necessitates hominum nostras esse dicamus: nec nobis tantùm, sed etiam generi humano nos natos esse credamus: & quicquid cuilibet homini nocere potest, tanquam si nobis noceat euitemus: quia qui homines sumus, nihil humani à nobis alienum putare debemus. Siquidem belluarum est, sibi uiuere, nec suas utilitates in commune conferre. A' quibus non solùm mentis prærogatiua, sed etiam seruata iuris æqualitate distamus, si nos in omnium commodis uel incommodis cogitantes, sicut nostris utilitatibus, ita omnium sociorum utilitate naturæ nostræ uiuamus. Deinde si inuicem persequi, lacerare, uel perdere, ferarum est proprium: quis dubitet excellentiæ humanæ competere, ut se alterutrum iuuent, instruant, ædificent, & utilitatem communem, tanquam propriam, curent? Vnde datur intelligi, quòd qui opprimendis, ac decipiendis hominibus nati persistũt, D in mores ferinos, non naturæ, sed uitæ mutatione degenerent.

Terentius in Heauton.

Quòd duo sint iniustitiæ genera.

CAP. XXIII.

DVo sunt iniustitiæ genera: unum quo iniurias irrogamus, alterum quo ab alijs irrogatas, cum possumus propulsare negligimus. Quodammodo enim nos opprimimus, quando oppressos defendere, cum possumus, ab oppresione cõtemnimus. Nec mihi aliquid prodest, quòd non circumuenio aliquem, neque decipio, si decipi, aut circumueniri permitto. Hoc idem de peccatis licet intelligi: quia si peccantem uideo, & nõ solùm non arguo, sed etiam ei peccanti consentio, participem me damnationis eius efficio: & in omnibus peccãtibus pecco, quando eos, quos scio peccasse, siue peccare, quadam crudelis animi malignitate non increpo. Nec uerò audiendi sunt illi, qui se dicunt propterea delinquentes obiurgare non posse, ne eos, qui se emẽdare noluerint, sibi faciãt inimicos. Qui dum parcunt eorum uoluntati, saluti non parcunt. At si non ex iactantia, sed ex misericordia, & cum quadam pietate compatientis animi castigemus, & illi nos sentiant non minus peccatis suis moueri, quàm nostris, aut in bonum statum reformati, nobiscum Deo gratias agunt: aut si eos in peccato tenet adhuc peccandi dulcedo, & salutem suam nobis curæ esse cernẽtes, malum reddere pro bono uoluerint, malle debemus eorum inimicitias

A micitias,qui noluerint emendari,contrahere: quàm Dei offensam, dum peccantes palpamus,incurrere.Sed de his quoniam in libro secundo plura iam diximus,reliquas iustitiæ partes, ut cœpimus, exequamur. Cap.1. & 2.

De liberalitate, & qualiter beneficentiæ opus debeat exerceri.

CAP. XXIIII.

DE iustitiæ adhuc fonte procedunt liberalitas, beneficentia, charitas, & cætera eiusmodi, quibus multipliciter iuuari homines possunt. Liberalitas quæ etiam in eos, qui nihil indigere uidentur, exuberat: in qua liberalitate rei familiaris ponitur amplitudo. Beneficentiæ multa sunt opera, quibus necessitati laborantium misericorditer subuenitur, & de terreno censu regni cœlestis hæreditas comparatur: si modò absque ulla ostentatione opus beneficentiæ fiat,nec nos ad misericordiam faciendam turpis amor gloriæ popularis impellat. Inuenti sunt quidam qui diuersis quidem diuersorum necessitatibus subuenirent, sed aut appetitu comparandæ opinionis impulsi,aut carnali pietate commoti,aut spe recipiendi quod darent,aut reddendi quod accepissent, necessitate constricti sunt. Aliquos ad largiendum aliquid in pauperes sola mouet uersata cupiditas: qui ad hoc aliqua erogant, ut hic maiora recipiant: & quicquid eis uelut pauperum pastoribus datum fuerit erogandum,esuriẽtibus illis, B pro quibus sustentandis accipiunt,totum,aut propè totum quod acceperint,in suas uoluptates expendunt: & quod est deterius, inter munificos ac misericordes haberi, uel etiam præ illis prædicari, turpiter concupiscunt. Ab his omnibus,& horum similibus,longè diuersi sunt illi, qui nõ se in operibus suis, sed Deum cupiunt prædicari: quos ad opus bonum spes futuræ remunerationis adducit: & ipsum solum uolunt habere sui operis testem,à quo se recepturos credũt totam fidei firmitate mercedem.

De differentia amorum, & quantum ab eis differat perfecta dilectio.

CAP. XXV.

ITaque iam de charitate,unde plura in hoc libro suprà disserui, quia locus exigit,hic quoque pauca perstringam. Taceo de carnali amore, qui incipiens à coniugio manat in filios: quia talem amorem cum pecoribus habemus, bestijsque communem. Propinquorum etiam prætereo: quia & ipse adhuc ad carnem pertinere uidetur, & sanguinem. Nec de illo aliquid dico, quo etsi amicos amamus,tamen etiam ipse refertur ad aliquod commodum temporale. Non quòd hi amores honesti non sint, cùm sint omnibus naturales: sed quòd his omnibus sit ille incomparabili diuersitate præstantior, quo Deum diligimus gratis, & amicum. Cæterùm qui amicum propter commodum quodlibet amat, non amicum conuincitur amare,sed commodum. Et utique qui aliquem propter rem temporalem

quamlibet amauerit,cum res ipsa temporalis defierit esse, amare cessabit. C
Qui autẽ diligit propter Deum,sicut Deus æternus est,ita in æternũ ipsa amici dilectio permanebit. Et ideo Deus, quo nihil est maius aut melius, propter quid diligatur? Propter seipsum perfectè diligitur. Si uerò saltem propter illa quę præstat, amatur,non utique gratis amatur:quia iam illud propter quod diligitur,ei, quod dictu quoque nefas est, antefertur. Ipse quippe est omnibus amatoribus suis uita beata, ac salus æterna, & regnum,gaudiumq; perpetuum. Hæc accipient,qui Deum diligunt:quia solus erit illis omnia,quando ipse fuerit in omnibus omnia.

Quid sit cuique sua tribuere.

CAP. XXVI.

QVapropter si in hac uita iustitiam conamur implere, cuius iustitiæ opus est proprium,sua cuique tribuere, Deo nos,à quo sumus facti, reddamus:nec dominari ea nobis, quibus naturaliter præpositi sumus, permittamus.Dominetur uitijs ratio, subijciatur corpus animo, animus Deo,& impleta est hominis tota perfectio.Ac per hoc & nos iustitiæ facti participes,sua cuiq; tribuimus,si inferioribus & uirtutibus carnalia oblectamenta subdamus: & sicut uiuentia uita carentibus, sensibilia uiuentibus,intellectualia sensibilibus,immortalia mortalibus, ratiocinãdo præponimus:ita bene uiuendo uoluptuosis utilia, utilibus honesta, honestis sancta,sanctis perfecta omnia præferamus. Veruntamen nec corpus spiritui,nec appetitus obtemperare poterit rationi, nisi Deus qui ipsum spiritum creauit, & corpus, delectatus cogitationibus nostris requiescat in nobis: ac tanquam uerus agricola in agro suo, sic in corde nostro proficiat, ut quicquid in eo fides plantat, deuotio rigat, ipse ad incrementum consummatæ maturitatis adducat: atque ita nobis uoluntariè sibi subiectis desideria mala subijciat, ut ex ipsis actibus nostris, qui sit habitator noster,& cuius in nobis fiat uoluntas,appareat. D

Quòd actualem uitam tres uirtutes, id est, temperantia, fortitudo, iustitiaq; consumment: & prudentia, quæ est quarta uirtus,menti cognitionem rerum latentium præstet.

CAP. XXVII.

HIc est ordo naturæ atque iustitiæ, quem qui tenere uoluerit & obseruare, perfectionem uitæ actualis implebit. Cui actuali uitæ tres illæ uirtutes (de quibus quæ dicẽda * iussa sunt, Deo donante dixi) proficiũt. Siquidem temperantia & animi fortitudo, atque iustitia spiritualis est actio,sine qua nihil omnino ualet illa, quæ ad prudentiam uidetur pertinere cognitio:quia nihil nobis proderit implenda didicisse, nisi ea quæ didicimus,studeamus implere.Ergo uis animi,quæ in appetitũ rationemq; diuiditur

*al: uisa

A diuiditur, ad perfectionem bonæ actionis implendam, cognitionemq́ rerum latentium consequendam, his quatuor uirtutibus, unde etiam iam diu disseruimus, adiuuatur. Quarum tribus, temperantia scilicet & animi fortitudine atque iustitia informatur ipse appetitus, ut actio fiat. Prudentia uerò rationem, quæ est acies mentis, illuminat: ut & ratio appetitũ gubernet, & rationi appetitus obtemperet. Nam uirtus omnis (sicut ueteribus placet) tribus in rebus uerè uersatur. Quarum una est in perspiciendo, quid in qua re uerum, sincerumq́ sit, quod prudentiæ munus est proprium, de qua loco suo uidebimus. Altera quæ animi perturbatos affectus, quos Græci dicunt πάθη, coërcet, ac temperat, ut omnes appetitiones, quas illi ὁρμὰς uocant, rationi obedientes efficiant. Tertia, ut his, quibus congregamur, uti uelimus ad eorum salutis & nostræ plenitudinem capiendam. Quæ omnia ad reliquarum trium uirtutum pertinere uidētur officium, ex quibus temperantia & fortitudo plurimum ualent in coërcendis animi perturbationibus ac frænandis, quas perturbationes nonnulli passiones, alij ægritudines uocant. Quibus modificatis, & quadam temperantiæ ac fortitudinis lege compositis, omnes uirtutes in homine suo creatori subiecto, sine ullis uitiorum contradictionibus regnant.

B

De sociali uirtute, & quòd non rectè faciant, qui cùm possint, nihil humanæ societati proficiunt.

CAP. XXVIII.

IVstitia uerò qua fiunt iusti, qui eam fuerint operati, socialis quædam uirtus accipitur, eò quòd ipsa beneficijs, quę alijs pręstat, augetur. Quis enim non eo ipso proficit, quo proficere alium cupit? Quis non misericordem sibi Deum facit, qui misericors erga laborantes uel errantes extiterit? Aut quomodo non augebit in se omnia bona sua, qui ea non solùm non inuidet habentibus, sed etiam non habentibus, in quantum potest, diuinitus inspiratus impertit? Ex quo uidendum est, utrum iustè faciant illi, qui se remouentes ab occupationibus cunctis, ac studijs spiritualibus offerentes, nihil humanæ societati proficiunt: & desideria sua commodis omnium præferentes, utilitatem communem desideratæ uacationis electione contemnunt: cùm profectò laborantibus opem ferre nolle, cùm possis, & cõmuni bono posthabito, otiosa quiete frui, nihil habeat æquitatis. Cui æquitati qui seruiunt, omnes omnium bono uiuunt, ac uelut sibi inuicem nati, salutem mutuam tuentur, ac diligunt. Ac per hoc contra iustitiã faciunt hi, qui merito suæ conuersationis uel eruditionis electi, otiosum studium fructuosæ utilitati regendæ multitudinis anteponunt: & cùm possint laboranti ecclesiæ subuenire, operosæ administrationis laborem, fruendæ quietis contemplatione refugiunt. Sed quoniam sunt multi, qui se impares tantæ sarcinæ norunt: tales iustè se, etiam quæsiti, non offerunt: ne uideantur non ecclesiasticos labores uelle suscipere, sed

honores ambire: cùm dignitas ecclesiastica nec ambienda sit, nec uitanda. C
Qui uerò præesse, & prodesse populis possunt, si quæsiti non fuerint, iustè seipsos percipiendæ sapientiæ studijs tradunt. Veruntamen si & illi, qui lucris per se proficientium crescunt, & isti qui in se ipsis sub Deo suo sapientiæ spiritualis perceptione proficiunt, in proposito suo permaneāt, itineribus quidem diuersis incedunt, sed ad unam patriam tendunt, & ad unum regnum disparibus militantes officijs, Christo rege omnium uocante, perueniunt. Quis enim nescit, quòd sicut otiosum studium ineffabilem suauitatem sapientiæ cœlestis infundit à carnalibus otioso: ita spiritualis occupatio laborum sanctorum multiplices afferat fructus humanæ societatis utilitatibus occupato? In ipsis quoque studijs spiritualibus quantum possint ecclesiastici uiri proficere, quis sufficienter enumeret? cùm & inferiores docendo, seipsos exerceant: & conferendo cum æqualiter eruditis, cautiores in pluribus fiant: & ab eruditionibus audiendo, malè sibi persuasa deponant: recta firmius teneant: occulta cognoscant: & confirmentur in eis, quorum dubijs fluctuabant? Sed quoniam disputationis ordo deposcit, ut etiam de prudentia, quæ principalis uirtus quarta ponitur, pauca dicamus, de iustitia sufficiant ista, quæ diximus.

Quòd de prudentiæ, ac sapientiæ fonte, cognitionem omnium rerum bibant, qui percipiendæ scientiæ feruenter inuigilant. D

CAP. XXIX.

PRudentiam, ac sapientiā plerique indagatione ueri, & inuentione constituunt. Credo propterea, quòd nec sapiens ritè dici possit, cui prudentia, nec prudens, cui sapientia desit. Quapropter si nihil aliud prudētiæ ac sapientiæ munus accipitur, nisi inquisitio, & comprehensio ueritatis, qui ueritatem prudenter quærere, & sapienter inuenire poterit, is prudens, is sapiens iure uocabitur. Hoc idcirco præmiserim, ut quicquid de prudentia fuerit disputatum, id totum etiam de sapientia dictum possit intelligi: quia ita sibi hæ duæ uirtutes implicatæ sunt, & unitæ, ut una quælibet earum sine altera non possit esse: ut nec imprudens sapientia, nec insipiens possit dici prudentia. Si ergo tota humanæ uitæ perfectio in actione, & cognitione consistit: sicut in plerisque actionem temperantiæ, ac fortitudinis, atque iustitiæ consummatione probauimus: ita cognitionem rerum prouenire consecutione prudentiæ comprobemus. Cognitio rerum, quæ de prudentiæ fonte confertur, spirituales omnes à carnalibus uitijs defecatos illustrat, & ab omni delectatione noxiæ curiositatis auersos desiderio contemplandæ uirtutis inflammat, ut humanarum rerum, diuinarumque scientiam consecuti, prudentes, ac sapientes ueraciter fiant, prospiciant imminentia mala simul & caueant: nec putant ulla esse mala, nisi ea quæ malos efficiant: nec eis ullæ perturbationes, uelut ignaris earum, modestiæ aliquid, aut tranquillitatis excutiant: inter fallentia

& bona

A & bona solida discernant: nihil in hoc mundo casu aut iniustè, sed omnia Deo uolente, ac permittente fieri prudenter accipiant: aliter intelligentes aut doceant sapienter, aut arguant: dolores uarios ac diuersas infirmitates, quæ mortaliter uiuentes affligunt, non semper peccatis præcedentibus sequi, sed plerunq; ex ipsa conditione mortalitatis accidere corruptibiliter natis intelligant: & scientes se non damnari aduersis præsentibus, sed probari ex ipsa tolerantia passionum: occasionem comparandæ sibi patientiæ uiriliter agentes arripiant: nec ipsi alijs noceant, nec sibi nocere permittant. Tales dominus in Euangelio fieri præcepit: Estote prudentes, sicut serpentes: & simplices, sicut columbæ: quia nec simplices circumuenire aliquos possunt, nec prudentes se circumueniri permittunt. Cæterùm si in contractu quolibet, siue in colloquio, uel in alia quaq; re, se decipi quisq; non sinit, & alium tamen ipse decipiat, iste non habet prudentiã, quæ salutis magis, quàm perditionis est causa: sed simulat. Quoniam quidem hæc uirtus à uitio distat, quòd illud corrumpit sana, hæc sanat uitij accessione corrupta: ac sic, aut omnibus quibus potest prodesse festinat ueraciter prudens, ut eius meritis omnium, qui per eum Deo adquiruntur, fructus accrescat: aut si cogitat de perditione cuiuspiam, uel de casu pereuntis exultat, necesse est ut prius pereat ipse, quàm alium perdat: & ab ipso ea perditio, qua perire alium cupit, incipiat.

Matth. 10.

B *Quòd prudentes nec alijs noceant, nec sibi noceri permittant: & quòd eis ibi sit sine admixtione alicuius erroris consummata prudentia, ubi erit sine ullo peccato uita perfecta.*

CAP. XXX.

Hi ergo, qui prudentiæ participes, prudentes effecti, Deo suo non pedibus, sed sanctis moribus appropinquant: & ex ea parte, qua sunt dono Dei prudentes, nec suo perire possunt, nec alieno peccato. Ex eo autem quòd necdũ ita est eorum perfecta prudentia, sicut in illa uita erit, ubi perfectè uiuẽtibus ullus error obrepere omnino non poterit, etiã prudentes aliquoties peccatis fallentibus adquiescunt: non uoluntate deprauati, sed humano errore, ut homines, lapsi, nec adhuc tota prudẽtiæ perceptione perfecti, sicut ibi erunt, ubi nec ignorare aliquid, nec peccare iam poterunt. Hîc uerò si potuisset à peccato rectè factum perfectè discerni, nunquam ab occultis suis oraret ille mundari, qui ait: Ab occultis meis munda me domine: & ab alienis parce seruo tuo. Quibus uerbis satis ostendit, quòd illi quoq;, qui sanctè secundũ donum sancti spiritus uiuunt, tamen propter aliquas infirmitates humanas, quas trahunt, siue scientes, siue nescientes, aliquoties aut suo peccato cedunt, aut alieno consentiunt. In hac igitur uita, ubi aut uoluntate, aut errore, aut infirmitate peccatur, quicũq; diuinitus adiuti uoluntate non peccant, utiq; irreprehensibiliter uiuunt. Psalm. 18.

Sed quia poteſt eos error, aut infirmitas peccatis inuoluere, ab illo ſe illuminari fideliter poſtulent, & ſanari, cui exultans ille clamabat in ſpiritu, dicens: Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem trepidabo? ut cum illuminatio per donum prudentiæ, ac ſapientiæ collata, detraxerit cæcitatē, & ſanauerit per gratiā Dei ſalus refuſa languorē: tunc mens illuminata diuinitus & ſanata, nec in eis quæ cauenda, uel appetēda ſunt humano decipiatur errore, ut aut pro ueris falſa defendat, aut pro falſis uera reijciat: & ſine ullo infirmitatis obſtaculo bonum, quod elegerit, implere præualeat. Sed alia eſt ſalus huius uitę, qua mortaliter uiuitur: alia illius, ubi mortale noſtrum immortalitate donabitur: & aliter ſalui facti ſumus in ſpe, aliter ſalui erimus in re. Hîc ita ſalui facti ſumus, ut adhuc perire poſsimus: ibi quicūq; ſaluus fueris, perire ultrà non poteris: ac per hoc ſcientia, quæ cognitionē rerum nobis in huius ſeculi nocte uiuētibus præſtat, plenitudini futuræ collata, pars ſcientiæ eſt credēda, non tota: propter quod dicit ſanctus Apoſtolus: Ex parte enim ſcimus, & ex parte prophetamus: cùm autem uenerit quod perfectū eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Hîc euacuari aſſerit, illic cōſummari: quoniā quidem pars ſcientię eſt perficienda, perfectaq; non euacuāda eſt, ſed implenda. Proinde ibi erit omniū fideliū catholicorum ſalus plena, corruptibilitas nulla, & immortalitas beata: ibi erit prudentiæ ac ſcientiæ perfectio uera, rerum omnium cognitio tota, quando ſcientia ad perfectum fuerit partis euacuatione perducta.

Pſalm. 26. — 1. Cor. 13.

De affectionibus quatuor, quòd inter uitia numerari non debeant, ſi earum uſus ex bona uoluntate procedat.

CAP. XXXI.

VIdeamus nunc, quid diligentia diſputationis inueniat etiam de quatuor affectionibus, quas uitia eſſe ſtultitia ſapientiū mundi huius exiſtimat. Nam ſi timere, ac dolere, cupere, uel lætari omnino nō poſſent, niſi peccatores, aut perditi, rectè non affectus aliqui poſſent dici, ſed morbi. At cùm tales animorum metus inueniantur in ſanctis apoſtolis & prophetis, quis ita deſipiat, ut eos uitia credat, ex quibus Deo placuerunt illi, qui uitijs pluſquàm cæteri homines reſtiterūt? Itaq; Paulus apoſtolus de timore ſic loquitur: Timeo autem, ne ſicut ſerpens ſeduxit Euam ſua aſtutia, ſic & ueſtri ſenſus corrumpātur à caſtitate, quæ eſt in Chriſto. Item de cupiditate fiducialiter dicit: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Sed & de triſtitia, quam alij dolum appellant, idem uas electionis & doctor gentium ait: Quia triſtitia magna mihi eſt, & continuus dolor cordi meo pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem. Sed & de lætitia ad Romanos ſcribens, cùm dixiſſet, Veſtra obedientia in omnem locum diuulgata eſt: Gaudeo, inquit, de uobis, ſed uolo uos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo. Hunc timorem, uel dolorem, hanc cupiditatem, hoc gaudium qui reprehendere uoluerit, ipſum reprehendit Apoſtolum, qui per tales affectiones non ſolùm Deo placuit, ſed etiam

2. Cor. 11. — Philipp. 1. — Rom. 9. — Rom. 16.

A etiam quosdam inter criminosos, quod esset sine culpa, culpauit. Sed & propheta dicendo, Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi. & ex perso- Psalm. 121.
na domini, Sustinui qui simul mecum contristaretur, & non fuit; talem Psalm. 68.
lætitiam, tristitiamq́ commendat. Cùm uerò alius dicit, Timor domini Eccle. 1.
expellit peccatum, & concupiscentia sapientiæ perducit ad regnum: non Sapien. 6.
solùm non reprehendit, sed etiam laudat spiritualis concupiscentiæ & diuini timoris effectum. Non ergo has affectiones habendo, sed eis malè utendo delinquimus: quia humanorum affectuum proprietas, hominis indicat creatorem: qualitas bonam uel malam significat uoluntatem: ac sic motus hi, qui in hominibus affectiones sunt, eidem ipsi in bene utentibus uirtutes, & in malè uiuentibus passiones, siue perturbationes, aut, ut quidam uolunt, ægritudines fiunt. Nec audiendi sunt Stoici, qui eas penitus eradicari posse, & debere contendunt: quoniam omnino nullus est sensus, ubi timendi uel dolendi, cupiendi siue gaudẽdi nullus inuenitur affectus. Denique quasi & ipsos pœniteret suæ sententiæ, excepta tristitia, quam cadere in sapientis animum negant, reliquos affectus nominibus immutatis inesse sapientibus dicunt, cautionem pro timore, pro lætitia gaudium, & uoluntatem pro cupiditate ponentes: quasi sapiens non timeat, sed caueat: & uelit, non cupiat: nec lætetur in hac uita, sed gaudeat. Non autem credunt eius contristari animum, quòd tristitia, quæ accidere solet ex com misso peccato, sapientem, quem putant nullum habere peccatum, stimula-
B re non possit aliqua recordatione peccati. Quod esse uanissimum domi- Matth. 26.
nus noster secundum carnem natus ostendit, qui & tristis fuit, & fleuit. Luc. 19.
Nec tamen ea tristitia qua tristis fuit, ei ex peccatis suis accessit, qui sine peccato conceptus & natus, non solùm non peccauit, sed etiã peccare non potuit. Vt autem de suis literis istorum reuincantur ineptiæ, qui putant sapientem contristari uel dolere non posse, legant illud quod eorum doctissimus ait: Nam omnino non dolere, non sine magna mercede contin- Cic. 3. Tusculan.
git immanitatis in animo, stuporis in corpore. De timore autem, quem Quæst. de indolentia.
illi ponunt in malo, scriptura nostra loquitur, dicens: Timor domini san-
ctus permanens in seculum seculi. Sed quod uerè fatendum est, ab illo Psalm. 18.
alio timore pœnali distinguitur, de quo dicit Apostolus: Timor non est 1. Ioan. 4.
in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Quia ille peccare uolentes deterret à malo, & inuitos tenet in bono: iste autem de quo dicit propheta, Qui sine timore est, non potest iustificari: magis incremen- Eccle. 1.
to * ueritatis augetur: & aliter quis timet, ne malum, quo puniatur, incur- *als: charitatis
rat: aliter, ne bonum, quo delectatur, amittat. Non igitur omnis timor haberi debet in uitio, sed ille tantùm, de quo scriptum est, Quia timor pœnam habet. Cæterum iste, de quo dicitur, Timor domini expellit pec- 1. Ioan. 4.
catum. &, Qui sine timore est, non potest iustificari. &, Timor domini sanctus permanens in seculum seculi: non est inter uitia numerandus, sed potius intelligendus est uitijs inimicus. Iam illud quod dicunt, Boni uolunt, mali cupiunt: uel, boni gaudent, mali lætantur: quis sanæ mentis admittit

admittit animo, quis ſana mente non redarguat, cùm & ſcriptura noſtra C
Eccle. 7. hominem malæ uolũtatis increpet, dicens: Noli uelle mentiri omne mendacium. & Tullius orator ampliſsimus cupiditatem ponat in bono, ubi
Tul. lib. 1. Inuectiuarũ in Catil. dicit, Cupio, patres conſcripti, me eſſe clementem. & apud illos Vergilius
Verg. lib. 6. Aen. gaudium uituperet, dicens: Hi metuunt, cupiuntq;, gaudentq;, dolentq;. item cum in malum malæ mentis gaudia apud nos, & bonæ lætitia pona-
Pſalm. 31. tur in bonum, propheta dicente: Lætamini in domino, & exultate iuſti. Proinde omnes iuſti & tota morum ſanctitate perfecti ſine aliqua Stoicorum diſtinctione ſuperflua timent & cauent, uolunt & cupiunt, lætãtur & gaudent, contriſtantur & dolent. Sed intereſt multũ, quid timeant aut caueant, uelint aut cupiant, unde lætentur aut gaudeãt, contriſtentur aut doleant. Metuunt hæreditatẽ regni cœleſtis amittere, cupiunt ad cœleſtẽ patriam peruenire. Dolent tentati, gaudent de tentationibus liberati: ac per hoc recta mens rectos hos habet affectus, peruerſos peruerſa. Sanctus Auguſtinus epiſcopus acer ingenio, ſuauis eloquio, ſecularis literaturæ peritus, in eccleſiaſticis laboribus operoſus, in cotidianis diſputationibus clarus, in omni ſua actione compoſitus, in expoſitione ſua fidei noſtræ catholicus, in quæſtionibus abſoluendis acutus, in reuincẽdis hæreticis circumſpectus, & in explicãdis ſcripturis canonicis cautus: ipſe ergo, quem in his libellis pro poſsibilitate ſecutus ſum, hanc quæſtionem de qua agitur, hoc
Auguſt. lib. 14. de ciui. dei, ca. 9. modo determinat, dicens: Sed cum rectam rationem ſequuntur iſtæ affectiones, quando ubi oporteat adhibentur, quis eas tunc morbos, & uitioſas paſsiones audeat dicere? Quas affectiones ut ex mortalitatis cõditione nobis ineſſe monſtraret, & huic uitæ neceſſarias, non futuræ, poſt aliquanta idem adiungit, & dicit: D
Ibidem. Etſi iam rectas habemus has affectiones, huius uitæ ſunt, non illius, quam futuram ſperamus.

Quòd hi affectus, ſine quibus in hac uita rectè non uiuitur, in illa futura beatitudine non ſint, quæ nec timorem habitura eſt, nec dolorem.

CAP. XXXII.

AC ſic niſi ex cõditione noſtræ infirmitatis nobis ineſſent affectus iſti, nunquã plerunq; dolẽdo uel flendo eis crederemus inuiti. Sed idcirco eos huic neceſſarios uitæ ſentimus: quia in hac mortalitate ſine eis omnino rectè non uiuimus: quando ſi non timeat quiſq; uel caueat, ne aut ipſe quandiu mortaliter uiuit, aut alius, quem in Chriſto diligit, fide ſua deficiat, ſi nec de ſuo, nec de proximi ſui peccato contriſtetur, nec doleat, de profectu lætetur, aut gaudeat, ſi nihil boni uelit, aut cupiat, non ſolùm rectè non uiuit, ſed etiam ſenſum ipſius humanitatis amittit. In illa autem uita beata, ad quam conſumpta omni corruptibilitate, ac mortalitate perueniunt, quicunque ibi futuri ſunt, ubi nec fletus ullus poteſt eſſe, nec gemitus, habebunt omnes ſancti amorem perfectum, timorem nullum, & gaudium ſempiternum. Ibi eis erit uoluntas recta, cupiditas nulla, quoniã fruendo

A fruendo cœlestibus bonis, ad quæ peruenire cupiebant, nihil eis deerit, quod ulterius concupiscant: & in illa regione perpetuæ securitatis ac pacis perfectè beati, nec timoris stimulos passuri sunt, nec doloris. Sed timor ille, non quem charitas foras mittit, sed quem charitas nutrit, ideo fortassis in seculum seculi permanebit: quia in seculum seculi permanebunt illa, ad quæ timor ipse perduxerit.

Qualiter uirtutes quatuor, quæ dictæ sunt principales, aut in præsenti nos à peccato defendant, aut in æternum nobiscum sine ullo peccato permaneant.

CAP. XXXIII.

PORrò illæ uirtutes quatuor, de quibus pauca perstrinxi, etsi ibi erunt, longè tamen alio modo quàm in hac uita sunt, ubi contra uitia sine intermissione confligunt, & pro ipso ancipiti dubiæ conuersationis euentu, modò negligentes, qui sibi nolunt obedire, destituunt: modò ad alios, quibus displicent sua peccata, uel accedunt Deo miserante, uel redeunt. Nam ibi & si erit temperantia, non ut desideria mala uel uitia refrænet, aut uincat: sed ut eos, quos hic ab intemperantiæ impugnatione defendit, ibi perficiat, ut ex omni parte perfectis præmij sui beata perceptio perfe-
B ctè sufficiat. Ibi enim & animi fortitudo, nõ ut aliqua mala propulset, aut æquanimiter ferat: sed ut sine ullis malis beatos fortiter in æterno bono contineat. Ibi in omnibus perfectis erit perfecta iustitia, non ut inter uirtutes discernat, & uitia, ubi nec ipsa erunt iam corpora uitiosa: sed ut perfectis præmia tribuat sempiterna. Quod tunc fiet, quando omni concupiscentia carnali consumpta, nec aduersus carnem spiritus, nec caro aduersus spiritum concupiscit: sed animus Deo subiectus, cum carne sibi subie- Gal. 5.
cta in pace sempiterna regnabit, & creatori suo in æternum feliciter adhærebit. Iam prudentia, quæ hîc quoque habetur clara, ubi in ænigmate quosdam prudentes illuminat, qualis ibi erit, ubi ueritatem perfectis, quos hic eius inquisitio delectabat, sine ullis figuris fallentibus demonstrabit, ut prudentiæ ac sapientiæ plenaria perceptione diuinitus illustrati, omnia illa, quæ hîc perfectè cupiebant nosse, nec poterant, sine ullo impedimento corruptionis ac mortalitatis agnoscant: & non solùm omnium creaturarum rationem, sed etiam ipsam sui creatoris eminentiam facie reuelata conspiciant.

Vbi se de toto opere locutor excusat.

CAP. XXXIIII.

ITaque, si placet, huius quoque libelli iam terminus fiat: ne amplius iusto productus, non solùm de sui squalore, sed etiam de nimia prolixitate displiceat. Hoc sanè omnes, qui hæc lecturi sunt, contestor, & obsecro, ut quicquid

quicquid in rebus ipsis, quæ utcunq; digestæ sunt, reprehensionis inue- C
nerint, uitio meæ rusticitatis ascribant, & mihi dignanter indulgeāt. Qui dum studeo præceptū iubentis implere, etiam maiora uiribus meis præsumpsi suscipere. Ea autem, quæ secundum fidem catholicam dicta pro-
Iacob.1. bauerint, deputent Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & pro his omnibus mecum gratias agant. Cæterum de accuratione dictionis elucubratæ nō satago, nec mihi pudoris est, si disputatio mea, quæ fortè probatur in rebus, aliquos uerborū inanium sectatores horrore incomptæ orationis offendat: quia quod ab homine doctore studendo non didici, id exhibere loquendo non potui. Et tamen cum sententiarum uiuacitatem sermo ex industria cultus eneruet, & totam uim dictorū splendor elaboratus euacuet, quis non iudicet me affectationem compositionis debuisse contemnere, etiam si eam potuissem uelut dicendi peritus implere? Quapropter ea mihi uisa est compositio satis ornata, quæ conceptiones animi cum necessaria quadam perspicuitate proferret: non quæ illecebris auriū deseruiret. Ea est enim, nisi fallor, iudicata Latinitas, quæ breuiter & apertè obseruata duntaxat usitatorum uerborum proprietate res intelligendas enunciat: non quæ uernantis eloquij uenustate atq; amœnitate luxuriat: & prudentibus uiris non placent phalerata, sed fortia: quando non res pro uerbis, sed pro rebus enunciandis uerba sunt instituta. D

FINIS LIBRI TERTII D. PROSPERI DE VITA CONTEMPLATIVA.

A D. PROSPERI AQVITANICI DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO EPISTOLA AD RVFINVM.

DOMINO FRATRI DILECTISSIMO IN CHRISTO, ET MERITO VENERABILI RVFINO, PROSPER AETERNAM DICIT SALVTEM.

ACCEPI per communem amicum fraternæ erga me ſolicitudinis tuæ ſigna, & curam ſincerißimę charitatis gratulanter agnoui. Ac nequid maligni rumores, inquãtum ſe auribus tuis ſubtrahere nequeunt, formidinis tibi aut anxietatis inferrẽt, abſoluere te ab omni ſcrupulo, quantum epiſtolari licuit ſermone, curaui: intantum
B ſtudens omnia plenißima ueritate tibi pandere, ut quia non potuiſti in totum, quę ab aduerſantibus diſſeminantur, audire: per meipſum queas, quicquid de nobis ad inanem inuidiã fertur, referturq́, cognoſcere. Sed inſinuanda prius ſanctitati tuæ eſt qualitas quæſtionis, de qua iſta naſcuntur: quo tibi magis pateat falſitas obloquentum: & uideas quam lucem quibus tenebris conentur obducere.

PELAGIANA igitur hæreſis, quo dogmate catholicam fidem deſtruere adorta ſit, & quibus impietatum uenenis uiſcera eccleſiæ, atq; ipſa uitalia corporis Chriſti uoluerit occupare, notiora ſunt, quàm ut opere narrationis indigeant. Ex his tamen una eſt blaſphemia nequißimum & ſubtilißimum germen aliarum, qua dicunt, GRATIAM DEI SECVNDVM MERITA HOMINVM DARI. Cùm enim primùm tantam naturæ humanæ uellẽt aſtruere * ſanitatem, ut per ſolum liberum arbitrium poſſet aſſequi Dei regnũ: eò quòd tam plenè ipſo conditionis ſuæ præſidio iuuaretur: ut habens naturaliter rationalem intellectum, facilè bonum digeret, malumq́ uitaret: Et ubi in utraque parte libera eſſent opera uoluntatis, non facultatem his qui mali ſunt ad bonum deeſſe, ſed ſtudium. Cùm ergo, ut dixi, totam iuſtitiam hominis ex naturali uellent rectitudine, ac poßibilitate ſubſiſtere, atque hanc definitionem doctrina ſana reſpueret, damnatum à catholicis ſenſum, & multis poſtea hæreticæ fraudis uarietatibus coloratum, hoc apud ſe ingenio ſeruauerunt

* alś: ſanctitatem

uauerunt, ut ad incipiendum, & ad proficiendum, & ad perſeuerãdum in C bono neceſſariam homini Dei gratiam profiterentur. Sed in hac profeſſione, quomodo uaſa iræ molirentur irrepere, ipſa Dei gratia uaſis miſericordiæ reuelauit. Intellectum eſt enim, ſaluberrimeq́; perſpectum, hoc tantum eos de gratia confiteri, quòd quędam libero arbitrio ſit magiſtra, ſeq́; per cohortationes, per legem, per doctrinam, per creaturam, per contemplationem, per miracula, perq́; terrores extrinſecus iudicio eius oſtẽdat, quo unusquiſq; ſecundum uoluntatis ſuæ motum, ſi quæſierit, inueniat: ſi petierit, recipiat: ſi pulſauerit, introeat. Quia ſcilicet gratiæ ipſius uocatio, hoc primùm circa nos agat, ut noſtræ facultatis arbitrium admoneat, nec aliud ſit gratia, quàm lex, quàm propheta, quàm doctor, cui circa omnes homines per uniuerſum mundum commune & generale ſit ſtudium, ut qui uoluerint credant, & qui crediderint, iuſtificationem meritò fidei & bonæ uoluntatis accipiant: ac ſi gratia Dei ſecundum hominum meritum tribuatur. Atque hoc modo gratia non ſit gratia. Quia ſi meritis redditur, & non ipſa eſt bonorum creatrix, fruſtra gratia nominatur.

Has autem uerſutias, quibus ſe filij tenebrarum, in ſimilitudinem filiorum lucis transfigurare uoluerunt, cum & Orientalium Epiſcoporum iudicia, & Apoſtolicæ ſedis autoritas, & Aphricanorum conciliorum uigilantia deprehenderit: beatiſsimus quoq; Auguſtinus, pręcipua utique in hoc tempore portio domini ſacerdotum, copioſè, & pulchrè, in multis uoluminũ diſputationibus deſtruxit: utpote inter multa Dei dona, quibus D illum abundantiſsimè ſpiritus ueritatis impleuit, habens etiam hanc ſciẽtiæ & ſapientiæ ex Dei charitate uirtutem, ut non ſolùm iſtam adhuc in ſuis detruncationibus palpitantem, ſed etiã multas prius hæreſes inuicto uerbi gladio debellaret. Cui inter tot certaminũ palmas, inter tot triumphorum coronas, ad illuminationẽ eccleſiæ, & ad gloriã Chriſti, qua ipſe illuſtratus eſt, perfulgenti, quidã noſtrorũ (quod de ipſis multum dolendum eſt) occultis, ſed nõ incognitis ſuſurrationibus obloquunt̃. Et prout ſibi obnoxias aliquorũ aures, opportunasq́; repererint, ſcripta eius, quibus error Pelagianorũ impugnatur, infamãt: dicẽtes, eum liberũ arbitriũ penitus ſubmouere, & ſub gratiæ nomine neceſsitatẽ prædicare fatalem. Adijcientes etiã duas illũ humani generis maſſas, & duas credi uelle naturas, ut ſcilicet tantæ pietatis uiro Paganorum & Manicheorum aſcribatur impietas. Quæ ſi uera ſunt, cur ipſi tam negligẽtes, ne dicã tam impij, ſunt, ut tam abruptã perniciem ab eccleſia nõ repellant? tam inſanis prædicationibus nõ reſiſtãt? nec ſaltẽ aliquibus ſcriptis eum, à quo talis emanat doctrina, cõueniant? Magna enim gloria ſua humano generi cõſuluerint, ſi Auguſtinũ ab errore reuocauerint: niſi fortè modeſti homines, nouiq́; cenſores, magnorũ prius meritorũ ſeni honorabiliter ac miſericorditer parcũt, & ſecuri, quia libros eius nemo uſq; recipiat, cõquieſcũt, atque ignouerint. Imò nouerũt, nõ ſolũ Romanã, Africanamq́; eccleſiam, & per omnes mũdi partes uniuerſos promiſsionis filios cũ doctrina huius uiri,

ſicut

A sicut in tota fide, ita in gratiæ confeßione cõgruere. Sed etiam in ipsis his locis, in quibus aduersus eum querimonia cõcitatur, esse, propitio Deo, plurimos, qui ad perceptionẽ Euangelicæ Apostolicæq; doctrinæ, saluberrimis eius disputationibus imbuuntur, & cotidie in membris corporis Christi, in quantũ ea ipse multiplicat, dilatantur. Si recte reprehendimur, cur nõ cõstanter arguimur? Si arguendi non sumus, cur occulta obtrectatione mordemur? Sed quis nescit, cur ista priuatim de stomacho garriant, & publicè de cõsilio conticescant? Volentes enim in sua iustitia magis, quàm in Dei gratia gloriari, molestè ferunt, quòd his, quæ aduersum excellentißimæ autoritatis uirũ, inter multas collationes asseruere, resistimus. Nec dubitant, si quam hinc mouerint quæstionem, in qualibet frequẽtia sacerdotum, in qualibet cõgregatione populorum, centenis sibi beatißimi Augustini uoluminibus obuiandũ. Quæ cùm cordibus audiẽtium manifestare cœperint, potentißimã Christianæ fidei ueritatem, & de fontibus diuini eloquij præsentium animos inundare, quis fidelium, quis piorum, recognitis & cõmendatis sibi salutis suæ causis, amaritudinẽ istã uolet fumosæ recipere uanitatis? Ego quidem etiam hoc de diuitijs misericordiæ Dei spero, quòd quos nunc libero falli arbitrio suo, & ab humanitatis uia patitur euagari, nõ usquequaq;, neq; in finem sit intelligẽtia fraudaturus: Sed hũc ipsum in longinquiora ꝓgressum, ideo ab eo tardius reuocari, ut opus gratiæ eius maiore gloria celebretur, cũ sibi etiã aduersantiũ corda subdiderit, quibus de uirtutũ studio exortũ est periculũ, & de mo-
B rum probitate discrimẽ. Nõ quia quisquã carere his debeat, sed quia miserrimus eorũ usus est, cum ex naturali putãtur facultate prodisse, aut ex largitate quidẽ gratiæ, sed aliquo uel boni operis, uel bonæ uolũtatis merito præcedente uenisse. Asserũt quidẽ hæc quibusdã sanctarũ scripturarum testimonijs, sed nõ rationabiliter adsumptis. Ad defensionẽ enim alicuius definitionis ea promenda sunt, quæ alteri intellectui, à quo uidetur definitio dissonare, nõ cedant, & eam regulã, cui sunt aptata, nõ deserant. Dictum ergo aiunt libero arbitrio utẽtibus: Venite ad me oẽs qui laborantis, & onerati estis, & ego uos reficiã. Tollite iugũ meũ super uos, & discite à me, quoniã mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiẽ animabus uestris. Iugũ enim meũ suaue est, & onus meũ leue. Quod ad oẽs homines uolunt pertinere, laborantes in incerto istius uitæ, oneratosq; peccatis: ut qui uoluerint mansuetudinẽ & humilitatẽ saluatoris imitari, & iugũ mãdatorũ eius subire, inueniant requiem animabus suis in spe uitæ æternæ. Qui autem hæc facere noluerint, sua culpa careant salute: quam si uoluissent, potuerint obtinere. Sed audiant & dictum à domino libero arbitrio utentibus: Sine me nihil potestis facere. &, Nemo uenit ad me, nisi pater, qui misit me, adtraxerit eum. &, Nemo potest uenire ad me, nisi datum ei fuerit à patre meo. &, Sicut pater uiuificat mortuos, ita & filius, quos uult, uiuificat. &, Nemo nouit filium, nisi pater: neq; patrem quis nouit, nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Quæ omnia cùm sint incommutabilia,

Matt. 11. *Ioan. 15.* *Ioan. 6.* *Ioan. 5.* *Luce 10.*

& nequeant ulla interpretatione in sensum alium detorqueri, quis ambi- C
gat tunc liberum arbitriũ cohortationi uocantis obedire, cum in illo gra-
tia Dei affectum credendi obediendiq; generauerit? Alioquin sufficeret
moneri hominẽ, non etiã in ipso nouã fieri uoluntatẽ: sicut scriptum est:
Prou. 21. Præparatur uoluntas à domino. Et sicut ait Apostolus: Deus est enim qui
Philip. 2. operatur in uobis & uelle, & perficere pro bona uoluntate. Pro qua bona
uoluntate, nisi quam in ipsis operatus est Deus? ut quod donauerat uelle,
donaret & facere. Dicunt etiã ad demonstrandam liberi arbitrij facultatẽ,
magnum in Centurione Cornelio extare documẽtum: eò quòd ante gra-
tiæ perceptionẽ timens atq; orans Deum, eleemosynis & ieiunijs & ora-
tioni spontaneo studio fuerit intẽtus. Atq; ob hoc diuino testimonio lau-
datus, donum regenerationis acceperit. Neq; intelligunt omnẽ illã præ-
parationem Cornelij per Dei gratiã fuisse collatam. Siquidem cum san-
ctus Petrus per uisionẽ omne genus animaliũ de baptizando Cornelio,
ac perinde de omnibus gentibus doceretur, atq; ille immundum & indi-
scretum cibum Iudaica obseruãtia recusaret, trina ad eum uox facta sit, di
Actu. 10. cens: Quæ Deus mundauit, tu ne cõmune dixeris. Quo satis apertè ostẽ-
ditur, omnia bona opera, quæ in Cornelio præcesserunt, Dei gratia ad
emundationem ipsius inchoasse: ut cui dominus iam impertierat hoc do-
num, nõ dubitaret Apostolus conferre sacramẽtum: ne nouæ, & necdum
reuelatæ uocationis uacillaret exordium, nisi per ipsa indicia præceden-
tium studiorum, Deum in adsumendis constaret operatum. Non enim D
omnium est fides, nec omnes credunt Euãgelio: Sed qui credũt, Dei agũ-
tur spiritu: qui non credunt, libero auertuntur arbitrio. Conuersio ergo
nostra ad Deum, nõ ex nobis, sed ex Deo est: Sicut Apostolus dicit: Gra-
Ephe. 2. tia salui facti estis per fidem, & hoc non ex uobis, sed Dei donum est: & nõ
ex operibus, ne quis glorietur. Agnoscat se humana debilitas: & in primo
homine uniuersarũ generationũ damnata succesio: & cum mortui uiuifi-
cantur, cum cæci illuminantur, cum impij iustificãtur, confiteãtur uitam,
& lumen, & iustitiam suam Iesum Christum. Et qui gloriatur, in domino
glorietur, non in se. Qui cum esset impius, & cæcus, & mortuus, à libera-
tore suo gratis accepit & iustitiam, & lumen, & uitam. Nõ enim iustè age-
bat, & aucta est iustitia eius: nec ad Deum gradiebatur, & confirmatus est
cursus eius: nec diligebat Deum, & inflammata est charitas eius. Sed cum
esset sine fide, ac perinde impius, accepit spiritum fidei, & factus est iustus.
Rom. 1. Iustus autẽ ex fide uiuit: &, Sine fide nemo potest placere Deo: &, Omne,
Heb. 11. quod nõ est ex fide, peccatum est: ut scilicet intelligat iustitiam infidelium
Rom. 14. non esse iustitiam: quia sordet natura sine gratia. Amissa quippe naturali
innocentia, homo exul ac perditus ambulans sine uia, profundiores in-
trabat errores: sed quæsitus & inuentus, & reportatus est, & in uia, quæ
ueritas & uita est, introductus ad dilectionem in Deum, qui illum non di-
ligentem prior dilexit, agnitus est: sicut dicit beatus Apostolus Ioannes:
1. Ioan. 4. Nõ quasi nos dileximus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos. & iterum:
Nos

A Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. Et idem dicit: Charissimi, diligamus inuicem, quoniã charitas ex Deo est. Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non nouit Deum: quia Deus charitas est. Cui beatus Paulus congruit, dicens: In Christo Iesu, neque circumcisio, neque præputiũ ualet aliquid: sed fides, quæ per dilectionem operatur. Vnde habetur hæc fides connexa charitati, nisi unde eam ipse monstrat acceptam? dicens: Quia uobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro ipso patiamini. Quod utique fieri sine magna charitate non poterat. Et iterũ: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Sine qua charitate Apostolus, quantã fidem, quantamque scientiam, quas uirtutes, quæ studia, quos labores, nihil prodesse testatur? Quia scilicet multa laudabilia atque miranda possunt in homine reperiri, quæ sine charitatis medullis habent quidẽ pietatis similitudinem, sed nõ habent ueritatem. Hoc ergo tanto & tam ineffabili bono, nemo inuentus est dignus. Sed quicunque electus est à Deo, factus est dignus: sicut dicit Apostolus: Gratias agentes patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarũ, & transtulit in regnũ filij dilectionis suæ. Et idem ad Timotheum: Conlabora, inquit, Euangelio secundũ uirtutem Dei, qui nos liberauit & uocauit uocatione sancta: non secundum opera nostra, sed secundũ suum propositum, & gratiam, quæ

B data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia. Et ad Titum: Eramus, inquit, & nos aliquando insipientes & increduli, errantes, & seruiẽtes desiderijs & uoluptatibus uarijs, in malitia & inuidia agẽtes, odibiles, odiẽtes inuicem. Cum autẽ benignitas & humanitas apparuit saluatoris nostri, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus, sed secundũ suã misericordiam saluos nos fecit. Gratia igitur Dei quoscunque iustificat, nõ ex bonis meliores, sed ex malis bonos fecit: postea per profectum, ex bonis factura meliores: nõ adempto libero arbitrio, sed liberato. Quod donec sine Deo solũ fuit, mortuum fuit iustitiæ, uixitque peccato. Vbi autem ipsum illuminauit misericordia Christi, erutũ est à regno diaboli, & factũ est regnum Dei, in quo & permanere possit: ne ea quidẽ facultate sufficit sibi, nisi inde accipiat perseuerantiam, unde accepit industriam. Quoniã & ipsius sancti Petri ardentissima fides in tentationibus defecisset, nisi pro eo dominus supplicasset: sicut Euangelista manifestat, dicẽs: Dixit autem Iesus Petro: Simon Simon, ecce Satanas postulauit, ut uos cribraret uelut triticum. Ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua: & tu tandem conuersus, cõfirma fratres tuos, & roga, ne intretis in tentationem. Et ut magis probaretur liberum arbitrium nihil posse sine gratia: cui dictum fuerat: Confirma fratres tuos, & roga ne intretis in tentationem: quique respondit, utique ex libero arbitrio: Domine tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire: eidem prædicitur, quod prius quàm gallus cantet, ter dominum negaturus sit. Quod quid est aliud, quàm quòd in fide defecturus sit?

Galat. 5. Philip. 1. Rom. 5. 1. Cor. 13. Colos. 1. 2. Tim. 1. Titum 3. Lucæ 22. Lucæ 22.

Certè rogauerat pro eo dominus,ne deficeret fides ipsius. Nec utiq; fru- C
stra rogauerat, cuius unà erat cum eo,quem rogauerat, operatio. Sed ne
libero arbitrio uideretur stare, qui de se magna promiserat, permittitur
periclitari, ut conturbatum ac deficientem ille respiciat,& reficiat,sine
quo nemo consistit, nemo persistit. Ab hac autem confessione gratiæ
Dei, ideo quidam resiliunt, ne cùm eam talem confessi fuerint,qualis di-
uino eloquio prędicatur,& qualis opere suæ potestatis agnoscitur, etiam
hoc necesse habeant confiteri,quòd ex omni numero hominum per secu-
la cuncta natorum,certus apud Deum, definitusq; sit numerus prædesti-
nati in uitam æternam populi, & secundum propositum Dei uocantis
electi.Quod quidem tam impium est negare,quàm ipsi gratiæ contrà ire.
Neq; enim remotū est ab inspectione communi, quot seculis, quàm in-
numera hominum milia erroribus suis impietatibusq; dimissa, sine ulla
ueri Dei cognitione defecerint. Sicut etiam in Actibus Apostolorum,
Actu. 14. Pauli & Barnabæ uerba declarant,dicentium Iconijs: Viri fratres, quid
hæc facitis? & nos mortales sumus similes uobis homines, adnuntiantes
uobis, ut ab his uanis conuertamini ad Deum uiuum, qui fecit cœlum &
terram,mare, & omnia quæ in eis sunt. Quin præteritis generationibus
dimisit omnes gentes ingredi uias suas.Et quidem non sine testimonio se-
metipsum relinquens,benefaciens eis,de cœlo dans pluuiam, & tempora
fructifera,implens cibo & lætitia corda eorum. Cum utique si eis uel na-
turalis intelligentia, uel usus beneficiorum Dei ad capessendam uitam D
æternam sufficere potuisset, nostro etiam tempore rationalis nos con-
templatio, & temperies aëris, & fructuum copia ciborumq;, saluaret:
quia scilicet melius,natura utentes, creatorem nostrum propter cotidia-
na ipsius dona coleremus.Sed absit ab animis piorum, & Christi sangui-
ne redemptorū, stulta nimium & perniciosa persuasio. Naturam huma-
nam non liberat, extra unum mediatorem Dei & hominum, hominem
Psal. 99. Christum Iesum: sine illo nemini salus est. Sicut ipse fecit nos, & non ipsi
nos: ita ipse reficit nos, & non ipsi nos. Ac ne sibi facultas hominis pre-
cium reparationis huius, uel post restitutionem sui, per opera uideretur
iustitiæ repensare,effuderunt se diuitiæ bonitatis Dei in ipsa quorundam
primordia paruulorum: In quibus nec præcedens eligitur, nec sequutu-
ra deuotio, non obedientia, nec discretio, non uoluntas. De his enim lo-
quor, qui mox ut nati sunt, renascuntur: & rapti ab hac uita,
æternæ beatitudini deputantur. Cum tamen innumerabi-
lis multitudo,eiusdem naturæ,eiusdem conditionis,
infantium,sine regeneratione decedat. De qua
dubitari non potest, quòd partem in Dei
ciuitate non habeat. Et ubi est illud,
quod nobis quasi contrarium,
à non intelligentibus sem-
per opponitur?

De

A *De eo quod scriptum est: qui uult omnes homines saluos fieri.*

QVòd Deus omnes homines uelit saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire, Nunquid non sunt de omnibus hominibus, qui à præteritis generationibus usq; in hoc tempus sine Dei cognitione perierunt? Et si maioribus natu (quod non rectè dicitur) mala opera, quæ libero arbitrio commiserant, obfuerunt, quasi boni, non mali gratia liberentur, inter saluatos paruulos, & non saluatos paruulos, quæ meritorum potuit esse discretio? quid istos introduxit in regnum Dei? quid istos exclusit à Dei regno? Equidem si meritum consyderes, non una pars saluari meruit, sed utraque damnari. Quia omnibus in Adæ præuaricatione prostratis, nisi quosdã adsumeret misericors gratia, maneret super uniuersos inculpata iustitia. Quæ autem sit discretioni istius in secreto cõsilio Dei causa uel ratio, & supra facultatem humanæ cognitionis inquiritur, & sine fidei dimi nutione nescitur: modò confiteamur neminem immerito perdi, neminem merito liberari, & omnipotentissimam domini bonitatem omnes saluare, & omnes ad agnitionem ueritatis imbuere, quos uult omnes fieri saluos, & ad agnitionẽ ueritatis uenire. Nisi enim ipso uocante, docente, saluante, nemo uenit, nemo eruditur, nemo saluatur. Quia etsi indifferenter omnibus hominibus iubentur prædicare doctores, & semen uerbi ubiq; disse B rere, tamen neq; qui plantat, neq; qui rigat est aliquid, sed qui incrementũ dat Deus. Vnde cùm Apostoli gentibus Euangelium prædicare cœpissent, de parte quadam eorum, qui audierant, scriptura commemorat, dicens: Audientes autem gentes gauisæ sunt, & glorificabant uerbum Dei, & crediderunt quotquot erant præordinati ad uitam æternam. Et alibi: Cum multæ mulieres audirent Paulum docentem, quædam, inquit, mulier nomine Lydia, purpuraria ciuitatis Tyatyrorum, colens Deum, audiuit: cuius dominus aperuit cor ut intenderet his, quæ dicebãtur à Paulo. Et rursum eo ipso tempore, quo ad omnes gentes prædicatio Euangelij mittebatur, quædam loca Apostolis adire prohibebatur ab eo, qui uult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionẽ ueritatis uenire. Multis utiq; in illa retardatis atque auersis Euangelij mora, sine agnitione ueritatis & sine regenerationis consecratione morituris. Dicat ergo scriptura quod gestum est: Transeuntes autem, inquit, Phrygiam & Galatiæ regionem, uetiti sunt à sancto spiritu loqui uerbum in Asia. Cùm uenissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permisit illos spiritus Iesu. Quid autem mirum, si inter ipsa Euangelicæ prædicationis exordia, non poterãt ire Apostoli, nisi quò eos spiritus Dei ire uoluisset, cùm uideamus plerasque gentes modò primum Christianæ gratiæ fieri cœpisse participes: aliàs autem nullum adhuc odorem boni istius attigisse? An dicendum est, uoluntati Dei humanas obsistere uoluntates, & tam feros, tamq; intractabiles horum hominum mores, ut Euangelium ideo non audiant,

1.Timoth.2. 1.Cor.3. Actuum 13. Actuum 16. Actuum 16.

quia prædicationi, impia corda non pateant? Et quis istis corda mutauit, C
nisi qui finxit singillatim corda eorum? Quis huius rigoris duriciem ad
Matth. 3. obediẽdi molliuit affectum, nisi qui potens est de lapidibus Abrahæ filios
excitare? Et quis dabit prædicãtibus intrepidam, illæsamq́ue constantiam,
Actuum 18. nisi ille, qui ait Paulo: Noli timere, sed loquere, & ne taceas: propter quod
ego sum tecum, & nemo apponetur tibi, ut noceat te: quoniam populus
est mihi multus in hac ciuitate? Puto autem quòd nemo audeat dicere ul-
lam mundi gentem, ullam terræ prætermittendam esse regionem, in qua
Psalm. 2. non sint ecclesiæ tabernacula dilatanda, dicente Deo ad filium: Postula
à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam termi-
Psalm. 21. nos terræ. & iterum: Reminiscentur & conuertentur ad dominum uni-
uersi fines terræ. Et adorabunt in conspectu eius omnes patriæ gentium.
Matth. 24. Dicente quoq́ue ipso domino: Prædicabitur hoc Euangelium in uniuerso
mundo in testimonium omnibus gentibus, & tunc ueniet finis. Quæcũq́ue
ergo gentes nondum audierunt, audient Euangeliũ, & credent quotquot
ex eis præordinati sunt in uitam æternam. Non enim alij uenient in con-
sortium hæreditatis Christi, quàm qui ante constitutionem mundi electi
sunt, & prædestinati atq́ue præsciti, secundum propositum eius, qui omnia
operatur secundum consilium uoluntatis suæ. Confiteamur igitur opera
domini, & glorificemus misericordias eius. Nec impatienter feramus,
quòd, quæ, aut quanta sint electionis uasa, non nouimus. Quia & in ante-
Psalm. 75. rioribus seculis, quando de unius gentis populo dicebatur: Notus in Iu- D
dæa Deus, in Israël magnum nomen eius: futura gentium latebat electio,
& postmodum innotuit, quod reuelatum antè non fuerat: sicut dicit Apo
Ephe. 3. stolus: Quod alijs generationibus, non est agnitum filijs hominum, sicut
nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius, & Prophetis in spiritu, esse gen
tes cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis in Chri-
Actuum 10. sto Iesu. Et in Actibus apostolorum: Obstupuerunt, inquit, ex circũcisione
fideles, qui uenerant cum Petro, quia & in nationes gratia spiritus sancti
effusa est. Si enim hoc cõsilium uocationis suæ dominus, quandiu uoluit,
abscondit, ac distulit, & quãdo uoluit, reuelauit, sanctisq́ue eius ignorantia
ista non nocuit, cur spei nostræ obesse credimus, si in quo numero, qui-
bus'ue hominibus uasa misericordiæ in gloriam præparantur, occulitur?
Cum tamen constet regnum cœlorum omnes ingressuros bonos, hoc eis
donante Dei gratia: & nullos ingressuros malos, hoc ipsorum mœrente
nequitia. Nimium uerò ineptè, nimiumq́ue incõsyderatè ab aduersantibus
dicitur, quod per hanc Dei gratiã libero nihil relinquatur arbitrio. Quã-
uis enim in paruulis baptismum transeuntibus, manifestissimè nullum
opus, nullusq́ue appetitus eorum uolũtatis existat: & plerosq́ue utentes qui-
dem libero arbitrio, sed auersos à uero Deo, uitamq́ue in flagitijs exigẽtes,
liberatrix regeneratio in ipso exhalandi spiritus fine sanctificet: tamen si
eam filiorum Dei partem, quæ ad pietatis opera reseruatur, pio consyde-
ramus intuitu, non'ne in eis non peremptũ inueniemus liberum arbitriũ,
sed ren

A ſed renatum? Quod utique cum ſolum eſſet ſibiq́ permiſſum, non niſi in ſuam perniciem mouebatur. Ipſum enim ſe excæcauerat, & ipſum ſe illuminare non poterat. Nunc autem idem arbitriũ conuerſum eſt, non euerſum. Et donatum eſt ei aliter uelle, aliter ſapere, aliter agere, & incolumitatem ſuam non in ſe, ſed in medico collocare. Quia necdum tam perfecta utitur ſanitate, ut ea, quæ ei nocuerant, nequeant iam nocere: aut ab inſalubribus poſsit iam uiribus ſuis temperare. Proinde homo, qui in libero arbitrio fuit malus, in ipſo libero arbitrio factus eſt bonus: ſed per ſe malus, per Deum bonus. Qui eum ita in illum initialem honorem alio initio reformauit, ut ei non ſolùm culpam malæ uoluntatis & actionis remitteret, ſed etiam bene uelle, bene agere, atq; in his permanere donaret. Omne enim, inquit, apoſtolus Iacobus, datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum. Iacob.1. Qui quale ſit liberum arbitrium, quod humano ſpiritu agitur, & quale ſit quod à Deo regitur, euidenter oſtendit, dicens: Quòd ſi zelum amarum habetis, & contentiones in cordibus ueſtris, nolite gloriari aduerſum ueritatem, & mendaces eſſe. Iacob.3. Non eſt iſta ſapientia de ſurſum deſcẽdens, ſed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio, ibi inconſtantia & omne opus prauum. Quæ autem de ſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, plena miſericordiæ & fructibus bonis, non diiudicans, ſine ſimulatione. Quicunque ergo his uirtutibus ſtudent

B atque inhærent, non ſua, ſed ſuperna ſapientia illuſtrati ſunt. Quoniam dominus dat ſapientiam, & à facie eius ſcientia & intellectus. Prouerb.2. Et hæc eorum ueriſsima gloria eſt, ſi non in ſe, ſed in domino gloriantur. Ea autem quæ de fato, & de duabus maſsis, duabusq́ naturis, ſtultiſsimo mendacio, intenti uiri iniuriæ, iactitant, neque ipſum quidem onerant, in cuius libris copioſiſsimè huiuſmodi deſtruuntur errores: nec nos perturbant, qui tales opiniones cum ſuis autoribus execramur. Sed uideant quomodo ſe à dedecore iſtius exuant falſitatis, qui poſſunt tam inepta confingere, ſi hi, quorum abutuntur auribus, aliquantulum diligentiæ ad cognoſcenda ea, quæ præſtantiſsimus miniſter gratiæ diſputauit, intenderint. Licet omnem iſtius inquiſitionis moram, ipſi, qui hæc loquuntur, præuenire deberent, proferendo atq; explicando libros, ullam'ue eorum particulam demonſtrando, quam per dubium ſaltem intellectum tali interpretationi obnoxium uir ſanctus ediderit. Sed prorſus nihil apud nos tale audierunt, nihil tale legerunt: quia non fato quicquã geri, ſed omnia Dei iudicio nouimus ordinari. Nec ex duabus maſsis, duabus'ue naturis, ſed ex una maſſa, quæ eſt caro primi hominis, unam ſcimus omnium hominum creatam, creariq́ naturam. Et eandem per ipſius primi hominis liberum arbitrium, in quo omnes peccauerunt, eſſe proſtratam: nec ullo modo ab æternæ mortis debito liberam, niſi eam ad imaginem Dei ſecundæ creationis Chriſti gratia reformauerit, liberumq́ eius arbitrium agendo, ſperando, auxiliando, & uſque in finem præeundo ſeruauerit. Vnde, quia perſpicit

perſpicit ſanctitas tua, ſi tamen ſermonis mei non obſiſtit obſcuritas, fruſtra quoſdam de nobis conqueri: & omnes illas ineptas criminationes, ad exaſperandos, auertendosq́ animos eorum, quibus aliud uolunt perſuadere, contexi. Confide ergo in uirtutem miſericordiæ Dei: quoniam hæc contradictio, ſicut in alijs mundi partibus, ita & in his regionibus conquieſcit: ut prædicatio ſummi hoc tempore in eccleſia uiri, etiam ab his, à quibus ad præſens reuellitur, adiuuetur. Tu autem dilectiſſime & uenerandiſſime mihi frater, ſi uerè de his quæſtionibus inſtrui deſyderas, ſicut deſyderare te conuenit, ipſis beati Auguſtini diſputationibus cognoſcendis impende curam: ut in confitenda Dei gratia defecatiſſimam ac ſaluberrimam Euangelicæ Apoſtolicæq́ doctrinæ intelligentiam conſequaris. Gratia Dei & pax domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat te in omni tempore, & per uiam ueritatis dirigat in uitam æternam. C

FINIS.

A Præfatio D. Prosperi in Respon SIONES AD CAPITVLA GALLORVM.

DOCTRINAM, quam sanctæ memoriæ Augustinus episcopus contra Pelagianos, inimicos gratiæ Christi, & liberi arbitrij decomptores, per multos annos apostolicè asseruit, literisq́ue mandauit, quibusdam uisum est aut non intelligendo, aut intelligi eam nolendo, reprehendere: Et hoc quasi compendium cognitionis his, qui iudicio eorum ducebantur, afferre: ut quæ in libris prædicti uiri damnabilia reperisse iactabant, breuium capitulorum indiculis publicarent: talíq́ue commento & detestationem eius, quem impeterent, obtinerent: & ab his, quæ infamassent, curam exterriti lectoris
B auerterent. Ne ergo hanc persuasionem temere quis recipiat, & talem putet sensum scriptis catholici inesse doctoris, qualem eum, qui frustra calumniantur, ostentant, singulis capitulis quæ rationis titulo prænotarunt, breui, & absoluta professione respondeo: in nullo recedens à tramite earum definitionum, quæ in sancti uiri disputationibus continentur: ut facilè uel tenuis diligentiæ aduertat inspector, quàm iniustis opprobrijs catholici prædicatoris memoria carpatur: & in quod peccatum cadant, qui aliena instigatione commoti, scriptorem celeberrimi nominis, promptius habeant culpare, quàm nosse.

D. PROSPERI AQVI- TANICI, EPISCOPI REGIEN- SIS AD CAPITVLA OBIECTIONVM GALLORVM CALVMNIAN- TIVM RESPON- SIONES. c

OBIECTIO. CAPITVLVM I.

QVOD ex prædeſtinatione Dei, uelut fatali neceſsitate, homines ad peccata compulſi, cogantur in mortem.

RESPONSIO.

PRAEDESTINATIONEM Dei nullus catholicus negat: fatalem autem neceſsitatem, multi, etiam non Chriſtiani, refutant. Peccatum ergo ad mortem trahit, ſed ad peccandum neminem Deus cogit. Nemini enim mandauit impiè agere: ut, Odiſti domine omnes qui operãtur iniquitatem: perdes eos D
qui loquuntur mendacium. Proinde qui prædeſtinationis nomine fatum prædicat, tam non eſt probandus, quàm qui fati nomine ueritatem prædeſtinationis infamat. Fati enim opinio uana eſt, & de falſitate concepta. Prædeſtinationis autem fides, multa ſanctarum autoritate ſcripturarum munita eſt: cui nullo modo fas eſt ea, quæ ab hominibus malè aguntur, adſcribi: qui in procliuitatem cadendi non ex conditione Dei, ſed ex primi patris præuaricatione uenerunt. De cuius pœna nemo liberatur, niſi per gratiam domini noſtri Ieſu Chriſti præparatam, & prædeſtinatam in æterno conſilio Dei ante conſtitutionem mundi.

OBIECTIO. CAP. II.

QVOD ab eis, qui non ſunt prædeſtinati ad uitam, non auferat percepta baptiſmi gratia originale peccatum.

RESPONSIO.

OMNIS homo, qui credens in patrem & filium & ſpiritum ſanctum, regeneratur in baptiſmo, tam à proprijs peccatis, quæ mala uoluntate & actione contraxit, quàm ab originali, quod à parentibus traxit, abſoluitur. Sed relapſum poſt baptiſmum ad infidelitatẽ & impios mores, qui negat originali peccato fuiſſe purgatum, tam falſa

opinatur,

A opinatur, quàm qui eundem adserit, non æterna morte esse damnandum. Qui enim recedit à Christo, & alienus à gratia finit hanc uitam, quid nisi in perditionem cadit? Sed non in quod remissum est, recidit, nec in originali peccato damnabitur: qui tamen propter postrema crimina ea morte afficietur, quæ ei propter illa, quæ remissa sunt, debebatur. Quod quia Dei præscientiam nec latuit, nec fefellit, sine dubio talem nunquàm elegit, nunquàm prædestinauit, & periturum nunquàm ab æterna perditione discreuit.

OBIECTIO. CAP. III.

QVO'D non prædestinati ad uitam, etiam si fuerint in Christo per baptismum generati, & piè iusteq; uixerint, nihil eis prosit, sed tandiu reseruentur, donec ruant, & pereant. Nec antè eos ex hac uita, quàm hoc eis contingat, auferri.

RESPONSIO.

A SANCTITATE ad immundiciam, à iustitia ad iniquitatem, à fide ad impietatem plerosq; transire non dubium est: & tales ad prædestinationem filiorum Dei, cohæredum Christi, non pertinere certißimum est. Quòd ergo huiusmodi in hæc prolapsi mala, sine correctione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo necessitatem
B pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt: sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex uoluntaria præuaricatione præsciti sunt. Quòd autem illos non eo tempore, quo in fide recta & bonis moribus erant, ab hac uita abstulit, ad occulta eius iudicia, quæ tamen nunquàm sunt iniusta, referendum est. Quis enim nesciat intra unam conditionem mortalitatis humanæ, ab unius horæ infantia, usque ad annosißimam senectutem, exitus morietium, impari ætatis fine uariari? neq; cuiusquam animam uel tardius quàm Deus uoluerit, à corpore quod uiuificat, abscedere? Si ergo aliquis in uitæ suæ longitudine deseruit Deum, bono, quod erat ex Deo, malè usus est. Nam longæuitas non est nisi ex Deo. Et quod ex Deo est, non nisi bonum est: & quod bonum est, mali causa non est. Non itaq; rectè opinatur, qui putat prorogatorem uitæ, lapsuris autorem esse peccati: Cum utiq; non peccatum sit diu uiuere, sed malè uiuere: quod etiam in paucorum annorum ætate fieri potest. Igitur sicut bona opera ad inspiratorem eorum Deum, ita mala ad eos sunt referenda qui peccant. Non enim relicti sunt à Deo, ut relinquerent Deum: sed reliquerunt, & relicti sunt, & ex bono in malum propria uoluntate mutati sunt. Atque ab hoc licet fuerint renati, fuerint iustificati, ab eo tamen, qui illos tales præsciuit, non sunt prædestinati.

OBIECTIO. CAP. IIII.

QVO'D non omnes homines uocentur ad gratiam.

RESPONSIO. C

NON omnes uocari ad gratiam eos, quibus omnibus Euangeliũ prædicatur, non rectè dicitur, etiamsi sint, qui Euangelio nõ obaudiãt: nisi ad eos respicitur, quibus nondũ sacramentum crucis Christi, & redemptio sanguinis eius innotuit. Quia etiamsi cõstaret, quòd iam in uniuersis nationibus, & omnibus finibus terræ totus mũdus Euãgelium recepisset (quod utiq; futurũ uerissime prænuntiatũ est) non esset tamẽ dubiũ, à tempore resurrectionis domini, usq; ad præsentem ætatem fuisse homines, qui ab hac uita sine Euãgelij cognitione trãsierint: de quibus dici possit, quòd uocati nõ sint, quia nec spem uocationis audierint. Quòd si quisquam hanc uocationis plenariã generalitatẽ, ita semper asserit celebratã, ut ab ascẽsione domini in cœlum, ne unus quidẽ annus effluxerit, intra quem nõ ad omnes prædicatio missa peruenerit, uideat quo-
Act. 16. modo tunc Asianos uocatos probet, quando apostoli (sicut scriptum est) uetiti sunt à spiritu sancto, loqui uerbum Dei in Asia: aut Bithynios: ad quos ijdem apostoli tentabãt ire, & non permisit eos spiritus Iesu. Videat etiã quomodo tueatur denuntiationẽ ipsius ueritatis, dicẽtis: Prædicabi-
Math. 24. tur hoc Euangelium in uniuerso orbe in testimoniũ omnibus gẽtibus, & tũc ueniet finis. Nutat namq; (quod dici nefas est) fides uerbi, si ante quadringentos annos Euangelio impletus est mundus, & adhuc domini differtur aduentus. Postremò respiciantur etiam inter Christianos populos D tot milia paruulorum, qui ab hac uita sine baptismo transierunt, & aliquo modo probentur uocati, quibus nec plantator prædicare, nec rigator potuit subuenire.

OBIECTIO. CAP. V.

QVOD qui uocati sunt, non æqualiter sint uocati: sed alij ut crederent: alij ut non crederent.

RESPONSIO.

SI VOCATIO in Euangelij tantũ prædicatione intelligatur, nõ ueraciter dicitur, quòd alijs atq; alijs, aliter atq; aliter prædicetur: cùm unus sit Deus, una fides, una regeneratio, una ꝓmissio. Si autẽ ad effectũ plantationis & rigationis aspicitur, aliud actũ est cũ eis, quorũ exteriores aures corporali uoce pulsatæ sunt: aliud in eis, quorum interiorẽ sensum Deus aperuit, & in quorũ corde posuit fidei fundamentũ, dilectionisq; feruorẽ. Quosdã autẽ ideo uocatos dicere, ut nõ crederent, nimis absurdũ est: quasi uocatio eis causa infelicitatis extiterit, & prædicatio fidei fecerit infideles. Quãuis enim dispẽsatores uerbi Dei qui-
2. Co. 2. busdã sint (sicut scriptũ est) Odor mortis ad mortem: Deo tamen bonus
1. Co. 1. Christi sunt odor, qui prædicãt Christũ crucifixũ, Iudæis quidẽ scandalũ, Gẽtibus autẽ stultitiã: ipsis aũt uocatis Iudæis & Græcis, Christũ Dei uirtutem

A tutē & Dei sapientiā. Quod ergo prædicatus Christus crucifixus, Iudæis erat scandalum, & gentibus stultitia, humanæ uolūtatis faciebat auersio. Quomodo uerò ipsis uocatis Iudæis & Græcis, Christus erat Dei uirtus & Dei sapientia, diuinæ gratiæ præstabat operatio.

OBIECTIO. CAP. VI.

QVOD liberum arbitrium in homine nihil sit: sed siue ad bonum, siue ad malum, prædestinatio Dei in hominibus operetur.

RESPONSIO.

LIBERVM arbitrium nihil esse, uel non esse, perperam dicitur: sed ante illuminationem fidei in tenebris eam & in umbra mortis agere, nō rectè negatur. Quoniam prius quàm à dominatione diaboli per Dei gratiā liberetur, in illo profundo iacet, in quod se sua libertate demersit. Amat ergo languores suos, & pro sanitate habet, quòd ægrotare se nescit, donec prima hæc medela cōferatur ægroto, ut incipiat nosse quòd langueat, & possit opem medici desiderare, qua surgat. Iustificatus itaque homo, id est, ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito accipit donum, quo medio adquirat & meritū: ut quod in illo inchoatum est per gratiā Christi, etiā per industriā liberi augeatur arbitrij, nunquàm remoto adiutorio Dei, sine quo nec proficere nec permanere in bono quisquā potest. Prædestinationē autē Dei siue ad bonū, siue ad ma-
B lum, in hominibus operari, ineptissimè dicitur, ut ad utrunque homines quædam necessitas uideatur impellere: cum in bonis uoluntas sit intelligenda de gratia, in malis autem uoluntas intelligenda sine gratia.

OBIECTIO. CAP. VII.

QVOD Deus quibusdam filijs suis, quos regenerauit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, ob hoc nō det perseuerantiā, quia nō sunt à massa perditionis præscientia Dei, & prædestinatione discreti.

RESPONSIO.

EX regeneratis in Christo Iesu, quosdam, relicta fide & pijs moribus, apostatare à Deo, & impiam uitā in sua auersione finire, multis (quod dolendum est) probatur exemplis. Sed horum lapsum Deo ascribere, immodicæ prauitatis est: quasi ideo ruinæ ipsorum impulsor atque autor est, quia illos ruituros propria ipsorū uolūtate præsciuit: & ob hoc à filijs perditionis nulla prædestinatione discreuit. Nam quomodo eos haberet præordinata in Christo electio, cum dubium non sit, idoneam Dei esse perseuerantiam in bono usque ad finem: quam istos ex eo ipso, quòd nō perseuerauerunt, nō habuisse manifestū est. Nō est calumniandū Deo quare istis nō dederit, quod alijs dedit: sed cōfitendū est, & misericorditer eum dedisse quod dedit, & iustè nō dedisse quod nō de-

 dit

dit: ne quemadmodum ex libero arbitrio oritur causa labendi, ita ex C
ipso uideatur & standi: cum illud humano fiat opere, hoc diuino impleatur ex munere.

OBIECTIO. CAP. VIII.

QVOD non omnes homines uelit Deus saluos fieri, sed certum numerum prædestinatorum.

RESPONSIO.

SI circa uniuersitatem generis humani saluandam, & in agnitionẽ ueritatis uocandã, ita indifferens per omnia secula asserẽda est uoluntas Dei, ut usquequaque neminẽ hominũ prætermisisse monstretur, impenetrabilis iudiciorum Dei altitudo pulsatur. Quare enim in præteritis seculis dimiserit Deus omnes gentes ingredi uias suas, quando
Psal. 134. Iacob elegit sibi dominus: & nõ fecit taliter omni nationi, & iudicia sua nõ
Psal. 147. 1. Petr. 2. manifestauit eis: Et cur qui aliquãdo non populus, nunc autem populus
Osee 2. Dei sit: & quorum aliquando nõ misertus est, nũc autẽ misereatur: & ubi
Rom. 11. dictũ est, Nõ plebs mea uos, ibi uocẽtur filij Dei uiui: &, Quare quod quærebat Israël non sit consecutus, electio autẽ cõsecuta est, cæteri uero excæcati sunt, impossibile est cõprehendere, & periculosæ curiositatis est quæ-
2. Par. 19. rere: cum tamen, quod nulla sit apud Deum iniquitas, nemini liceat ignorare: nec alia gratia, aut alia fide, quenquam hominum siue ante legẽ, siue D
legis tempore iustificatum esse credendum sit, quàm hac eadẽ, per quã do-
Matth. 18. minus noster Iesus Christus secundũ consilium uoluntatis suæ, in fine seculorũ uenit quærere & saluare, quod perierat. Causas uero operũ & iudiciorũ Dei, qui ex toto ad humanas uolũtates & actiones refert, quas tamen in paruulorũ adoptione aut abdicatione nõ inuenit, & dispẽsationes Dei ex liberi arbitrij uult mutabilitate uariari, profitetur sibi scrutabilia
Rom. 11. iudicia Dei, & uestigabiles uias eius. Et quod doctor gẽtiũ Paulus nõ audebat attingere, hic se existimat reseratũ posse uulgare. Quodq; nõ minoris impietatis est, ipsam gratiã, qua saluamur, aut bonis meritis docet rependi, aut malis adfirmat arceri. Remoto ergo obscurarum turbine quæstionũ, ad reuelatæ nos gratiæ latitudinẽ cõferamus. Dicamusq; cũ Apo-
1. Tim. 2. stolo, Quomodo Deus uult omnes homines saluos fieri, & in agnitionem
1. Timo. 4. ueritatis uenire. Et iterũ dicamus cum Apostolo: Qui est saluator omniũ,
Matth. 28. maxime fideliũ. Et audiamus dominũ dicentẽ Apostolis suis: Euntes ergo docete omnes gẽtes, baptizãtes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, docentes eos quæcunq; mandaui uobis. Audiamus quoq; ad Abrahã
Gene. 26. promissionem Dei dicentis: In semine tuo benedicẽtur omnes tribus terræ. Et si filij promissionis sumus, non hæsitemus diffidentia, sed cum patre nostro Abraham demus gloriam Deo, & plenissimè credamus, quoniam quod promisit, potens est & facere. Audiamus Dauid propheta-
Psal. 21. tem: Commemorabuntur, & conuertentur ad dominum uniuersi fines

terræ

A terræ,& adorabunt in conspectu eius omnes patriæ gentium. Et alibi: Benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabūt eum. Et alibi: Omnes gentes quascunq; fecisti, uenient,& adorabunt coram te domine,& glorificabunt nomen tuum. Quæ promissiones, quia uerissimæ sunt, nec possunt ex ulla parte nutare, in his implentur, qui salui fiunt per uniuersos fines terræ: quoniam quod promisit Deus, potens est & facere. Hæc ergo est illa totius humani generis adsumptio, hæc filiorū Dei adoptio, hæc gentiū plenitudo, præscita & prædestinata in Christo ante constitutionē mundi, hæc est Hierusalem, quæ ab initio usq; in finē lapidibus uiuis & electis ædificatur, ut ciuitas fundata in ipso angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio cōstructa, crescit in templū sanctum in domino. De his lapidibus nihil ejcitur, nihil minuitur, nihil rapitur. Veritas enim dicit: Omne quod dat mihi pater, ueniet ad me, & eum qui uenit ad me, non exijciam foras. Et iterum: Non creditis, quia non estis de ouibus meis. Oues meæ uocem meā audiunt,& ego noui illas, & sequuntur me,& ego uitā æternam do illis,& nō peribunt in æternum, nec quisquam rapiet eas de manu mea. Omnium ergo hominum cura est Deo: & nemo est, quem non aut Euangelica prædicatio, aut legis testificatio, aut ipsa etiam natura conueniat. Sed infidelitatem hominum, ipsis adscribamus hominibus. Fidem autem hominum, donum Dei esse fateamur, sine cuius gratia nemo currit ad gratiam. Et cum ducentis quatuordecim sa-

Psal. 71. Psal. 85. Rom. 4. Ioan. 6. Ioan. 10.

B cerdotibus, quorum constitutionem contra inimicos gratiæ Dei totus mundus amplexus est, ueraci professione, quemadmodum ipsorum habet sermo, dicamus, gratiam Dei per Iesum Christum dominum, non solum ad cognoscendam, uerumetiam ad faciendam iustitiam nos per actus singulos adiuuare: ita, ut sine illa nihil ueræ sanctæq; pietatis, habere, cogitare, dicere, agere ualeamus. Neq; hæc dona ita ex Deo esse opinemur, ut quia ipse naturæ nostræ autor est, per conditionem iam hæc contulisse uideatur. Quia dedit quidem ab initio hāc homini facultatem: sed omnes eam in illo amisimus, in quo omnes peccauimus. Vnde alia creatione, alioq; principio renouari egemus in Christo: in quo sumus noua creatura, nouumq; figmentum: & per quem nobis, nullis bonis, & multis malis meritis præcedentibus, donatur, ut simus ex uasis iræ, uasa misericordiæ.

OBIECTIO. CAP. IX.

QVOD non pro totius mundi redemptione saluator sit crucifixus.

RESPONSIO.

NVLLVS omnino est ex omnibus hominibus, cuius natura in Christo domino nostro suscepta non fuerit, quamuis ille natus sit in similitudine carnis peccati: omnis autem homo nascatur in carne peccati. Deus ergo Dei filius, mortalitatis humanæ particeps

factus absq; peccato, hoc peccatoribus & mortalibus contulit, ut qui natiuitatis eius consortes fuissent, uinculum peccati & mortis euaderent. Sicut itaque nõ sufficit hominum renouationi, natum esse hominem Iesum Christum, nisi in ipso eodem, de quo ipse ortus est, spiritu renascantur: sic non sufficit hominum redemptioni, crucifixum esse dominum Christum, nisi commoriantur ei, & consepeliantur in baptismo. Alioquin nato saluatore in carne substantiæ nostræ, & crucifixo pro omnibus nobis, non fuerat necessarium, ut renasceremur, & similitudine mortis eius complantaremur: sed cùm sine hoc sacramento, nemo hominum consequatur uitam æternam, non est saluatus cruce Christi, qui nõ est crucifixus in Christo. Non est autem crucifixus in Christo, qui non est membrum corporis Christi, qui non per aquam & spiritum sanctum induit Christum. Qui ideo infirmitate nostra communionem subijt mortis, ut nos in uirtute eius haberemus consortium resurrectionis. Cum itaque rectissimè dicatur saluator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter ueram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem: potest tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipsius profuit. Dicit enim Euangelista: quia Iesus moriturus erat pro gente, non tantùm pro gente, sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret in unum. In sua enim uenit, & sui eum nõ receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Qui non ex sanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. Diuersa ergo ab istis sors eorum est, qui inter illos censentur, de quibus dicitur, ut possit secundum hoc dici redemptor mundi: dedit pro mundo sanguinem suum, & mundus redimi noluit: quia lucem tenebræ non receperunt. Et tenebræ receperunt: quibus dicit Apostolus: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Ipse uerò dominus Iesus, qui dixit se uenisse quærere & saluare, quod perierat, Non ueni, inquit, nisi ad oues quæ perierant domus Israël. Neque quia sunt semen Abrahæ, omnes filij, sed in Isaac uocabitur tibi semen: id est, non qui filij carnis, hi filij Dei: sed qui filij promissionis æstimantur in semine. In istis ergo sunt illi, de quibus dictum suprà memorauimus: quia Iesus moriturus erat pro gente: non tantùm pro gente, sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret in unum. Quia non solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus, per eum, qui uocat quæ non sunt, tanquam quæ sunt, & qui dispersos Israël congregat, filij Dei, filij promissionis in unam ecclesiam congregantur: ut impleatur quod promissum est Abrahæ, cui dictum est, quòd in semine eius benedicendæ essent omnes tribus terræ.

[margin: C; Ioan. 11.; Ioan. 1.; D; Ephe. 5.; Luce 19.; Gene. 21.]

OBIECTIO. CAP. X.

QVO'D quibusdam Euangelij prædicatio à domino subtrahatur, nec percepta Euangelij prædicatione saluentur.

Responsio

A RESPONSIO.

SI PROBARI potest, quòd ex quo Euangeliũ prædicatur, nemo prorsus fuerit, cui Christiana gratia adnunciata non fuerit, non rectè dicitur tacitum, quod ostenditur prædicatum. Si autem aliquo modo inueniuntur homines, quibus Euangelium non fuerit prædicatum, non potest dici sine iudicio Dei factum: quod nefas est ideo reprehendi, quia non potest comprehendi.

OBIECTIO. CAP. XI.

QVOD per potentiam Deus homines ad peccata compellat.

RESPONSIO.

NVLLVS catholicorum dixit, aut dicit, quòd Deus homines piè rectéq; uiuentes, per potentiam in peccata compellat, & innocentiæ humanæ, potestas diuina uim faciat, ut eam à proposito bonæ conuersationis excutiat. Non sunt Dei opera ista, sed diaboli: cuius gaudium est ruina sanctorum: sed alleuat dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos: quibus dat pœnitentiam, ut resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenebantur ad ipsius uoluntatem. Cum uerò aliquos à Deo aut traditos desyderijs suis, aut obduratos legimus, aut relictos, magnis peccatis suis hoc ipsos meruisse profitemur: quia talia eorum crimina præcesserunt, ut ipsi sibi pœnas debuerint, quæ eis etiam supplicium uerterent in reatum. Atque ita nec de iudicio Dei querimur, quo deserit meritos deseri: & misericordiæ eius gratias agimus, qua liberat non meritos liberari.

Psalm. 144.

B

OBIECTIO. CAP. XII.

QVOD quibusdam uocatis, & piè iustéq; uiuentibus, obedientia subtrahatur, ut obedire desistant.

RESPONSIO.

SI DEVS hominem sibi obedientem à pietate deturbat, & bene currentem cadere facit: ergo pro bonis mala retribuit, & iniustè punit, quod ut fiat, impellit. Quid tam peruersum, quid tam insanum dici aut cogitari potest? Sed in talem sensum trahuntur, qui putant in omnibus hoc esse præscientiam Dei, quod & uoluntatem: cùm uoluntas eius nunquàm uelit nisi bona: præscientia autem & bona noscit & mala: sed bona quæ aut ipse faciat, aut etiam ut nos faciamus, imperat: mala autem, quæ omnino ipse non fecit, neque fieri suasit, aut impulit. Vires itaq; obedientiæ non ideo cuiquam subtraxit, quia eum non prædestinauit: sed quia recessurum ab ipsa obedientia esse præuidit.

OBIECTIO. CAP. XIII. C

QVOD quidam homines non ad hoc à Deo creati sunt, ut uitam adipiscerentur æternam, sed ut habitum tantummodo seculi præsentis ornarent, & ad utilitatem nascerentur aliorum.

RESPONSIO.

VNIVERSOS homines non ignoramus à Deo singillatim creari: & de hac uniuersitate alios damnãdos cum diabolo, alios regnaturos esse cum Christo. Quòd ergo etiam hi creantur, qui æternæ uitæ participes non erunt, nulla est culpa creatoris, qui naturæ autor est, non uitij, quod natura contraxit. Ornari autem etiam talium conditione mundi huius uarietatem, quis non intelligat, qui uideat studijs & operibus quorundã impiorum tot commoda uitæ præsentis instructa in inuentione artium, in extructione urbium, in cõstitutione legum, in confœderatione populorum? Quòd si quæritur an de istis, quos à uera religione impius error auertit, aliquid boni profectibus sanctorum, & incrementis ecclesiæ prouidentia diuina contulerit, inspiciatur primùm ipsa crux Christi: in qua magno scelere Iudæorum misericors uoluntas Dei, ut pro redemptione nostra unicus filius eius occideretur, impleta est. Inspiciatur apostolorum gloriosa tolerantia, inter persequentium fremitus
Actuum 4. hac animi uoce ad Deum clamantium: Conuenerunt ergo uerè in ciuitate ista, aduersus sanctum puerum tuum Iesum quem unxisti, Herodes D
& Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israël, ut facerent quæ manus tua & consilium prædestinauit fieri. Inspiciantur denique innumerabilium martyrum palmæ, quibus de crudelißima infidelium sæuitia felix est collata uictoria. Audiatur etiam Apostolus ecclesiam Dei ad
Philipp. 1. perseuerantiam pietatis instituens: In nullo, inquit, terreamini ab aduersarijs, quæ est illis causa perditionis, uobis autem salutis, & hoc à Deo. Vobis enim donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini. De illis quoque erroribus consulens nobis Dei bonitas sentiatur, quos Deus in ecclesia contra ecclesiam permisit exurgere. Non utique eos creans aut fouens, sed per ipsos diligentiam filiorum suorum ad inquisitionem & custodiam ueritatis exercens, di-
1. Cor. 11. cente Apostolo: Oportet hæreses esse, ut probati manifesti fiant in uobis. Quis autem respiciens ad tenebras impiorum, & ad illuminationem filiorum, non ad gratias agendas Deo, ex ipsa fiat collatione feruentior: & in ruina pereuntium discat, in quæ mala per liberum arbitrium rueret, nisi ei per dominum nostrum Iesum Christum Dei gratia subueniret?

OBIECTIO. CAP. XIIII.

QVOD qui Euangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædestinatione non credant. Et quòd Deus ita definierit, ut quicunque non credunt,

A dunt, ex ipsius constitutione non credant.

RESPONSIO.

INFIDELITAS non credentium Euangelio, nequaquam ex Dei prædestinatione generatur. Bonorum enim Deus autor est, non malorum. Prædestinatio igitur Dei semper in bono est, aut ad retributionem iustitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ. Vniuersæ enim uiæ domini misericordia & ueritas. Proinde infidelitas non credentium, non ad constitutionem Dei, sed ad præscientiã referenda est. Quæ non ideo necessitatem non credendi intulit, quiá falli de ea, quæ futura erat, infidelitate, non potuit. Fides autem & charitatis opera, atq; in eis usque in finem perseuerantia, quia homini per Dei gratiam conferuntur, rectè & ista, & quæ eis retribuenda sunt, prædestinata dicuntur: ex autoritate Apostoli, qui ait: Gratia Dei salui facti estis per fidem, & hoc non ex uobis, sed Dei donum est. Non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus, ut in illis ambulemus. Tam ergo in errore est, qui infidelitatẽ impiorum ad Dei constitutionem refert, quàm qui fidei iustitiæq; sanctorum, non Deum profitetur autorem. Qui enim quod acceperat perdidit, non inde id recipit unde perdidit, sed ab illo recipit, quod habeat, à quo quod amisit, acceperat.

Psalm. 24.

Ephe. 2.

B

OBIECTIO. CAP. XV.

QVÒD idem sit præscientia quod prædestinatio.

RESPONSIO.

QVI præscientiam Dei in nullo ab ipsius prædestinatione discernit, quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur ascribere. Sed cum bona ad largitorẽ, cooperatoremq; eorum Deum, mala autem ad uoluntariã rationalis creaturæ nequitiam referenda sint, dubium non est, sine ulla temporali differentia Deum & præscisse simul, & prædestinasse, quæ ipso erant autore facienda, uel quæ malis meritis iusto erant iudicio retribuenda. Præscisse autem tantummodo, non etiam prædestinasse, quæ non ex ipso erant causam operationis habitura. Potest itaq; sine prædestinatione esse præscientia. Prædestinatio autem sine præscientia esse non potest. Quamuis ergo ad omnes obiectiones seu querulæ imperitiæ, seu fallacis inuidiæ, planissimè ac plenissimè, quantum dominus dedit, existimem esse responsum, professionem tamen sensus nostri etiam in breuia coartemus: ut sub paucorũ uerborum simplicitate, magis magisq; appareat, nos, quod de supra scriptis capitulis intelligimus, nulla circumloquendi arte prætexere, sed absolutè ac liberè & praua respuere, & consensum probabilibus non negare.

DE

DE SINGVLIS CAPITVLIS SINGVLAE SENTENTIAE. C

SENTENTIA SVPER I.

QVisquis igitur ex prædestinatione Dei, uelut fatali necessitate homines in peccata compulsos, cogi dicit in mortem, non est catholicus. Nullo enim modo prædestinatio Dei iniquos facit, neque cuiusquam omnino est causa peccati.

SENTENTIA SVPER II.

ITem, Qui dicit, quòd ab his qui non sunt prædestinati ad uitam, non auferat percepta baptismi gratia originale peccatum, non est catholicus. Sacramentum enim baptismatis, quo omnia prorsus peccata delentur, etiam in eis uerum est, qui non sunt in ueritate mansuri, & ob hoc ad uitam ueram non sunt prædestinati.

SENTENTIA SVPER III.

ITem, Qui dicit, quòd non prædestinati ad uitam, etiam si fuerint in Christo baptismate regenerati, & piè iusteque uixerint, nihil eis prosit, sed tandiu reseruētur, donec ruant: nec antè eos ex hac uita, quàm hoc eis contingat, auferri, tanquam ad constitutionem Dei talium hominum ruina referenda sit: non est catholicus. Quia non ideo Deus tempus ætatis cuiquam prolongauit, ut diu uiuendo corrueret, & à fide recta in sua longæuitate deficeret: cum inter beneficia Dei numerāda sit ipsa longæuitas, D qua homo melior debuit esse, non peior.

SENTENTIA SVPER IIII.

ITem, Qui dicit, quòd non omnes uocentur ad gratiam, si de his loquitur, quibus Christus annunciatus non est, reprehendi non debet: quia scimus quidem in omnes fines terræ Euangeliū destinatum, sed non putamus iam in omnibus terræ finibus prædicatū. Nec possumus dicere quòd ibi sit gratię uocatio, ubi matris ecclesię adhuc nulla est regeneratio.

SENTENTIA SVPER V.

ITem, Qui dicit, quòd qui uocati sunt, non æqualiter uocati sint, sed alij ut crederent, alij ut non crederent, quasi cuiquam uocatio causa fuerit non credendi: non rectè dicit. Quamuis enim fides non sit nisi ex Dei dono, & hominis uoluntate: infidelitas tamen non est, nisi ex sola hominis uoluntate.

SENTENTIA SVPER VI.

ITem, Qui dicit, quòd liberum arbitrium in homine nihil sit, sed siue ad bonum siue ad malum prædestinatio Dei in hominibus operetur: non est catholicus. Arbitrium enim hominis gratia Dei non abolet, sed adolet, & ab errore in uiam reuocat ac reducit: ut quod sua libertate erat prauum, spiritu Dei agente fit rectum. Prædestinatio quoque Dei semper in bono est: quæ peccatū, sola hominis uoluntate cōmissum, aut remittendum nouit cum laude misericordiæ, aut plectendum cum laude iustitiæ.

SEN

A SENTENTIA SVPER VII.

Item, Qui dicit, quod Deus quibusdam filijs suis quos regenerauit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionē dedit, ob hoc perseuerantiā non dederit, quia à massa perditionis præscientia Dei, & prædestinatione non sint discreti: Si hoc uult firmare, quod Deus huiusmodi homines in bonis, quæ donauerat, noluerit permanere, & ipse eis causa auersionis extiterit, contra iustitiam Dei sentit. Quamuis enim omnipotentia Dei potuerit uires standi præbere lapsuris: gratia tamen eius non prius eos deseruit, quàm ab eis desereretur. Et quia hoc ipsos uoluntaria facturos defectione præuidit, ideo in prædestinationis electione illos non habuit.

SENTENTIA SVPER VIII.

Item, Qui dicit, quod non omnes homines uelit Deus saluos fieri, sed certum numerum prædestinatorum: durius loquitur, quàm loquendum est de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei: qui & omnes uult saluos fieri, atque in agnitionem uenire ueritatis: & uoluntatis suæ propositum in eis implet, quos præscitos prædestinauit, prædestinatos uocauit, uocatos iustificauit, iustificatos glorificauit. Nihil amittens de plenitudine gentium, & de omni semine Israël, cui præparatum est in Christo regnum æternum ante constitutionem mundi. Ex toto enim mundo totus mundus eligitur, & ex omnibus hominibus, omnes homines adoptantur. Nec potest ullo modo per infidelitatem atque inobedientiam multorum, Dei promissio
B uacillare, dicentis ad Abraham: In semine tuo benedicentur omnes Gene. 26.
gentes. Quod autem promisit Deus, potens est & facere: ut & qui saluantur, ideo salui sint, quia illos uoluit Deus saluos fieri: & qui pereunt, ideo pereant, quia perire meruerunt.

SENTENTIA SVPER IX.

Item, Qui dicit, quod non pro totius mundi redemptione saluator sit crucifixus: non ad sacramenti uirtutem, sed ad infidelium respicit partem: cum sanguis domini nostri Iesu Christi pretium totius mundi sit. A quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captiuitate, redimi noluerunt: aut post redemptionem ad eandem sunt seruitutem reuersi. Non enim cecidit uerbum domini, neque euacuata est mundi redemptio. Quia etsi non cognouit mundus Deum in uasis iræ, cognouit tamen mundus Deum in uasis misericordię. Quæ Deus nullis eorum bonis meritis præcedentibus, eruit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.

SENTENTIA SVPER X.

Item, Qui dicit, quod quibusdam Euangelij prædicatio à domino subtrahatur, ne percepta Euangelij prædicatione saluētur: potest obiectionis inuidiam declinare patrocinio ipsius saluatoris: qui apud quosdam, quos ait fuisse credituros, si mirabilium eius signa uidissent, noluit operari. Et quibusdam populis uetuit apostolos euangelizare: & nunc aliquas adhuc gentes patitur extra gratiam suam degere: cum tamen constantissima

ſtantiſsima fide perceptum habeamus, in omnes mundi partes eccleſiam C
dilatandam. Nec antè eſſe hoc ſeculum finiendum, quàm in uniuerſas fines terræ Euangelium dirigatur. Et omnis lingua confiteatur, quoniam Ieſus in gloria Dei patris eſt.

SENTENTIA SVPER XI.

ITem, Qui dicit, quòd per potentiam Deus homines in peccata compellat, meritò reprehenditur. Nec enim Deus, qui iuſtitiæ & bonitatis autor eſt, & cuius omnia ſtatuta & mandata contra peccatum ſunt, quenquam ad peccandum cogere, & ab innocentia in facinora præcipitare credendus eſt. Si qui autem tam profundæ impietatis ſunt, ut extra remediũ correctionis habeantur, non à Deo incrementa iniquitatis accipiunt, ſed per ſemetipſos deteriores fiunt: quia relinqui à Deo, ac ſibi ac deceptoribus ſuis tradi propter præcedentia peccata meruerunt, ut eis peccatum ſit ipſa etiam pœna peccati.

SENTENTIA SVPER XII.

ITem, Qui dicit, quòd quibuſdam uocatis, & piè iuſteq; uiuentibus, obedientia ſubtrahatur, ut obedire deſiſtant: malè opinatur de bonitate Dei atque iuſtitia, ut uideatur ad impietatem pios cogere, & innocentiam bonis adimere: cum ipſe ſit pietatis atq; innocentiæ & largitor, & cuſtos. Qui ergo Deo adhæret, ſpiritu Dei agitur: qui autem à Deo recedit, propria uoluntate obedire deſiſtit.

SENTENTIA SVPER XIII. D

ITem, Qui dicit, quòd quidã homines non ad hoc à Deo creati ſunt, ut uitam adipiſcerẽtur æternam, ſed ut habitum tantummodo ſeculi præſentis ornarent, & ad utilitatem naſcerentur aliorum: melius loqueretur dicens, quòd Deus, qui creator eſt omniũ, nón fruſtra etiam eos condat, quos præuidit uitæ æternæ participes non futuros: quia etiam in malis hominibus bonum Dei opus eſt ipſa natura, & laudabilis eſt in impiorũ damnatione iuſtitia. Non poteſt autem meritò reprehendi qui dicit, quòd etiam talium conditione mundus ornetur: & quòd hi, qui ſibi ſua iniquitate nocituri ſunt, ad utilitatem naſcantur aliorum: neq; enim quamlibet innumerabilis multitudo impiorum indecora eſt mundo, aut inutilis Dei regno: cum etiam per ipſorum ueniat propaginem regeneranda generatio, & in eis tolerandis ac diligendis, populus Dei fiat illuſtrior: ducens
Matth.5. bonitatem & patientiam ab illo, qui pluit ſuper iuſtos & iniuſtos: & Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos.

SENTENTIA SVPER XIIII.

ITem, Qui dicit, quòd qui Euangelicæ prædicationi non credũt, ex Dei prædeſtinatione non credant: & quòd Deus ita definierit, ut quicunq; non credunt, ex ipſius cõſtitutione non credant: non eſt catholicus. Sicut enim fides, quæ per dilectionem operatur, Dei donum eſt: ita infidelitas conſtitutio Dei non eſt: quia Deus pœnas criminum nouit ordinare, non crimina. Nec conſequẽs eſt, ut quod non remiſerit, ipſe commiſerit. Præ-

deſtinatus

A deſtinatus itaque uiuit ex fide ſibi donata: non prædeſtinatus perit infidelitate uoluntaria, non coacta.

SENTENTIA SVPER XV.

ITem, qui dicit, quòd idem ſit præſcientia quod prædeſtinatio, in bonis ſine dubio operibus noſtris, duo iſta permiſcet. Quæ enim ex Dei munere habemus, & quæ præſcita dicuntur, non poſſunt non eſſe prædeſtinata: & quæ prædeſtinata appellantur, non poſſunt non eſſe præſcita. In malis autem operibus noſtris, ſola præſcientia Dei intelligenda eſt. Quia ſicut præſciuit & prædeſtinauit, quæ ipſe facit, & ut faceremus dedit: Ita præſciuit tantum, non etiam prædeſtinauit, quæ nec ipſe fecit, nec ut faceremus, exegit.

FINIS.

Præfatio D. Proſperi in Reſponſiones ad capitula obiectionum Vincentianarum.

QVIDAM Chriſtianæ ac fraternæ charitatis obliti, intantum exiſtimationẽ noſtrã, quoquomodo ſtudẽt
B lædere, ut ſuam ſe euertere, nocendi cupiditate, nõ uideant. Contexunt enim, & qualibus poſſunt ſentẽtijs comprehendunt ineptiſsimarum quarũdam blaſphemiarum prodigioſa mendacia: eaq; oſtendenda & ingerenda multis publicæ priuatimq; circũferunt: Aſſerentes talia in noſtro eſſe ſenſu, qualia diabolico continẽtur indiculo. quæ falſò in nos, ad excitandam inuidiam iactitari, facilè & ſufficienter ſubſcriptione unius probaremus anathematis, niſi malignitas eorum, qui ſe grauari putãt, ſi de nobis bene ſentiatur, ipſam ſubſcriptionis noſtræ breuitatem ſuſpectam eſſet habitura. Vnde ne huius querelæ inueniretur occaſio, neceſſarium, conueniensq; credidimus, ut ſiue ad calumniantium animos mitigandos, ſiue ad eos, quorum auribus tale aliquid inſonuit, inſtruendos, quantum adiuuãte domino fieri potuerit, plenè, lucideq; pandamus, quid de peruerſis definitionibus iudicemus. Propoſitis igitur ſingillatim ſedecim capitulis, ſub unoquoq; eorum ſenſus noſtri & fidei, quam contra Pelagianos ex apoſtolicæ ſedis autoritate defendimus, uerba ponemus: ut qui paululum ſe ad legenda hæc dignati fuerint occupare, euidenter agnoſcant, impiarum, profanarumq; opinionum nullum cordibus noſtris inhæſiſſe ueſtigium: & blaſphemias, quas perſpexerint noſtra profeſsione damnari, in earundem repertoribus cenſeant debere puniri.

K

D. PROSPERI AQVITANICI EPISCOPI REGIENSIS AD CAPITVLA OBIECTIONVM VINCENTIANARVM RESPONSIONES.

C

OBIECTIO PRIMA.

QVOD dominus noster Iesus Christus non pro omnium hominum salute & redemptione sit passus.

RESPONSIO.

Matth. 7. CONTRA uulnus originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta & mortificata natura est, & unde omnium concupiscentiarum morbus inoleuit, uerum & potens, ac singulare remedium est mors filij Dei domini Iesu Christi: qui liber à mortis debito, & solus absque peccato, pro peccatoribus & debitoribus mortuus est. Quod ergo ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad unã pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi. D Sed qui hoc seculum sine fide Christi, & sine regenerationis sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt. Cum itaque propter unam omnium naturã, & unã omniũ causam à domino nostro in ueritate susceptam, rectè omnes dicãtur redempti, & tamẽ nõ omnes à captiuitate sint eruti, redemptionis proprietas haud dubiè penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras, & iam nõ uasa diaboli, sed membra sunt Christi. Cuius mors nõ ita impensa est humano generi, ut ad redemptionem eius, etiam qui regenerandi non erant, pertinerent: sed ita, ut quod per unicum exemplum gestum est pro uniuersis, per singulare sacramentum celebraretur in singulis. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra & uirtute diuina, habet quidem in se ut omnibus prosit: sed si non bibitur, non medetur.

OBIECTIO II.

QVOD Deus nolit omnes saluare, etiam si omnes saluari uelint.

RESPONSIO.

CVM ueritas dicat: si uos cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs uestris, quantò magis pater uester cœlestis dabit bona petentibus se? Quî fieri potest, ut Deus, qui etiam illos saluat, de quibus dici non potest, quòd saluari uelint, nolit aliquos saluare etiam si

saluari

A saluari uelint, nisi aliquæ causæ existant: de quibus, quamuis sint nobis incognoscibiles, ita tamen bene iudicat, de quo dici non potest aliter eum quicquam facere debuisse, quàm fecerit? Remota ergo hac discretione, quam diuina sciētia intra secretū iustitiæ suæ cōtinet, syncerissimè credendum atq; profitendum est, Deum uelle, ut omnes homines salui fiant. Siquidem Apostolus, cuius ista sentētia est, solicitissimè præcipit, quod in omnibus ecclesijs pijssimè custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur: ex quibus quòd multi pereunt, pereuntium est meritū: quòd multi saluantur, saluantis est donum: ut enim reus damnetur, inculpabilis est Dei iustitia: ut autem reus iustificetur, ineffabilis Dei gratia est.

OBIECTIO III.

QVOD Deus maiorem partem generis humani ad hoc creet, ut illam perdat in æternum.

RESPONSIO.

OMNIVM quidem hominum Deus creator est: sed nemo ab eo ideo creatus est ut periret: quia alia est causa nascendi, & alia est pereundi. Vt enim nascantur homines, conditoris est beneficium: ut autem pereant, præuaricatoris est meritum. In Adam quippe, in quo omnium hominum præformata natura est, omnes peccauerunt: eademq; sententia, quam ille excepit, obstricti sunt. Neque ab hoc uinculo,
B etiam si proprijs peccatis careant, resoluuntur, nisi in sacramento mortis & resurrectionis Christi, per spiritum sanctum renascantur. Nimis ergo impius & indoctus est, qui uitium naturæ nō discernit ab autore naturæ: à quo prorsus alienum est quicquid in unoquoq; damnandum est. Creat enim homines ut sint homines: nec multiplicandis generationum successionibus opificium suum subtrahit, secundum consilium bonæ uoluntatis suæ: reparaturus in multis quod ipse fecit, puniturus in multis quod ipse nō fecit. Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores cōstituti sunt multi, ita & per unius hominis obedientiā iusti constituuntur multi.

OBIECTIO IIII.

QVOD maior pars generis humani ad hoc creetur à Deo, ut non Dei, sed diaboli faciat uoluntatem.

RESPONSIO.

INSANVM omnino & contra rationem est, dicere uoluntatem Dei ex Dei uoluntate non fieri: & damnatorē diaboli, eiusq; famulorū, uelle ut diabolo seruiatur. Sed hoc catholicis Pelagiani consequēter se obijcere existimant, qui Adæ peccatū transisse in omnes diffitentur. Quoniam si primam natiuitatē originalis culpa non obliget, non sint obnoxij diabolo paruuli: nec indigeāt erui de potestate tenebra-

rum, qui nunquàm à suo autore discesserint. Nos autem, qui omnes in C
Adam perisse profitemur (uenit enim filius quærere & saluare, quod perierat) nec dicimus ideo creari quenquam hominem, ut diaboli faciat uoluntatem, & agnoscimus omnem hominem nõ redemptum, diabolo esse captiuum. Præuaricatio enim hominum, dispositę à seculis creationis ordinem turbare non potuit, & meritò creatura peccatrix pœnalem dominationem illius patitur, cui relicto uero domino, sponte se uendidit. Hæc quippe seruitus nõ institutio est Dei, sed iudicium, quo fraus deceptoris diaboli, facta est decepto & malè credulo homini pœna peccati. De qua nemo eruitur, nisi per mediatorem Dei & hominum hominem Christum Iesum, cuius gratuita gratia & multorum malis meritis non tribuitur, & nullorum bonis meritis præuenitur.

OBIECTIO V.

QVÒD peccatorum nostrorum autor sit Deus, eò quòd malam faciat uoluntatem hominum, plasmet substantiam, quæ naturali motu non posſit nisi peccare.

RESPONSIO.

HVIVS quoque obiectionis uanitas de illa procedit schola, in qua natura humana immunis à peccato Adæ, & illæsa defenditur: ut quia omnes homines præuaricationis reos & damnationi obnoxios nasci, perituros que, nisi in Christo renascantur, asserimus, D
eundem uideamur dicere autorem culpæ, quem profitemur conditorem esse naturæ. Quod nos à sensu nostro penitus abdicamus, qui Deum iustum, bonum, sic humanæ substantiæ, & interiorum exteriorum que sensuum nouimus creatorem, ut prorsus ab illo sit quicquid pertinet ad naturam, & prorsus non ab illo sit quicquid contra naturam est. Peccatum autem contra naturam est, de qua mors & omnia quæ sunt mortis oriuntur. Quibus malis tunc se homo induit, quando illum fide obedientia que priuatum, in suas promisſiones diabolus à Dei lege traduxit, omnia que sibi posteritatis eius germina, per conditionem deprauatæ stirpis, obstrinxit. Vnde si qua in Christo noua creatura est, libera sit diabolo, & subijciatur Deo, reformata à deformitate sua ad imaginem eius, qui creauit eam. Quod nisi fiat, remanet in illo, in quo omnes moriuntur, non habens sortem in eo, in quo omnes uiuificantur. Non igitur cuiusquam peccati autor est, sed naturæ creator est. Quæ cùm potestatem habuerit non delinquendi, sponte deliquit, & deceptori suo propria uoluntate se subdidit. Nec naturali, sed captiuo motu uersatur in uitio, donec moriatur peccato & uiuat Deo: quod sine gratia Dei facere non potest: quia libertatem, quam libertate perdidit, nisi Christo liberante non recipit.
Act. 4. Non est enim aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat saluos fieri.

OBIE

A OBIECTIO VI.

QVOD Deus tale in hominibus plasmet arbitrium, quale est dæmonum: quod proprio motu nihil aliud possit, uel uelit, nisi malum.

RESPONSIO.

TOTVS quidem mundus, sicut ait Ioannes apostolus, in maligno positus est: & multorum hominum talis est malitia, qualis & dæmonũ. Qualibus dicebat dominus: Progenies uiperarum, quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? & uos de diabolo patre nati estis, & cõcupiscentias patris uestri facere uultis. Sed hoc inter malos homines distat & dæmones, quòd hominibus etiam ualde malis super est, si Deus misereatur, reconciliatio: dæmonibus autẽ nulla est in æternum seruata conuersio. Sicut ergo præuaricatoribus angelis nõ Deus indidit illã, quæ in ueritate non stetit, uoluntatem: ita nec hominibus hunc affectum, quo diabolum imitarentur, inseruit. Mendax enim de proprio loquitur: & liber à mendacio non erit, nisi eum ueritas liberauerit. 1. Ioan. 5. Matth. 3.

OBIECTIO VII.

QVOD hæc sit uoluntas Dei, ut magna pars Christianorum salua esse nec uelit, nec possit.

RESPONSIO.

B SI de his hoc dicitur, qui pietatem Christianæ cõuersationis & fidei deserentes, in prophanos errores, aut in damnabiles mores inreuocabiliter transierunt, nõ dubiũ est, quòd talem uoluntatẽ habentes salui esse nolunt: & quandiu salui esse nolunt, salui esse nõ possunt. Sed nullo modo credendũ est huiusmodi homines, in hanc desperationem ex Dei uolũtate cecidisse, cum potius alleuet dominus omnes, qui corruunt, & erigat omnes elisos. Nemo enim nisi illius gratia erigitur, nemo nisi illius gratia stabilitur. Dei ergo uoluntas est, ut in bona uoluntate maneatur: qui & prius quàm deseratur, neminem deserit: & multos desertores sæpe conuertit. Psal. 144.

OBIECTIO VIII.

QVOD nolit Deus, ut omnes catholici in fide catholica perseuerẽt, sed uelit ut magna ex inde pars apostatet.

RESPONSIO.

NON est dissimilis blasphemiæ huius impietas, à præcedente sententia: quod ergo ad illam, hoc etiam ad istam, quæ in nullo est diuersa responsum sit.

OBIECTIO IX.

QVOD uelit Deus, ut magna pars sanctorum, à sanctitatis proposito ruat.

RESPONSIO. C

NEC huius definitionis insania aliud sonat, quàm gemina obiectio prælocuta est. Vnde mirandum est obijcientem tertio repetisse, quod semel dixisse suffecerat: sed ut res est, numerum criminationis augere uoluit, quia sensum uariare non potuit.

OBIECTIO X.

QVOD adulteria, & corruptelæ uirginum sacrarum ideo contingant, quia illas Deus ad hoc prædestinauit, ut caderent.

RESPONSIO.

DETESTANDA & abominanda opinio, quæ Deum cuiusquam malę uoluntatis, aut malæ actionis credit autorē: Cuius prædestinatio nunquàm extra bonitatem, nunquàm extra iusti-
Psal. 24. tiā est: Vniuersæ enim uię domini misericordia & ueritas. Adulteria enim maritatarum, & corruptelas uirginum non instituere nouit sancta diuinitas, sed damnare: nec disponere, sed punire. Quæ mala homines cum admittunt, suis concupiscentijs & cupiditatibus seruiunt: quas ab illa prima
Psal. 16. uoluntariæ præuaricationis labe traxerunt: cùm autem declinant à malo, & faciunt bonum, à domino gressus hominis diriguntur, & uiam eius
2. Cor. 13. uolet. Propter quod dicit Apostolus: Oramus autem ad dominum, ut nihil mali faciatis: nō ut nos probati appareamus, sed ut uos quod bonum D
est faciatis. Non ergo casus ruentiū, nec malignitatē iniquorū, neq; cupiditates peccantiū prædestinatio Dei, aut excitauit, aut suasit, aut impulit: sed planè prædestinauit iudiciū suum, quo unicuiq; retributurus est prout gessit, siue bonum, siue malum. Quod iudicium futurum omnino non esset, si homines Dei uoluntate peccarent. Erit autem manifestissime. Et omnis homo quem discretio diuinæ scientiæ in sinistra cōstituerit parte, damnabitur; quia non Dei, sed suam executus est uoluntatem.

OBIECTIO XI.

QVOD quando incestant patres filias, & matres filios: uel quando serui dominos occidunt, ideo fiat, quia ita Deus prædestinauit, ut fieret.

RESPONSIO.

SI diabolo obijceretur, quòd talium facinorum ipse autor, ipse esset incentor, puto quòd aliqua ratione exonerare se hac posset inuidia, & alium scelerum patratorem de ipsorum uolūtate uinceret. Quia etsi delectatus est furore peccantium, probaret tamen se nō intulisse uim criminū. Qua ergo insipiētia, quą'ue demētia definit' ad Dei referendū esse cōsiliū, quod nec diabolo in totū ascribi potest, qui in peccantium flagitijs illecebrarū adiutor, non uoluntatum credendus est esse generator

A nerator? Nihil ergo talium negotiorum Deus prædestinauit, ut fieret: nec illam animam nequiter, turpiterq; uicturam, ad hoc, ut taliter uiueret, præparauit: sed talem futuram non ignorauit, & de tali iustè se iudicaturum esse præsciuit. Atque ita ad prædestinationem eius nihil aliud referri potest, nisi quod aut ad debitam iustitiæ retributionem, aut ad indebitam pertinet gratiæ largitatem.

OBIECTIO XII.

QVOD Dei prædestinatione efficiantur de filijs Dei, filij diaboli, & de templo sancti spiritus templa dæmonum, & de membris Christi membra meretricis.

RESPONSIO.

PRAEDESTINATIO Dei, etsi apud nos, dum in præsentis uitæ periculis uersamur, incerta est, apud illum tamen, qui fecit quæ futura sunt, incommutabilis permanet: nec quæ illuminauit, obcæcat: nec quæ ædificauit, destruit: nec quæ plantauit, euellit. Sine pœnitentia enim sunt dona & uocatio Dei: & firmum fundamentū Dei stat, habens signaculum hoc: Cognouit dominus qui sunt eius. Nullo igitur modo prædestinatio Dei facit, ut aliqui ex filijs Dei, filij sint diaboli: aut ex templo sancti spiritus, templa sint dæmonum: aut ex membris Christi, fiant membra meretricis: sed potius prædestinatio facit, ut ex filijs diaboli, fiant filij Dei: & ex templo dæmonum, templum sit spiritus sancti: & ex membris meretricis, membra sint Christi. Quia ipse alligat fortem, & uasa eius rapit, eruens ea de potestate tenebrarum, & transferēs de cōtumelia in gloriam. Hi autem de quibus dicitur, Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum: uoluntate exierunt, uoluntate ceciderunt. Et quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati. Essent autem prædestinati, si essent reuersuri, & in sanctitate ac ueritate mansuri. Ac per hoc prædestinatio Dei, multis est causa standi, nemini est causa labendi.

(margin: 2. Timoth. 2. — B — 1. Ioan. 2.)

OBIECTIO XIII.

QVOD omnes illi fideles & sancti, qui ad æternam mortem prædestinati sunt, quando ad uomitum suum relabuntur, uitio quidem suo hoc facere uidentur: sed ipsius uitij causa est diuina prædestinatio, quæ illis latenter subtrahit bonas uoluntates.

RESPONSIO.

EADEM blasphemiarum spiritus perseuerat, & à præcedentibus mendacijs subsequens impietas non recedit: quam prorsus uera ratio probat, & incunctanter sana doctrina condemnat. Quia omnibus quidem à fide ad infidelitatē, à sanctitate ad turpitudinē relapsis,

& ante finem uitæ nulla emendatione purgatis, nihil aliud quàm mors C
æterna debetur: sed nefas est Deo ascribere causas taliũ ruinarũ. Qui etsi ex æterna scientia præcognitũ habet, quid unius cuiusq; meritis retributurus sit, nemini tamen per hoc quod falli non potest, aut necessitatẽ, aut uoluntatem intulit delinquendi. Si ergo à iustitia & pietate quis deficit, suo in præceps fertur arbitrio, sua concupiscentia trahitur, sua persuasione decipitur. Nihil ibi pater, nihil filius, nihil agit spiritus sanctus: nec tali negotio quicquam diuinæ uoluntatis interuenit: Cuius opere multos scimus, ne laberentur, retentos: nullos autem, ut laberentur, impulsos.

OBIECTIO XIIII.

QVOD pars magna illa Christianorum catholicorũ fidelium, atque sanctorum, quæ ad ruinam & perditionem prædestinata est, etiam si petat à Deo sanctitatis perseuerantiam, non impetrabit: eò quòd mutari non potest diuina prædestinatio, quæ illos præordinauit, præparauit, præaptauit, ut caderent.

RESPONSIO.

AD præuaricationem legis, ad neglectum religionis, ad corruptelam disciplinæ, ad desertionem fidei, ad perpetrationem qualiscunque peccati, nulla omnino est prædestinatio Dei. Nec fieri potest, ut per quem à talibus malis surgitur, per eum in talia decidatur. Si D
ergo in sanctitate uiuitur, si in uirtutem proficitur, si in bonis studijs permanetur, manifestum munus est Dei, sine quo nullius boni operis fructus adquiritur. Si autem ab his receditur, & ad uitia atque peccata transitur, nihil ibi Deus malæ tentationis immittit: & recessurum non deserit antè, quàm deserat: & facit plerunq;, ne deserat, aut etiam si discessit, ut redeat. Quur autem illum retineat, illum non retineat, nec possibile est comprehendere, nec licitum uestigare: cum scire sufficiat, & ab illo esse quòd statur, & non ab illo esse quòd ruitur.

OBIECTIO XV.

QVOD omnes illi fideles & sancti qui ad æternam mortem prædestinati sunt, posteaquàm ceciderint, sic à Deo dispensentur, ne possint uel uelint per pœnitentiam liberari.

RESPONSIO.

NON ueraciter, nec sapienter hoc dicitur. Qui enim à fide & sanctitate exciderunt, sicut uoluntate prolapsi sunt, ita uoluntate non surgunt: & dominatum concupiscentiarum, quibus succubuerunt, sponte patiuntur. Si qui autem captiuitatem suam gemunt, & iudicantes semetipsos, ad misericordiam Dei, mutato corde, confugiunt, non sine spiritu diuinæ uisitationis hęc faciunt. Hæc enim mutatio dexteræ excelsi:

A rae excelsi: qui innumeris lapsis dat poenitentiam, ut resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenebantur ad ipsius uoluntatem. Nemini autem Deus correctionis adimit uiam, nec quenquam boni posibilitate dispoliat. Quia qui se à Deo auertit, ipse & uelle quod bonum est, & posse sibi sustulit. Non est ergo consequens, sicut putant qui talia obijciunt, ut Deus, quibus poenitentiam non dederit, resipiscentiam abstulerit: & quos non leuarit, alliserit: cum aliud sit insontem in crimen egisse, quod alienum est à Deo: aliud criminoso ueniam non dedisse, quod de peccatoris est merito.

OBIECTIO XVI.

QVOD magna pars illa fidelium atque sanctorum, quae ad aeternam mortem praedestinata est, quando dicit Deo in oratione dominica: fiat uoluntas tua: nihil aliud, quàm contra se petat: id est, ut cadant & ruant: quia uoluntas Dei haec est, ut aeterna morte pereant.

RESPONSIO.

NON HOC ueritas dicit, quòd haec sit uoluntas Dei, ut fideles & sancti à fide atque innocentia ruant, & pereant in aeternum: sed ueritas dicit: Haec est uoluntas eius, qui me misit, patris, ut omne Ioan.6.
quod dedit mihi, non perdam ex eo quicquam, sed resuscitem illud in no-
B uissimo die. Quod ergo pater filio dedit, filius omnino non perdit. Idem enim dicit: Omne quod dat mihi pater, uenit ad me, & non eijciam foras. Ioan.6.
Quòd si per generalitatem uocationis, & per abundantiam bonitatis Dei etiam non perseueraturi, perseueraturis admixti sunt, hi cum à pietate deficiunt, non ex Dei opere, sed ex sua uoluntate deficiunt: nec impelluntur ut cadant, nec eijciuntur ut deserant: casuri tamen & recessuri ab eo, qui falli non potest, praesciuntur. Quandiu itaque in oratione dominica dicunt: fiat uoluntas tua: non hoc contra se petunt, quod Deus nullo modo ulla ratione facturus est: id est, ut cadant & ruant. Hoc enim ipsorum nequitia, ipsorum est consummatura libertas. Sed planè illud contra se petunt, quod diuinae uoluntatis esse non dubium est: ut scilicet, cum uenerit filius hominis in maiestate sua, & sederit super thronum gloriae suae, congregentur ante eum omnes gentes, & separet eos abinuicem, alios ad dextram, alios statuens ad sinistram: & audiant eum dextri dicentem: Venite benedicti patris mei, posidete regnum paratum uobis à constitutione mundi. Matth.25.
Audiant & sinistri: Discedite à me maledicti in ignem aeternũ, quem parauit pater meus diabolo & angelis eius. Igitur qui facturi non sunt uoluntatem Dei, & petunt ut fiat uoluntas Dei, in eo quod Dei uoluntate faciendum est, audiuntur, ut imitatores diaboli cum diabolo iudicentur. Qui enim uoluntatem Dei spreuerunt inuitantem, uoluntatem dei sentient uindicantem.

FINIS.

D. PROSPERI AQVITANICI, EPISCOPI REGIENSIS, AD EXCERPTA, QVAE DE GENVENSI CIVITATE SVNT MISSA, RESPONSIONES. C

CAMILLO ET THEODORO VENERABILIBVS PRESBYTERIS, PROSPER.

IN LIBRIS beatæ memoriæ Auguſtini Epiſcopi, quorum titulus eſt, de Prædeſtinatione ſanctorum, quædam ſanctitatē ueſtram uel inſolita, aut minus clara, mouerunt, quæ ad humilitatē meam, de contextu diſputationis excerpta, miſiſtis: ut quo intellectu, uel quo iudicio ea acceperim, noſceretis: quaſi plus in me, quàm in uobis ad hæc introſpicienda eſſet ingenij: ac non magis in hoc examine ueſtræ facultatis debueritis exercere menſuram: & ſi aliqua uos morabatur obſcuritas, decurrere ad patrem luminum, à quo deſcendit omne datum optimum, & omne donum perfectum, & à quo datur ſpiritus ſapientiæ & intellectus: ueruntamen præceptis ueſtris obſequium meum non ſubtraham, & adiuuante domino, qui ſapientiam præſtat paruulis, de capitulis iſtis, quid cum ſanctis & eruditis fratribus ſentiam, breuiter indicabo, petens, ne, ubi eſt ſimplicitas obedientiæ, præſumptionem eſſe putetis doctrinæ. De excerptis itaque hæc prima propoſuiſtis: in quibus uerba ſunt Sancti Auguſtini Epiſcopi. D

DVBIVM PRIMVM.

Rom. 9. IAcob dilexi, Eſau odio habui. Ad hoc perduxi ratiocinationem, ut dicerem: Non ergo elegit Deus opera cuiuſquam quæ ipſe daturus ſit, ſed fidem elegit in præſcientia. Vt quem ſibi crediturum eſſe præſciret, ipſum elegerit, cui ſanctum ſpiritum daret: ut bona operando etiam uitam æternam conſequeretur. Nondum diligentius quæſieram, nec adhuc inueneram, qualis eſſet electio gratiæ.

DVBIVM II. In uerbis eiuſdem.

AC deinde ſubiunxi: Quòd ergo credimus, noſtrum eſt: quòd autem bona operamur, illius eſt, qui credentibus dat ſpiritum ſanctum. Profectò non dicerem, ſi iam ſcirem etiam ipſam fidem inter Dei munera reperiri, quæ datur in eodem ſpiritu: utrunque noſtrum eſt

propter

A propter arbitrium uoluntatis: utrunque tantum datum est propter spiritum fidei & charitatis.

DVBIVM III. In uerbis eiusdem.

AC per hoc quod etiam postea dixi: quia neque uelle possumus, nisi uocemur: & cum post uocationem uoluerimus, non sufficit uoluntas nostra, & cursus noster, nisi & Deus uires credentibus præbeat, & ducat, quò uocat. Ac deinde subiunxit: Manifestum est ergo non uolentis, neque currētis, sed miserētis Dei esse quòd bene operemur. Omnino uerissimum est, sed parum de ipsa uocatione disserui, quæ fit secundū propositum Dei. Non enim omnium qui uocātur talis est, sed tantùm electorum.

RESPONSIO AD HAEC TRIA.

IN HIS tribus capitulis, licet diuisa sint à disputatione corpora, & eo ipso obscuriora sint facta, quòd & præcedentibus, & medijs, & subsequentibus non cohærent: intelligo tamen quòd unam atque eandem causam scriptor exequitur: de eis loquens, qui dicebant eum primo conuersionis suæ tempore meliora sensisse, quādo æstimabat, quòd fides, qua Christiani sumus, nō esset ex gratia,
B nec ex dono haberetur Dei, sed esset ex ipso homine, & ex arbitrij libertate. Modo autem errare eum, quia assereret ipsam etiā fidem, Dei esse donum: & ad hanc quoque pertinere quod dictum est: Quid autem habes quod non accepisti? Neque rectè eum nunc electionem Iacob ad propositum Dei referre, quam prius ad præscientiam retulisset. Ad hanc ergo obiectionem respondet, se, antè quàm cognosceret gratiæ ueritatem, & antè quàm regendæ præponeretur ecclesiæ, in hac opinione ignoranter errasse: sed in ipso episcopatus sui exordio, sanctæ memoriæ Simpliciano Mediolanensi antistite, de Iacob electione & de Esau reiectione consultò, totam quæstionem ad hos geminos pertinentem, sagaciore diligentia uentilasse: & omnibus ratiocinandi uiribus hoc indubitāter agnouisse, quòd electionem gratiæ nulla merita humana præcedant: & quòd fides, unde incipiunt omnia merita, donum sit Dei: ne gratia non sit gratia, si aliquid eam, propter quod tribuatur, anteuenit. Itaque in eo quod dictum est, Iacob dilexi, ostensum esse quid homini donaretur: & in eo quod dictum est, Esau autem odio habui, ostensum esse quid homini deberetur. Hoc autem se in libro Retractationum secundo suo opere studiosè recoluisse. Et cum omnes opiniones suas censoria grauitate discuteret, istam, quam obtrectatores eius eligunt, improbasse, quam ante Pelagianæ hæresis ortum futuro errori amicam esse præuidit, & reuelata sibi gratiæ ueritate reiecit. Quæ igitur ratio est, ut hanc uiri huius professionem non approbemus, qua nos ad castigandas opiniones nostras, si quas fortè imprud

1. Cor. 7.

imprudenter incidimus, exemplo suæ correctionis instituit: & qua docet C à Deo nos accipere, quod ut accipiamus, iubemur orare. Si enim consideremus Pelagianæ argumenta perfidiæ, quid magis nititur obtinere, quàm ut uideatur gratia Dei secundum merita nostra dari, ut in eo ipso in quo gratiam necessariam confitetur, meritis eam humanæ uoluntatis eneruet? Quam peruersitatem omnino incurrit, qui fidem ad Dei munera non putat pertinere. Aut ideo eam se iactitat ad Deum referre, quia ab ipso sit creata natura, cui rationabilem inseruit libertatem, per quam unusquisque & credere, & non credere in sua habeat potestate. Et de hoc naturali bono qui nullis præcedentibus meritis, cum crearetur, accepit, cætera dona mereatur. Hoc autem qui asserit, fatetur (credo) nobiscum, quòd in primo Adam omnium hominum natura uitiata sit: nec negat eam in illo lapsu, suas amisisse uirtutes, quas nisi per gratiam recipiat, habere non possit. Quid est autem quod eidem naturæ, solam fidem non uult esse præreptam, quam nisi primam amisisset, cæteris bonis omnibus non careret? Credendo enim Adam diabolo, non credidit Deo: & cùm spiritu superbiæ inebriatus esset, discessit à domino cor eius: & factus est seruus apostatæ, dum liber uult esse iustitiæ. Cùm itaque non haberemus continentiam, nisi Deus daret: nec haberemus dilectionem sanctam, nisi charitas Dei diffunderetur in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis: cùm postremò nemo haberet sapientiam & intellectum, consilium & fortitudinem, scientiam & pietatem ac timorem D domini, nisi has uirtutes spiritus sanctus daret, quomodo fides in Adam perdita, in quoquam filiorum eius inueniretur, nisi eam idem spiritus, qui omnia in omnibus operatur, infunderet? Vnde si quod Adam perdidit, posteritas non amisit, ipsum solum læsit peccatum eius, & non genus humanum. Sed omnes in uno peccauerunt, & præuaricationis merito, tota eius propago damnata est. Omnes igitur quod Adam perdidit, perdiderunt. Perdidit autem primitus fidem, quam omnes, quia primam potuimus amittere, primam habemus accipere. Placeat ergo nobis hæc gratiæ prædicatio, qua fides donum Dei esse defenditur, & in nullo nobis potuerit Pelagianus error illudere: qui, ut gratiam persuadeat debitam, fidem non uult esse donatam. Quia ergo nec iusta, nec rationabilis intelligitur eorum fuisse persuasio, qui huius uiri scientiam tot incrementorum profectibus ædificatam, tot annorum studijs expolitam, ad adolescentiæ rudimenta reuocabant, ut magis suffragaretur hæreticis, quod inter initia conuersionis suæ imperitè senserat, quàm prodesset catholicis, quod pontificali diligentiæ ueritas reuelarat: meritò illos hoc præiudicio utentes, & in his, quæ dudum abdicata fuerant, immorantes, pij doctoris grauitas notat: quòd qui curauerunt omnes sensus ipsius indagare, noluerint cum eius eruditione proficere. Sed iam consideremus quale sit, quod de subsequentibus adnotastis.

DUB

A DVBIVM IIII.

NOn quia credere uel non credere, non est in arbitrio uoluntatis humanæ, sed in electis præparatur uoluntas à domino.

RESPONSIO.

IVNGAMVS quod sequitur, ut quod propositum est, de connexo sermone sit clarius: ideo ad ipsam quoque fidem pertinet. Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? 1. Cor. 4. Multi audiunt uerbum ueritatis, sed alij credunt, alij contradicunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cum alijs præparetur, alijs non præparetur uoluntas à domino, discutiendum est utique, quid ueniat de misericordia, quid de iudicio. Quod quærebat Israël, hoc non est consecutus: electio autem cõsecuta est, Rom. 11. cæteri uerò excæcati sunt, sicut scriptum est: Dedit illis spiritum cõpunctionis, Esa. 6. oculos ut non uideant, & aures ut non audiant usque in hodiernum diem. Et Dauid dicit: Fiat mensa eorum in laqueum, & in uenationem, Psal. 68. & in scandalum, & in retributionẽ illis: Obscurentur oculi eorum, ne uideant, & dorsum eorum semper incurua. Ecce misericordiam & iudicium: misericordia in electione, quæ consecuta est iustitiam Dei: iudiciũ uerò in cæteros, qui excæcati sunt: & tamen illi quia uoluerũt crediderũt:
B illi, quia noluerunt, non crediderunt. Misericordia igitur & iudicium, in ipsis uoluntatibus facta sunt: electio quippe istis gratiæ est, non utiq; meritorum. Superius enim dixerat: Sic enim in hoc tempore reliquiæ per Rom. 11. electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Si autẽ gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia, iam nõ est gratia. Gratis ergo consecuta est quod cõsecuta est electio. Non præcessit eorum aliquid quod priores darent, & retribueretur illis. Pro nihilo saluos fecit eos. Cæteri autem qui excæcati sunt, sicut ibi non tacitum est, in retributione factum est: uniuersæ uiæ domini Psal. 24. misericordia & ueritas. Inuestigabiles autem sunt uiæ ipsius. Inuestigabilis Rom. 11. igitur misericordia qua gratis liberat, & ueritas qua iustè iudicat. Hæc omnia apud pium catholicumq; lectorem, quid offensionis pariunt? quid contradictionis incurrunt? Nunquid falsum est, quod præparatur uolũtas à domino? Nunquid non quotquot spiritu Dei aguntur, hi filij Dei? Nunquid hominẽ ab homine natura discernit, ac nõ potius gratia ab infideli fidelem? Rom. 8. Nunquid potest ullus dicere habere se, quod non accepit? aut quasi de non accepto, sed proprio gloriari? quod si non accepisset, utique non haberet. Nunquid dubiũ est, cum uerbum ueritatis prædicatur, alios uolũtate credere, alios uolũtate nõ credere? Sed cum illorũ cor Deus aperuerit, illorum autẽ non aperuerit, discernẽdum est quid ueniat de misericordia, quid de iudicio. Post cõmemorationem autem Apostolicę sententiæ, quam propheticis testimonijs astruit, quòd iustitiã Dei, quã Israël Rom. 11. quærẽs cõsecutus non est, electio sit cõsecuta per gratiã, cæteris ex retribu-

tione cæcatis, nunquid non uerissime dictum est: ecce misericordia & iudicium? misericordia in electione, quę cõsecuta est iustitiam Dei: iudicium uerò in cæteris, qui excæcati sunt. Et paulò post: Gratis ergo cõsecuta est, quod cõsecuta est electio. Non præcessit aliquid eorum quod priores darent, & retribueretur illis: pro nihilo saluos fecit eos. Cæteris autẽ qui excæcati sunt, sicut ibi non tacitũ est, in retributione factum est. Quis hic locus querimoniæ, nisi apud inimicos gratiæ: qui, nisi ad retributionem referatur quod gratis datur, ad iniquitatem uolunt pertinere quod redditur? Deinde quod de Propheticis intulit uerbis: Vniuersæ uiæ domini misericordia & ueritas: quis negauit? Aut quod de apostolico adnexuit censu: Inuestigabiles sunt autem uiæ ipsius? Inuestigabiles igitur sunt, & misericordia qua gratis liberat, & ueritas qua iustè iudicat. Non est ergo sanarum mentium ista reprehendere: & inuestigabiles uias domini, hoc est, dona misericordiæ & iudicia ueritatis, Pelagianorũ elationi penetrabilia deputare. Quia secundũ ipsos nõ latet cõsiliũ Dei, nec in occulto est diuinæ ratio uolũtatis, si erga omnẽ hominẽ tam gratia Dei, quàm & ira merito est.

Psal. 24. Rom. 11.

C

DVBIVM V.

POST hæc posuistis quod infrà dictum est: Fides igitur & inchoata, & perfecta, donum Dei est: & hoc donum quibusdam dari, quibusdã non dari, nõ dubitet, qui nõ uult manifestissimis sacris literis repugnare.

RESPONSIO.

D

HOC qui non recipit, cuius uidetur esse sententiæ, nisi dicentis: fides per quam iustificor, ex me est: & hoc bonum, ex quo iustus uiuit, non accepi per gratiã, sed habeo per naturam? Si ergo fides donum dei non est, frustra & de sua pro non credentibus orat ut credant, & sufficit impijs magisteriũ legis adhiberi: de qua dictum est: Si ex lege est iustitia, ergo Christus gratis mortuus est: quod similiter dici potest etiã de natura. Frustra etiã Apostolus gratias agit Deo pro his, qui Euangelium receperunt: cum hoc secundũ Pelagianos nõ Dei sit præstitũ munere, sed ex sola habeatur hominum uoluntate. Et frustra quibusdã precatur idem Apostolus, ut sit eis pax & charitas cum fide à Deo patre & domino Iesu Christo: ut iam non solùm de fide, sed etiam pace & charitate, superbia hæreticorum conuincatur dicere de proprio se has habere uirtutes. Quòd si hæc ex homine sunt, quid obest, ut non ex semetipso habeat & cætera bona quæ inferiora sunt, cum audeat sibi deputare quæ summa sunt, & sine quibus alia, quamuis multa & clara, non prosunt? Non potest itaque merito refutari quod dictum est: Fides igitur & inchoata & perfecta, donum Dei est: quia eadem & Apostoli uox est, dicentis: Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex uobis: Dei enim donum est, non ex operibus: ne fortè quis extollatur. Et: Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed etiã ut patiamini pro eo. Et iterum

Gal. 2. 2. Thes. 2. Rom. 1. 1. Cor. 13. Rom. 3. Ephe. 2. Philip. 1.

A rum per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in autorem fidei,& consummatorem Iesum. Quibus,& plurimis alijs Heb. 12.
testimonijs diuinarum scripturarum,indubitanter agnoscitur: quoniam sicut ab hoc uiro definitum est, fides & inchoata & perfecta,donum est Dei: & hoc donum,inquit,quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitat,qui non uult manifestissimis sacris literis repugnare. Nõ putemus hoc ueraciter dictũ,si omnes homines fideles sunt: sed cum alij credant,alij uerò non credant,dicatq; Apostolus:Non enim omnium est 2. Thess. 3.
fides: quis non uideat fidem,quam acceperunt qui habent, non accepisse qui non habent?

DVBIVM VI.

DEINDE ait: Cur autem non omnibus detur.

RESPONSIO.

FIDELEM mouere non debet, qui credit ex uno omnes isse in condemnationem sine dubitatione iustissimam: ita ut nulla esset Dei iusta reprehensio,etiã si nullus inde liberaretur. Vnde cõstat magnam esse gratiam quòd plurimi liberantur:& quid sibi deberetur, in eis qui non liberantur, agnoscunt:ut qui gloriatur, non in suis meritis, B quæ paria uidet esse damnatis,sed in domino glorietur.

DVBIVM VII.

CVR autem istum potius quàm istum liberet.

RESPONSIO.

INSCRVTABILIA sunt iudicia eius, & inuestigabiles uiæ ipsius.Melius enim & hic audiemus: O homo, tu quis es qui respondeas Deo? quàm dicere audeamus, quasi nouerimus quod Rom. 9.
occultum esse uoluit,qui tamẽ aliquid iniustũ uelle nõ potuit.Hæc omnia si nõ recte dicta sunt,scrutabilia sunt iudicia Dei, & uestigabiles uiæ eius. Nec occultũ est,quare ille potius quàm iste saluat̃,& in se,non in domino gloriabitur,qui,alijs uitio suo pereuntibus,electione dignus inuentus est. Ac sic iustitia quidẽ erit quòd plurimi damnãtur: sed nõ erit gratia quòd plurimi liberãtur.Absit hæc à catholicis cordibus,absit talis impietas, ut quenquã putemus meritis suis erui de potestate tenebrarũ, & in regnũ filij Dei debita nõ gratuita adoptiõe trãsferri. Magno peccato perijt Adã, & in illo oẽs perierũt.Quia omni homini damnata natiuitate genito, hoc in Adã debet̃,ut pereat.Et sicut nõ possumus cõqueri de eo,quòd in præteritis seculis dimisit omnes gentes ingredi uias suas,ita iustã non haberemus querelã, si cũ eis,cum quibus nobis fuit causa cõmunis, cessante adhuc gratia,periremus.Quę tamẽ sicut tunc de omni mundo eruit paucos, ita nunc de uniuerso genere hominum saluat innumeros: non secundum

2. Timo. 1. opera nostra, sed secundum suum propositum, & gratiam quæ data est no C
bis in Christo Iesu ante tempora æterna.

DVBIVM VIII.

SVBNEXVISTIS etiam, quod post multa differens ait: est ergo in malorum potestate peccare: Vt autem peccando hoc uel hoc illa malitia faciat, non est in eorum potestate, sed Dei, diuidentis tenebras, & ordinantis eas: ut hinc etiam quod faciunt contra uoluntatem Dei, non impleatur, nisi uoluntas Dei.

RESPONSIO.

QVOD cum sit apertissimæ ueritatis, miror inter obscura deceptum: quasi non ex cohærentibus potuerit omnis hæsitatio lectoris absolui. Inspicite ergo quod sequitur: Legimus, inquit, in Acti-
Act. 4. bus apostolorum, quòd cum dimissi à Iudæis apostoli uenissent ad suos, & indicassent quanta eis sacerdotes & seniores fecerunt, leuauerũt illi uocem unanimes omnes ad dominum, & dixerunt: Domine tu es qui fecisti
Psal. 2. cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt, qui per os patris nostri Dauid sancti pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum, aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Conuenerunt enim in ueritate, in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum quem un- D
xisti, Herodes & Pilatus & populus Israël, facere, quanta manus tua & consilium prædestinauit fieri. Si ergo quæ per os patris nostri Dauid spiritus sanctus prophetauit, aliter intelligi ullo modo, quàm ab apostolis sunt intellecta, non possunt, & Herodes ac Pilatus & populus Israël fecerunt quanta manus Dei & consilium prædestinauit fieri, quid inconueniens ait admirabilis disputator? est, inquiens, in malorum potestate peccare: ut autem peccando hoc uel hoc illa malitia faciat, non est in eorum potestate, sed Dei diuidentis tenebras & ordinantis eas: ut hinc etiam quod faciunt contra uoluntatem Dei, non impleatur nisi uoluntas Dei. Male enim uelle facilimum est malis: & eorum damnabilem uoluntatem nõ dubium est à Dei potestate concludi, ut effectum cupiditatis suæ, nisi ille permiserit, habere non possint. Vti autem sapientiam & iustitiam Dei etiam malorum operibus, quæ ex ipsorum prodeunt appetitu, ad implenda consilia & iudicia sua, nullus, uel tenuiter secundum pietatem doctus, ignorat: qui uidet Dei patris optimam uoluntatem, non parcentis filio suo, sed pro nobis omnibus tradentis eum, pessima traditorum Iudæ & Iudæorum uoluntate completam: Et qui in Euangelicis pa-
Ioan. 19. ginis legit, dicente Pilato ad Iesum: Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittendi te? respondisse dominum: non haberes in me potestatem ullam, nisi esset tibi data desuper. Diuidit itaq; Deus inter lucem & tenebras: nec ideo inculpabiles sunt

A sunt tenebræ, quia eis bene utitur Deus, qui etiã de opere ipsorum, quod filijs lucis in bonum procederet, ordinauit: tantum progredi sinens maliciam nocere cupientium, quantum eam sanctis suis uel castigandis nouit utilem uel probandis: ut hinc etiam quod faciunt cõtra uoluntatem Dei, non impleatur nisi uoluntas Dei.

DVBIVM IX.

SEQVITVR deinceps quod in libro inuenitur secundo: an quisquam dicere audebit, Deum non præscisse quibus esset daturus ut crederent, aut quos daturus esset filio suo, ut ex eis non perderet quẽquam? Quæ utiq; si præsciuit, profectò beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præsciuit. Hæc est prædestinatio sanctorum, nihil aliud, præscientia scilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberãtur, quicunque liberantur. Cæteri autẽ ubi, nisi in massa perditionis iusto diuino iudicio relinquuntur, ubi Tyrij relicti sunt & Sidonij, qui etiam credere potuerũt, si mira illa Christi signa uidissent? Sed quomodo ut crederent, non eis erat datum, etiam unde crederent est negatum.

RESPONSIO.

B QVI ISTIS resistunt, hoc sentire apertissimè probantur, quod fides non sit donum Dei, & quòd gratia non præueniat liberum arbitrium, sed sequatur, & quòd gratia Dei secũdum merita nostra detur. Nam si aliquid conferri homini per gratiam confitẽtur, & id non accipit nisi fides, quæ accepta non est, in ipsa est meritum, cui nõ donum datur, sed debitum redditur. In hac sententia positi, consequenter sapiunt, eos esse prædestinatos in uitam æternam, quos per liberæ uoluntatis arbitrium fideles futuros præscierit Deus, ut ipsa electorum prędestinatio non sit nisi retributio. Atque ita in his, qui prædestinati sunt secundum propositum eius qui uniuersa operatur, non operetur Deus fidem: nec ulla sint hominis merita, si Deus operatur uniuersa. Vere qui ista sentiunt, fidẽ non acceperunt: aut quã acceperant perdiderunt, sequẽdo uanissimam Pelagianorum superbiã, & in se, & in domino gloriãdo, qui operatur omnia in omnibus, bona profectò, non mala. Et si omnia bona, utique & fidẽ, sine qua nemo potest placere: & quæ est uirtutũ omniũ fundamentum. Quale est autem, ut, cum Dei sit ædificatio: Et, Nisi dominus ædificauerit domum, in uanum laborant, qui ædificant eam: aut nolint isti fundamentum ad ædificium pertinere, aut se uelint inchoare, quod dominus possit extruere? Non erit ergo illis principium filius Dei, non fundabuntur in ipso angulari lapide Christo Iesu: nec de eis dictum

1. Corin. 3.
Psal. 126.

 est

2. Timo. 2. est: Firmum autem fundamentum Dei stat: quia totam electionem suam C
solubili arenæ & succiduo cineri superponunt. Agnoscamus itaque sapienter, pieq; fateamur, præscisse incommutabiliter Deum, quibus esset daturus ut crederent: aut quos daturus esset filio suo, ut ex eis non perderet quenquam. Et si hæc præsciuit, beneficia sua illum, quibus nos dignatur liberare, præscisse. Et hanc esse prædestinationem sanctorum: prædestinationem scilicet & præparationem gratiæ Dei, qua certissime liberantur. Cæteros autem quicunque non liberantur, quos à generali perditione humani generis gratia non exemit, iusto nouerimus iudicio non exemptos: & quid nobis remissum sit, in eis discamus, de quorum
2. Pa. 19. queri damnatione non possumus. Non est enim iniquitas apud Deum, neque quisquam sub iudicio eius innocens perit. Sicut enim hic ipse insignis gratiæ prædicator alibi ait: Reddit omnino Deus & mala pro malis, quomodo iustus est: & bona pro malis, quomodo bonus est: & bona pro bonis, quomodo iustus & bonus est: tantummodo mala pro bonis non reddit, quomodo iniustus non est. Reddit ergo mala pro malis, pœnam pro iustitia: & reddit bona pro malis, gratiam pro iniustitia: & reddit bona pro bonis, gratiam pro gratia: cùm alij qui pereunt, non dubitemus ipsorum meritis deputari, quòd pereunt: quos utique posset Deus misericorditer liberare, si uellet. Et cùm alij qui liberantur, non audeamus definire, quòd digni fuerint liberari: quos utique posset Deus iustè damnare, si uellet. Quare autem non omnes, aut quare illos potius quàm illos D
liberet, nec necessarium est quærere, nec possibile reperire: cum omissis discretionis istius causis scire sufficiat, quòd nec misericordia iustitiam, nec iustitia auferat misericordiam apud eum, à quo nemo nisi iustè damnatur, nemo nisi misericorditer liberatur. De Tyrijs uerò &
Matth. 11. Sidonijs quid aliud possumus dicere, quàm non esse eis datum ut crede-
Luc. 10. rent, quos etiam credituros fuisse, ipsa ueritas dicit, si talia, qualia apud non credentes facta sunt, uirtutum signa uidissent. Quare autem hoc eis negatum fuerit, dicant, si possunt, qui calumniantur: & ostendant, cur apud eos dominus mirabilia, quibus profutura non erant, fecerit. Nos etiam si rationem facti, & profunditatem iudicij eius penetrare non possumus, manifestissimè tamen scimus, & uerum esse quod dixit, & iustum esse quod fecit. Et non solum Tyrios & Sidonios, sed etiam Corazin & Bethasaida potuisse conuerti, & fideles ex infidelibus fieri, si hoc in eis dominus uoluisset operari. Neque enim ulli falsum uideri potest
Ioan. 6. quod ueritas ait: Nemo potest uenire ad me, nisi fuerit ei datum à pa-
Luc. 8. tre meo: Et, Vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum, illis au-
Matth. 11. Luc. 10. tem non est datum: Et, Nemo nouit filium nisi pater, neque patrem
Ioan. 5. quis nouit, nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare: Et, Sicut pater uiui-
1. Cor. 12. ficat mortuos, ita & filius quos uult uiuificat: Et, Nemo potest dicere dominum Iesum, nisi in spiritu sancto. His diuinarum uocum autoritatibus

A tibus eruditi, gratias agamus Deo, qui dedit nobis ſpiritum fidei & uirtutis, continẽtiæ & charitatis, ſapientiæ & intellectus, conſilij & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis ac timoris ſui. Quæ bona ſi non dediſſet nobis, qui omnia operatur in oĩbus, prorſus nõ haberemus in nobis: & cum his, qui non cognouerũt dominũ, aut cum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: ſed hoc ipſum ſuæ ſapiẽtiæ deputãtes, ſtulti facti & obſcurato corde euanuerunt in cogitationibus ſuis: Cum his, inquam, ſederemus in tenebris & in umbra mortis, nec querelam habẽtes de pœna, nec excuſationem de ignorantia, nec præſidium de natura.

DVBIVM X.

NVnc iam quod ſequitur, quale ſit uideamus. Sed aiunt, ut ſcribitis, neminẽ poſſe correptionis ſtimulis excitari, ſi dicatur in conuentu eccleſiæ audiẽtibus multis. Ita ſe habet de prædeſtinatione definita ſciẽtia uoluntatis Dei, ut alij ex uobis accepta obediendi uoluntate ueneritis ad fidem, uel accepta perſeuerãtia permaneatis in fide. Cæteri uerò, qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondũ ſurrexiſtis, quia necdum uos adiutorium gratiæ miſerantis erexit. Veruntamen ſi qui eſtis nondũ uocati, quos gratia ſua prędeſtinauerit eligendos, accipietis eandem gratiã qua uelitis, & ſitis electi. Et ſi qui obeditis, ſi prædeſtinati eſtis reijciendi, ſubtrahentur obedientiæ uires, ut obedire ceſſetis.

B RESPONSIO.

STVPEO ſanctitatem ueſtram obiectionem calumniantium, à perſona defenſoris gratiæ non potuiſſe diſcernere, & uerba obtrectantium ei ipſi, qui obtrectatoribus ſuis reſpondet, aptaſſe. Hæc enim de doctrina catholici uiri quidã nequiter & nugatoriè iactitabant, quod qui talem Dei gratiã prædicaret, ut fides & obediẽtia, cæteræq; uirtutes, & in eis uſq; in finem perſeuerãtia, nõ niſi ex dono Dei haberi poſſe credãtur, conſequẽs eſſe, ut talibus uerbis uteretur ad populũ, & huiuſmodi denunciationibus omnem liberi arbitrij euitaret induſtriã. Quod quia pijſsimus doctor literis eorũ, ad quos ſcribit, agnouerat, ideo ait: Sed aiũt, ut ſcribitis: & poſteà: Iſta cum dicũt. Ex hoc ergo potuiſtis aduertere non ipſum hæc dicere, ſed eos, de quibus dixit, Sed aiunt, ut ſcribitis: &, Iſta cũ dicũt. Quod ſimiliter Apoſtolus ait: Sicut aiũt nos quidã dicere, faciamus mala, ut ueniant bona. Inferius autem ubi plenius ad iſta reſpõdet, multò manifeſtius patet, quàm hæc ab ipſo nunquã taliter dicta ſint, & quantum ei huiuſmodi prædicationis forma diſpliceat. Quã corrigens & mundans atq; emẽdans, tolerabiliorẽ audiẽtibus facit: quæ uera ſunt temperãs, quæ falſa ſunt reſecãs, & pòſt multa adijciens. Iam uerò quòd illis uerbis connectitur, miror ſi ullo modo poteſt in populo Chriſtiano quiſquam infirmus patiẽter audire, cum dicitur eis: Et ſi qui obeditis, ſi prædeſtinati eſtis reijciendi, ſubtrahũtur obedientiæ uires, ut obedire ceſſetis. Hoc enim dicere Rom. 3.

cere, quid uidetur aliud esse, quàm malè dicere, aut mala quodam modo prophetare? Et post haec cum diceret, qualiter de his loquendum esset in populo, proprij sensus uerba connexuit dicens: Illum etiam modum, quo utendum esse in praedestinationis praedicatione nos diximus, loquendi ad populum, non existimo debere sufficere, nisi hoc, uel aliquid huiusmodi addat, ut dicat: Vos itaque etiam ipsam obediendi perseuerantiam à patre luminum, à quo descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum, sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere: atque hoc faciendo confidere, non uos esse à praedestinatione populi eius alienos: quia etiam hoc, ut faciatis, ipse largitur. Absit autem à uobis ideo desperare de uobis: quoniam spem uestram in ipso habere iubemini, non in uobis. Maledictus enim omnis qui spem habet in homine: & bonum est confidere in domino: quàm beati omnes qui confidunt in eum. Hanc spem tenentes, Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore, quoniam de uita aeterna, quam filijs promissionis promisit, non mendax Deus ante tempora aeterna. Nemo potest esse securus, nisi consummata fuerit ista uita, quae tentatio est super terram. Sed faciet perseuerare in se usque ad huius uitae finem, cui quotidie dicimus: ne nos inferas in tentationem. Videtis'ne obsecro, quantum distet hic sermo ab eo, quem composuit malignitas obloquentium? qui studuerunt etiam ea, quae rectè dicit, exquisita uerborum fraude corrumpere? De quo idem doctor rectissimè ait: Dolosi autem uel imperiti medici est, etiam utile medicamentum sic alligare, ut aut non prosit, aut obsit. Et iterum de simili ineptia: Nempe, inquit, hoc uerissimum est: ita sanè, sed improbissimum, importunissimum, incongruentissimum: non falsum eloquio, sed non salubriter ualetudini humanę infirmitatis appositum. Non igitur necesse est de his rationem reddere, quae & ab alijs dicta, & ab ipso ostendimus improbata: ita tamen, ut nihil sibi per falsorum admixtionem praeripi pateretur ex ueris. Quamuis enim nunquam tam insipienter locutus sit ad populum Christianum, & id quod mendax obtrectatio ineptissimè finxit, horruerit: pia tamen, constantique doctrina abundanter probauit, praedicandam esse ecclesiae praedestinationem, in qua est gratiae praeparatio: & gratiam, in qua est praedestinationis effectus: & praescientiam Dei, qua ante secula aeterna quibus esset collaturus sua dona, praesciuit. Cuius praedicationis quisquis est impugnator, apertissimus est Pelagianae elationis adiutor. Hoc autem quod in fine posuistis, superiori capitulo, ubi Tyriorum & Sidoniorum mentio facta est, debuit copulari: quia etiam in libri corpore, eidem causae, sine cuiusquam diuersae disputationis interiectione, connexum est. Vnde & responsio, quam praecedentibus subdidi, potest etiam ad istas sufficere: in quibus nulla est obscuritas, si de fide praedestinationis & gratiae Dei, ex qua est omnium bonorum origo perseuerantiaeque meritorum, hoc teneatur, quod habet ueritas.

Marginal notes: Iacob. 1. Hierem. 11. Psalm. 117. Psalm. 2. — C, D

FINIS.

A D. PROSPERI AQVITANICI, EPISCOPI REGIENSIS, IN LIBRVM DE GRATIA DEI,

PRAEFATIO.

GRATIAM Dei, qua Chriſtiani ſumus, quidam dicere audent, à ſanctæ memoriæ Auguſtino Epiſcopo non rectè eſſe defenſam, libroſq; eius contra errorem Pelagianum conditos, immoderatis calumnijs impetere non quieſcunt. Quorum intus inſterſtrepens domeſtica malignitas non minus ſpernenda eſſet, quàm foris latrans hæretica loquacitas: niſi eiectis extra ouile dominicum lupis, ſub nomine ouium ſuffra- *Matth. 7.*
B garentur, eſſentq; eiuſmodi nec corda eorum in eccleſia, nec ingenia deſpicienda. Videantur ſiquidem habentes ſpeciem pietatis in ſtudio, cuius uirtutem diffitentur in ſenſu: trahant ad ſe multos ineruditos, & non habentia ſpiritum diſcretionis corda conturbent: atque in eum ſtatum deducere cauſam eccleſiæ moliantur, ut dum noſtros affirmant ueraciter pro gratia locutos, inimicos gratiæ perſuadeant iniuſtè damnatos eſſe. Non ergo negligendum eſt hoc, quod ab occultis, prauiſq; ſeminibus augetur quotidie, & ab ortu ſuo latius, longiuſq; diſtenditur. Studendum eſt, inquantum dominus adiuuat, ut fallacium calumniatorum hypocryſis detegatur. Qui ex ipſa iniuriæ magnitudine, quam in uno cunctis, ac præcipuè apoſtolicæ ſedis pontificatui intulerunt, ab indoctis & parum cautis, excellentioris ſcientiæ iudicantur, & miſero peruerſoq; ſucceſſu facilem mendacio conſenſum eliciunt: quia reuerentiam ſibi præſumptione pepererunt. Nec enim, cùm ſint bonæ opinionis uiri, creduntur ullo modo tarditate intelligentiæ, aut temeritate iudicij, ſuperfluæ querelæ conclamatione potuiſſe prorumpere: ac non potius magno ingenio, ac uehementi laboraſſe: ut ſubtiliſſimi tractatoris diſputationibus comprehenſis, inſpectio ſagacior inueniret, quod anteà ſecurus fauor, & benignitas incurioſa non uiderat. Vnde ergo hæc ſententia tam ſeueri emerſit examinis? Vnde in hanc auſteritatem ſupercilii tam tetricæ frontis, ut menſuras ſenſuum, pondera locutionum, numeros ſyllabarum inſidioſus ſcrutator euentilet? magnum ſe aliquid conficere præ-
ſumat,

ſumat, ſi catholico prædicatori notam erroris affigat? quaſi incognitum aliquod opus, & quod hactenus latuerit impetatur: ac non illa his moribus doctrina lanietur, quæ nouorum hæreticorum commenta diſiecit, & diabolicum tumorem Pelagianæ elationis eluſit. Viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei, catholica acies, huius uiri ductu pugnat, & uincit. Vincit dico, quia non patitur reſpirare quod uincit. Et in quorum excidium unum, cunctorum ſacerdotum manu ſententiam ſcripſit, pulſi pontificio, & communione priuati, querantur quaſi de felicitate noſtræ uictoriæ, & arment in nos linguas ſuas, qui exulare à ueritate, quàm ciues eſſe eccleſiæ maluerunt. Noſtri autem incorporales, ac participes gratiæ CHRISTI, cur de his armis, quibus communis fides eſt defenſata, cauſantur? Cur bellum confectum retractant? & munitiones ſecuræ dudum pacis infirmant? Autores diſplicent. Tanta inſolentia damnati fouent errores, ut prauitatis inuidia, & autores noſtri pulſentur, & iudices. An uerò ita ſe nouorum ſenſuum norma exactior temperauit, ut & nulla eorum quæ exciſa ſunt, afferat, & quædam ex his quæ defenſa ſunt, reſpuat? C

De Gratia Dei, diui Proſperi CONTRA CASSIANVM COLLATOREM LIBER. D

ECCE SALVA catholicæ pace uictoriæ, ſalua indiſſolubilium reuerentia decretorum, parati ſumus patronos doctrinæ emendatioris audire, & circunciſas ab omni errore lineas ſubtiliſsimæ diſcretionis agnoſcere. Cõſtituatur in medio quod de nobis emerſit ingenuè: ne ad obſcurandam ſcientiam doctorum ea exagitare uideamur, quæ uulgus ignobile, & procax ineptorum loquacitas intemperanter effundit. Vnius potiſsimum definitionem, quem non dubium eſt illis omnibus in ſanctarum ſcripturarum ſtudio præſtare, referemus. Quas etiam ob hoc ſolum interim in diſceptatione oportet adſumere, quia utrũ rectè ſe habeant, non poteſt dubitari. Scriptæ enim ſunt, & autoris ſui editione purgatæ, nec iam, an ſint, quærendum eſt: ſed quid doceant, demonſtrandum. Igitur in libro cuius prænotatio eſt, De protectione Dei, uir quidam ſacerdotalis ordinis, qui diſputandi uſu inter eos, quibus cum egit, excellit, abbatem quendam introducit de gratia Dei & libero arbitrio diſſerentem, cuius ſe oſtendit per omnia probaſſe, ac ſuſcepiſſe ſententiam. Vt iam non cum illo nobis ſit negotium, qui fortè tales opiniones ſuas aut negando refutaret, aut

corrig

A corrigendo dilueret: sed cum isto, qui ad instrumentum inimicorum gratiæ Dei, talem studuit proferre doctrinam. Quæ tamen inter initia disputationis, à ueritatis pietate non dissonat, & iusto honorari præconio mereretur: nisi præcipiti, leniq; progressu, ab inchoata rectitudine deuiaret. Nam post comparationem agricolæ, cui formam sub gratia ac fide uiuentis aptauit: & cuius infructuosum esse dixit laborem, nisi per omnia Dei auxilio iuuaretur, intulit definitionem catholicissimam dicens:

Quibus manifestè colligitur, non solùm actuum, uerùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium: qui nobis & initia sanctæ uoluntatis inspirat, & uirtutem atque opportunitatem eorum, quæ rectè cupimus, tribuit peragendi. Omne enim datum bonum & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum: qui & incipit quæ bona sunt, & exequitur, & consummat in nobis, dicente Apostolo: Qui dat semen seminanti, & panem ad manducandum: præstabit, & crescere faciet, fructus iustitiæ uestræ. Iacob.1. 2.Cor.9.

Hîc, ne quis putaret nihil superesse, per quod liberum ageretur arbitrium, non irrationabiliter adiecit (quòd probaret nõ auferri illud his donis, sed potius roborari: nisi reuolutus ad iniquitates suas, ab auxilio Dei se malit auertere)

B *Nostrum uerò est (inquit) ut quotidie attrahentem nos gratiam Dei humiliter subsequamur: ne dura ceruice, & incircuncisis auribus eidem resistentes per Hieremiam mereamur audire: Nunquid qui cadit, non resurget? aut qui auersus est, non reuertetur? Quare ergo auersus est populus iste in Hierusalem auersione contentiosa? Indurauerunt ceruices suas, & noluerunt reuerti.* Actuum 7. Hierem.8.

Et infrà, cùm omnia uirtutum studia Dei gratia indigere docuisset, probabiliter addidit dicens:

Quæ omnia, sicut desiderari à nobis iugiter absque diuina inspiratione non possunt: ita ne perfici quidem sine eius auxilio ullatenus queunt.

In septimo autem capitulo, generalem uolens ostendere gratiam Christi, quæ nullum usquequaq; hominum prætermittat, & rebelles quoque, aduersosq; non deserat:

Adest (inquit) inseparabiliter nobis diuina protectio, tantáq; est erga creaturam suam pietas creatoris, ut non solùm comitetur eam, sed etiam præcedat iugiter prouidentia.

In quo potest uideri ob hoc comitem dixisse prouidentiam, quia etiam deserentes se plerunq; non deserat: uel quia omnes, quos præuenit, eosdem etiam subsequatur. Sequitur autem dicens:

Qui cùm in nobis ortum quendam bonæ uoluntatis inspexerit, illuminat eam,

eam, atque dirigit ad ſalutem: incrementum tribuens ei, quam uel ipſe plantauit, uel noſtro conatu uiderit emerſiſſe. C

Et hic poteſt adhuc dicere, illius ſe ortum bonæ uoluntatis ſignificaſſe, cuius à Deo ſint plantata, uel inſpirata principia: quia ab illuminatis iam cordibus poſsint ſalubres prodire conatus, qui ideo ipſius hominis propriè eſſe dicantur, quia iam bonorum conatuum acceperint facultatem, & eorum ſemina ad ſuum referantur autorem. Sed capitulo nono ſubdit & dicit:

Vnde non facilè humana ratione diſcernitur, quemadmodum dominus petentibus tribuat, à quærentibus inueniatur, aperiatq; pulſantibus: Et rurſus inueniatur à non quærentibus ſe, palàm appareat inter illos, qui illum non Eſa. 65. *interrogabant. Tota die expandat manus ſuas ad populum non credentem, ſed contradicentem: reſiſtentes à longè poſitos uocet: inuitos attrahat ad ſalutem. Peccare cupientibus, explendæ copiam ſubtrahat uoluntatis: ad nequitiam properantibus, benignus exiſtat. Iam hic quaſi per inſcrutabilem diuerſitatem introducitur definitio, qua doceatur multos ad gratiam uenire ſine gratia, & hinc affectum petendi, quærendi, atque pulſandi habere quoſdam, de uigilantia liberæ uoluntatis. Quæ tamen in alijs tanta auerſione obcæcata perhibetur, ut nullis cohortationibus ſit reuocabilis, niſi per uim trahentis inuita ducatur: quaſi in toto multiformis gratiæ opere, hoc in omnium agatur* D *animis, ut ex nolentibus fiant uolentes: aut quiſquam ex his qui iam iudicio rationis utuntur, poſsit fidem niſi uoluntate ſuſcipere. Vnde tam ineptum eſt dicere, quòd quiſquam ad participationem gratiæ tendat inuitus, quàm aſſerere quòd ullus ad eam non ſpiritu Dei ueniat incitatus.*

Citò ergo hic diſputator præmiſſæ definitionis oblitus eſt, citò à ſententia, ſua inſtabilitate & leuitate diſceſsit. Dixerat enim regulariter, non ſolum actuum, uerùm etiam cogitationum bonarum ex Deo eſſe principium. Et ne hoc de doctrina extrinſecus adhibita deberet intelligi, uigilanter addiderat:

Qui nobis & initia ſanctæ uoluntatis inſpirat, & uirtutem, atque opportunitatem eorum, quæ rectè cupimus, tribuit peragendi. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminũ: qui & incipit quæ bona ſunt, & exequitur, & conſummat in nobis.

Doctor catholice, cur profeſsionem tuam deſeris? cur ad famoſam falſitatis caliginem relicta sereniſsimæ ueritatis luce deuolueris? Quod in petẽtibus, quærẽtibus, pulſantibusq; miraris, cur non eidem gratiæ, quæ deſideratur, adſcribis? Vides bonos conatus, pia ſtudia, & dubitas eſſe Dei bona? Latuerit opus gratiæ, donec fides inſita cogitationis claudebatur arcano: at ubi ſupplex oratio, ubi diligens inquiſitio, ubi apparet crebra

A crebra pulsatio: quare non ex qualitate operis sumministrationē intelligis incitantis? Et satis te contra Pelagianorū calumnias praecauere existimas, si quod in uniuersitate uocatorum sentiendum est, id nobis in portione cōcedas. Sed nec cum hęreticis tibi, nec cum catholicis plena discordia est. Illi in omnibus iustis hominū operibus, liberae uoluntatis tuentur exordia: Nos bonarū cogitationum ex Deo semper credimus prodire principia. Tu informe nescio quid tertium, & utrique parti incōueniens reperisti, quo nec inimicorū consensum acquireres, nec in nostrorum intelligentia permaneres. Quo modo autem non aduertis, te illum damnatum inducere? quòd uelis nolis conuinceris dicere, Gratiam Dei secūdum merita nostra dari, cùm aliquid praecedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequātur, affirmas. Non enim nullius meriti haberi potest petentis fides, quaerentis pietas, pulsantis instātia: praecipuè cùm eiusmodi, & accipere, & inuenire, & intrare dicantur. In quo superfluum, imò impium est, sic uelle meritis ante gratiam existentibus locum facere, ut nō ex toto uerum sit, quod ait dominus: Nemo uenit ad me, nisi pater, qui Ioan. 6.
misit me, attraxerit eum. Si cuiusquam hominis sine Dei illuminatione esset credenda conuersio: aut ullo modo se uoluntas hominis ad Deum sine Deo posset extendere, qui eum uocatum ad filium trahit: non resistentem, inuitumque compellit: sed ex inuito uolentem facit, & quibuslibet modis infidelitatem resistentis inclinat: ut cor audientis, obediendi
B in se delectatione generata, ibi surgat, ubi premebatur: ibi discat, ubi ignorabat: inde fidat, unde diffidebat: inde uelit, unde nolebat. Etenim Psal. 84.
dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Sed uideamus qualia subsequantur:

Cui autem facilè pateat, quo modo salutis summa nostro tribuatur arbitrio? De quo dicitur: Si uolueritis, & audieritis me, quae bona sunt terrae Esa. 1.
manducabitis. Et quomodo Non uolentis, neque currentis, sed miserentis est Rom. 9.
Dei. Quid etiam sit illud: Quòd Deus reddit unicuique secundum opera eius. Matth. 16.
Et: Deus est, qui operatur in nobis & uelle, & perficere pro bona uoluntate Phil. 2.
nostra: & hoc non ex nobis, sed Dei donum est: non ex operibus, ne quis glorietur.

Ecce tanquam collecta de scripturis, quasi alterno sibi sensu aduersa collidit, ut donis gratiae studium humanae committat industriae: & hominum omnium diuisione facta, alij sint quos gratia Dei saluet, alij quos lex & natura iustificet. Sed lex potest, ne quid mali fiat, iubere: à malo autem non potest liberare. Notum facit mandatum, sed obediendi non praestat affectum: nisi quod est occidens per imperium literae, fiat uiuificans per spiritum gratiae. Post haec concludit, dicens:

Nisi quòd in his omnibus & gratia Dei, & libertas nostri declaratur arbitrij. Quia etiam suis interdum motibus homo ad uirtutum appetitus pos-

ſit extendi, ſemper uerò à domino indiget adiuuari. C

Et ubi eſt, quod regulari definitione præmiſſum eſt, Non ſolùm actuum, uerùm etiam cogitationum bonarum ex Deo eſſe principium? qui & incipit, quæ bona ſunt, & exequitur, & conſummat in nobis? Ecce hic etiam ſi bonis cœptis neceſſarium Dei fateris auxilium: ipſos tamen laudabiles motus, appetitusq́ uirtutum, remota gratia Dei, nudæ libertati adſcribis arbitrij: ut boni ſalubresq́ conatus nequeant quidem proficere, niſi Deus adiuuet: poſſunt tamen, etiam ſi non à Deo inſpirentur, incipere. Deinde ut euidentius definias, quid hoc ex libero arbitrio habeat, quid ſumat ex gratia Dei, addis, & dicis:

Nec enim cùm uoluerit quis, ſanitate perfruitur: aut de ægritudinis morbo pro arbitrij ſui deſiderio liberatur.

Doces ergo, non poſſe quidem hominem per ſemetipſum apprehendere ſanitatem, ſed habere eum à ſemetipſo deſiderium ſanitatis. Et ſua tantum ſponte uenire ad medicum: non etiam hoc ipſum medici eſſe, quòd ueniat. Quaſi uerò anima ipſa non langueat, & corpori ſuo remedium ſana proſpiciat. Atqui totus homo ex ipſa & cum ipſa in profundum miſeriæ ſuæ decidit, ubi eam prius, quàm à medico notitiam ſuæ calamitatis accipiat, iacêre delectat, amantem errores ſuos, & amplectentem falſa pro ueris. Cuius ſalus prima eſt, ut ſibi incipiat diſplicere, & uetuſtatem ſuæ debilitatis odiſſe. Sequens uerò eſt, ut & ſanari deſideret, D & à quo ſananda ſit, nouerit. Quæ curationem ipſius ſic præcedunt, ut ei ab illo, qui eam curaturus ſit, inſerantur. Ne, cùm ei ullo modo hæc ineſſe poſsint, merito uideatur ſaluata, non gratia. Deinde adijcis:

Vt autem euidentius clareat, etiam per naturæ bonum (quod beneficio creatoris non dubium eſt) nonnunquam bonarum uoluntatum prodire principia: quæ tamen, niſi à Deo dirigantur, ad conſummationem uirtutum ue-
Rom. 7. *nire non poſſunt, Apoſtolus teſtatur, dicens: Velle enim adiacet mihi: perficere autem bonum non inuenio.*

Falſò ergo ſecundum hanc definitionem antè dixiſti, Non ſolùm actuum, uerùm etiam cogitationum bonarum ex Deo eſſe principium: qui & incipit, quæ bona ſunt, & exequitur, & conſummat in nobis. Sed hoc nullo modo ex aliqua parte poteſt eſſe falſum. Cui nequaquam inferri contraria debuerunt: ut, quod rectè profeſſus es ex gratia incipere, id poſtea confirmares per naturæ bonum, & per liberum arbitrium nos habere. Dixit quidem beatus Apoſtolus: Velle enim adiacet mihi, per-
2. Cor. 3. ficere autem bonum non inuenio. Sed idem dixit: Non quòd idonei ſimus, cogitare aliquid ex nobis ipſis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Et
Phil. 2. idem dixit: Deus eſt enim, qui operatur in nobis & uelle, & perficere, pro bona uoluntate. Non ergo Apoſtolus ſibi contrarius eſt. Sed cùm donatum nobis fuerit bonum uelle, non ſtatim inuenimus & facere, niſi quæren

A quærentibus,petentibus,atque pulsantibus, qui dedit desiderium, præstet effectum. Vox nanque ista dicentis: Velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum,non inuenio: uocati est,sub gratia constituti:qui condelectatur quidem legi Dei secundum interiorem hominem: sed uidet aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, & captiuantem se in lege peccati. Et quamuis acceperit scientiam rectè uolendi, uirtutem tamen in se non inuenit, eorum quæ optat, operandi: donec pro bona uoluntate, quam sumpsit, mereatur inuenire quî faciat. Post hæc ponis plurima testimonia,quibus nunc ualidum,nunc infirmum liberum arbitrium demonstretur. Quasi quidam sint, qui proprijs uiribus impleant,quod alij facere Deo non adiuuante non possunt: aut ob aliud homo accipiat præceptum, nisi ut diuinum quærat auxilium. Concludis ergo,& dicis: Rom. 7.

Et ita sunt quodammodo indiscretè permista, atque confusa, ut quid ex quo pendeat, inter multos magna quæstione uoluatur. Id est: Vtrum, quia initium bonæ uolũtatis præbuerimus,misereatur nostri Deus:an quia Deus misereatur,consequamur bonæ uoluntatis initium. Multi enim singula hæc credentes, ac iusto amplius asserentes,uarijs,sibiq́ contrarijs sunt erroribus inuoluti.

Ecce, ut tibi uidetur,quæ confusa erant,discreta sunt: & quæ explicari non poterant,absoluta. Duos enim contrarios sibi definis errores,quibus,inter liberum arbitrium & gratiam contentiosè disputantes, quid tenendum sit, implicentur. Et in uno cõstituis eos,qui dicunt, gratiam dari secundum merita nostra:in alio autem illos ponis, qui dicunt, ex misericordia à Deo bonarum uoluntatum prodire principia: eos intelligi uolens,qui inimicos gratiæ debellarunt. Si ergo error est, initia bonæ uoluntatis non adiuto diuinitus homini adscribere: & error, confiteri quoniam præparatur uoluntas à domino, quò dirigendi sumus: ut utrunque uitemus. Si utrunque, inquis, sequamur, nos nulli errori acquiescimus. Tu nos subdis duobus, & geminas, sicut intelligis, prauitates: diuidendo damnas, miscendo iustificas. Hac lege ac regula poteris prædicare, quòd tam errent, qui dicunt, Semper esse fallendum: quàm qui definiunt, Nunquam esse fallendum. Sed ut in neutro peccetur, utrũque sectandum: quia nec semper declinanda sit seueritas. Fallit te prorsus opinio tua: De duobus malis, unum fieri bonum non potest: Vnam uirtutem duo uitia non gignunt: Vnum uerum, duo falsa non faciunt. Quæ enim paria sunt, meritò non minuuntur coëundo, sed crescunt. Non itaque oportuit eos bonarum uoluntatum initia, quæ ex Dei afferunt aspiratione generari, ea sententia reprehendi, qua arguuntur qui adhuc liberum arbitrium putant sibi sine opere gratiæ posse sufficere. Harum enim definitionum, una ab ecclesia expugnata est, alia defensa.

Nec eis ullo modo huius noui fœderis congruit pactum, quo catholica C
sit corruptior, quàm Pelagiana correctior. Multi, inquis, singula hæc credentes, ac iusto amplius asserentes, uarijs sibi contrarijs sunt erroribus inuoluti. Placet igitur tibi, cum hæreticis catholicos, cum uictis dãnare uictores: & eos erroris nota adurere, qui errorem ab ecclesia depulerunt: secundum quippe tuam censuram, qua sanctarum & fidelium uoluntatum asseris non in omnibus hominibus ex Deo habuisse principium: quasi multum gratiæ tribuas, si hoc eam in quorundam operari mentibus adquiescas. Errauit Papa Innocentius & Petri sede dignissimus, qui cùm de istis loqueretur, qui in libero arbitrio gloriantur: Nam quid, inquit, nos de eorum post hæc rectum mentibus existimemus, qui sibi reputant deberi, quòd boni sunt? Et iterum cum de primi hominis describeret lapsu: Liberum enim, inquit, arbitrium olim ille perpessus dum suis inconsultius utitur bonis, cadens in præuaricationis profunda demersus, nihil quemadmodum exinde surgere posset, inuenit. Suaq; in æternum libertate deceptus, huius ruinæ latuisset oppressu, nisi eum pòst sua gratia releuasset diuinus aduentus. Errauerunt Orientales episcopi, in quorum iudicio Pelagius, eos, qui dicunt gratiam Dei secundum merita nostra dari, ut catholicus posset uideri, anathematizare compulsus est. Errauerunt Aphricana episcoporum concilia, quæ decretis suis constituêre, utrunque Dei donum hoc esse, & scire quid facere debeamus, & dirigere ut faciamus: ut ædificante charitate scientia non possit inflare.
Psal. 93. Quia sicut de Deo scriptum est: Ille est qui docet hominem scientia. Errauerunt ducenti quatuordecim sacerdotes, qui in epistola quam suis constitutionibus protulerunt, ita apostolicæ sedis antistitem beatum Zosimum sunt allocuti: Constituimus in Pelagium atque Cœlestium per uenerabilem episcopum Innocentium de beatissimi apostoli Petri sede prolatam manere sententiam, donec apertissima confessione fateantur, gratiam Dei per IESVM CHRISTVM dominum nostrum, non solùm ad cognoscendam, uerumetiam ad faciendam iustitiam, nos per actus singulos adiuuari: ita ut sine illa nihil ueræ sanctæq; pietatis habere, cogitare, dicere, agere ualeamus. Errauit sacrosancta benedictio sedis Petri, quæ ad uniuersum orbem Papæ Zosimi ore sic loquitur: Nos autem tamen instinctu Dei (omnia bona enim ad autorem suum referenda sunt, unde nascuntur.) ad fratrum & coëpiscoporum nostrorum conscientiam uniuersa retulimus. Errauerunt Aphricani episcopi ad eundem Papam Zosimum rescribentes, eumq; in sententiæ huius salubritate laudantes, cum aiunt: Illud uerò, quod in literis tuis, quas ad uniuersos curasti esse mittendas, posuisti, dicens: Nos tamen instinctu Dei (omnia enim bona ad autorem suum referenda sunt, unde nascuntur) ad fratrum & coëpiscoporum nostrorum conscientiam uniuersa retulimus: sic accepimus dictum, ut illos qui contra Dei adiutorium extollunt humani arbitrij D

A ni arbitrij libertatem, districto gladio ueritatis, uelut cursim transiens amputares. Quid enim tam libero fecisti arbitrio, quàm quòd uniuersa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti: & tamen instinctu Dei factum esse fideliter, sapienterq; dixisti? Ideo utique, quoniam præparatur uoluntas à domino, & ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum. Quotquot enim spiritu Dei Rom. 8.
aguntur, hi filij sunt Dei, ut nec nostrum sentiamus deesse arbitrium, & in bonis quibusq; uoluntatis humanæ singulis motibus, magis illius ualere non dubitemus auxilium. Vides'ne regulas tuas inuictarum constitutionum soliditate confractas, & in fido instructore prauas ruinosasq; iuncturas, uelut Hierichontinos muros ad sacerdotalium tubarum ruisse concentum? Cum enim de sanctarum origine uoluntatum, & fidei charitatisq; principijs inter nostros & Pelagianos quæstio uersaretur, non ancipiti uictoria, nec dubio diremptum est fine certamen, ut adhuc nobis de iniquissima huius febris tuæ pace tractandum sit. Postrata est inimica acies, bellum confractum est, uictores sumus per illum, qui fecit potentiam in brachio suo, qui dissipauit superbos mente cordis ipsorum: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles: Esurientes imple- Luc. 1.
uit bonis, & diuites dimisit inanes. Per illum, qui faciens misericordiam cum patribus nostris, memor fuit testamēti sancti sui, & iurisiurādi quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis, ut sine timore
B de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus ipsi in sanctitate & iustitia in conspectu eius omnibus diebus nostris. Per illum, qui dedit nobis uictoriam per IESVM CHRISTVM dominum nostrum. Per illum, à quo non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Quid de elisarum 1. Cor. 2.
argumentationum ratiunculis fracta studes arma colligere? Quid cineres extincti dogmatis refouendo, deficientis fumi nidorem in rediuiuam flammam conaris accendere? Non est periculum liberi arbitrij gratia Dei, nec uoluntas aufertur, cùm ipsa bene uelle generatur. Nam si ideo non putanda est nostra, quia formatur, regitur, ordinatur, imbuitur, spoliantur libertate filij Dei (quia qui aguntur spiritu Dei perdunt uigorem rationalis animi, & omni uoluntariæ deuotionis laude priuantur, quibus datur spiritus sapientiæ, & intellectus consilij & fortitudinis, scientiæ & pietatis, ac timoris domini) prorsus qui his reformationibus se non putant indigere, de ueteris morbi consuetudine in phrenesim transeunt, respuentes remedium, clamant, insaniunt, reluctantur. Sed si repromissionis sunt filij, quiescunt & sanantur. Sed iam uideamus quid inferat sobrietas disputantis: qui ut uitium uitio pelleret, & errorem errore curaret, contrarias sibi definitiones noua arte confudit: utq; hoc compositionis suæ poculum, securis auditoribus propinaret, exemplis uoluit colorare quod miscuit. ait enim:

Si enim dixerimus, nostrum esse bonæ uoluntatis principium: quod fuit in persecutore Paulo? quod in publicano Matthæo? Quorum unus cruori ac supplicijs innocentum, alius uiolentijs ac rapinis publicis incubans, attrahitur ad salutem? Sin uerò gratia Dei semper inspirari bonæ uoluntatis principia dixerimus: quid de Zachæi fide? quid de illius in cruce latronis pietate dicemus? qui desiderio suo uim quandam regnis cœlestibus inferentes, specialia uocationis monita præuenerunt? C

Per istam ergo horum principiorum dissimilitudinem probare nititur, hoc posse quosdam per liberum arbitrium sine adiutorio Dei, quod quidam, nisi Deo cooperante, non possint. Et hoc uult de quorundam sequaciore consensu intelligi. Quòd ubi dura infidelitas Deo subditur, & Euangelio, quod diu impugnauit, repentè succumbit, ibi mutationem hominis dextera operatur excelsi. Vbi autem post tranquillam cohortationem solùm, ueros mores, sine ulla hæsitatione diffidentiæ, docilis auditor amplectitur, bonum talis conuersionis humanæ sit tantummodo uoluntatis. Quasi uerò potentia gratiæ Dei eos tantùm ad filium attrahat, quos aut uoce increpauerit, aut pœna obtriuerit, aut terrore tremefecerit. Illorum autem mentibus nihil suæ uirtutis admoueat, qui ad promissiones redemptoris sui, spe alacri, & auido desiderio cucurrerunt. Sed ueritas dicit: Nemo uenit ad me, nisi pater, qui misit me, attraxerit eum. Si ergo nemo uenit, nisi attractus: omnes, quocunque modo ueniant, attrahuntur. Trahit igitur ad Deum contemplatio elementorum, omniumque quæ in eis sunt ordinatissima pulchritudo. Inuisibilia enim à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Trahit rerum gestarum cognitio, & diuinorum operum relaturæ animum audientis inflammant, narrantes laudes domini & uirtutes eius, & mirabilia eius quæ fecit. Trahit timor: Principium enim sapientiæ timor domini. Trahit lætitia: quoniam, Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum domini ibimus. Trahit desiderium: quoniam, Concupiscit & defecit anima in atria domini. Trahit delectatio lectionis: Quàm dulcia enim faucibus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo. Quis perspicere aut enarrare possit, per quot affectus uisitatio Dei animum ducat humanum, ut quæ fugiebat, sequatur: quæ oderat, diligat: quæ fastidiebat, esuriat: ac subitò commutatione mirabili, quæ clausa fuerant, sint aperta: quæ onerosa, sint leuia: quæ amara, sint dulcia: quæ obscura, sint lucida? Hæc omnia operatur unus atque idem spiritus, diuidens singulis, prout uult. Quoniam Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem claritatis Dei in facie Christi Iesu: id est, in manifestatione filij sui, qui est in sinu patris. Qui ergo illuxit in corde Matthæi publicani

Marginal notes: Ioan. 6. (beside "runt. Sed ueritas dicit"); D (right margin, same line); Rom. 1. (beside "uisibilia enim"); Prouerb. 1. (beside "tutes eius"); Psal. 121. (beside "sapientiæ timor"); Psal. 83. (beside "quoniam, Concupiscit"); Psal. 118. (beside "tio lectionis"); 1. Cor. 12. (beside "mara, sint dulcia"); 2. Cor. 4. (beside "qui dixit de tenebris").

A publicani, & Pauli tunc ecclesiam persequentis: ipse in corde Zachæi, & in corde crucifixi latronis cum domino illuxit. Nisi domini uox forte otiosa fuit, cùm Zachæum, qui quærebat uidere eum quis esset, compellare dignatus est, dicens: Zachæe festina, descende, quoniam hodie in domo tua oportet me manere. Et non præparauit sibi eius animum, cuius elegit hospitium? Denique cum murmurarent omnes, quòd ad uirum peccatorem introisset hospitari: Zachæus pœnitentiam agens, dimidio bonorum suorum in pauperes erogato, redditurum se in quadruplum cùm fraudata promitteret, dominus ait: Hodie salus huic domui facta est, quia ecce hic filius Abrahæ. Et ne lateret causa huius salutis, adiecit: Venit autem filius hominis saluum facere, & quærere quod perierat. Vt quem agnoscebamus saluum factum, in latronis quoque iustificatione, etiam si nulla operantis gratiæ intelligerentur indicia, non'ne cum omnibus credentibus etiam ipsum acciperemus attractum? Dicente domino: Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et: Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me. Inter omnia autem, hunc uel traditum esse, uel tractum etiam, ipsius confessio doceat: qui cùm aliquandiu blasphemasset in IESVM CHRISTVM, repentè est imitatus, & dixit: Domine memor esto mei, cùm ueneris in regnum tuum. Sed unde in uno homine tam compugnantium uocum sit orta diuersitas, instruat nos Apostolus, & dicat: Nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu. Luce 19. Luce 10. Ioan. 12. Luce 23. 1. Cor. 12.

B Et: Nemo potest dicere dominum Iesum, nisi in spiritu sancto. Et non dubitemus in eiusdem hominis uoluntate, & de proprio quòd blasphemauit, & de spiritu sancto quòd credidit. Frustra igitur disputator iste, inscrutabilem unius gratiæ uarietatem, ad argumentum definitionis suæ uoluit aptare, ut portio iustificatorum, solis uoluntatis suæ motibus ad CHRISTVM uenire credatur: portio autem reluctans trahatur, & inuita compellatur. Cùm Deus sit qui operatur omnia in omnibus, siue alios sic, alios autem sic attrahere uelit: ad quem nemo, nisi aliquo modo trahatur, uenit. Post hæc subijcit testimonia sacræ historiæ, quibus ostendit, obseruantiam mandatorum Dei, consummationemque uirtutum diuinæ gratiæ deputandam: quod & nos promptissimè confitemur. Et commemoratis exemplis de Balaam, quem uolentem Israëlitis maledicere, Deus in benedictionis uerba transtulerit: & de Abimelech, qui peccare non permissus in Saram: & Ioseph à fratribus uendito: quorum malam uoluntatem in bonum Deus uerterit: recurrit ad confirmationem definitionis suæ: ut liberum arbitrium, quod gratiæ se dicit iungere, à parte quadam humani generis, quantum in ipso est, auferat: & in quadam parte constituat, dicens: Nume. 22. Gen. 20. & 37.

Hæc enim duo, uel gratia, uel liberum arbitrium, sibi qnidem inuicem uidentur aduersa: sed utraque concordant. Et utrunque nos pariter debere su-

ſcipere, pietatis ratione collegimus: ne unum horum homini ſubtrahentes, ec- C
cleſiaſticæ fidei regulam exceßiſſe uideamur. Eccleſiaſtica regula eſt prædi-
cante Apoſtolo: Nemo poteſt dicere dominum Ieſum, niſi in ſpiritu ſancto.
1.Cor.15. *Eccleſiaſtica regula eſt, Gratia Dei ſum id, quod ſum: & gratia eius in me*
uacua non fuit: ſed plus omnibus illis laboraui. Non autem ego, ſed gratia
Dei mecum. Et: Miſericordiam conſecutus ſum, ut fidelis eſſem. Eccleſiaſti-
2.Cor.4. *ca regula eſt: Habemus theſaurum iſtum in uaſis fictilibus, ut ſublimitas ſit*
1.Timo.1. *uirtutis Dei, & non ex nobis. Eccleſiaſtica regula eſt: In nullo terreamini ab*
Philipp.1. *aduerſarijs, quæ eſt illis cauſa perditionis, nobis autem ſalutis, & hoc à Deo.*
Vobis datum eſt per CHRISTVM, *non ſolùm ut in eum credatis, ſed etiã*
Philipp.2. *ut patiamini pro eo. Eccleſiaſtica regula eſt: Cum tremore & timore ue-*
ſtram ipſorum ſalutem operamini. Deus enim eſt qui operatur in nobis, &
2.Cor.3. *uelle & operari pro bona uoluntate. Eccleſiaſtica regula eſt: Non quia ido-*
nei ſumus cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis ipſis, ſed ſufficientia noſtra
Ioan.6. *ex Deo eſt. Hanc regulam firmat Deus dicens: Nemo poteſt uenire ad me,*
niſi datum fuerit ei à patre meo. Et: Omne quod dat mihi pater uenit ad me.
Ioan.15. *Et: Sine me nihil poteſtis facere. Et: Non uos me elegiſtis, ſed ego elegi uos.*
Lucæ10. *Et: Nemo nouit filium, niſi pater, neque patrem quis nouit, niſi filius, & cui*
Ioan.5. *uoluerit filius reuelare. Et: Sicut pater uiuificat mortuos, ita & filius quos* D
Matth.16. *uult uiuificat. Et: Beatus es Simon Bariona, quoniam caro & ſanguis non*
reuelauit tibi: ſed pater meus, qui in cœlis eſt. Hac regula nulli hominum au-
fertur uoluntas: quia uirtus gratiæ, non hoc in uoluntatibus operatur, ita ut
non ſint: ſed ut ex malis bonæ, & ex infidelibus ſint fideles: & qui ex ſemet-
ipſis erant tenebræ, lux efficiantur in domino: quod mortuum erat, uiuificetur:
quod iacebat, erigatur: quod perierat, inueniatur. Hoc in omnibus prorſus ho
minibus, qui eruuntur de poteſtate tenebrarum, & transferuntur in regnum
filij dilectionis Dei, ſine cuiuſquam exceptione perſonæ agere credimus gra-
tiam ſaluatoris. Quia, ſicut hic idem probabiliter definiuit, dicimus atq; defen
dimus, Non ſolùm actuum, uerum etiam cogitationum bonarum ex Deo eſſe
principium: qui nobis & initium ſanctæ uoluntatis inſpirat, & uirtutem atq;
Iacob.1. *opportunitatem eorum, quæ rectè cupimus, tribuit peragendi. Omne enim da-*
tum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre lu-
minum. Qui & incipit quæ bona ſunt, & exequitur, & conſummat in nobis.

In qua ſententia ſi autor ipſius permaneret, eccleſiaſticam regulam non excederet: neque ſimul & libero arbitrio offenſus, & gratiæ Dei eſſet ingratus. Quorum dum unum in Paulo & Matthæo, aliud in Zachæo & latrone

A latrone iudicat operatum: non intelligit, in illo se liberum arbitrium, in isto gratiam sustulisse. Deinde adiecit:

Nam cùm uiderit nos ad bonum uelle deflectere, occurrit, dirigit, atque confortat. Ad uocem enim clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi. Et: Inuoca me, inquit, in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me. Esa. 30. Psalm. 49.

Quis non uideat, quòd hæc doctrina meritò libero assignet arbitrio, quòd præueniatur gratia, eiq́ famuletur reddens debitum, non conferens donum? Quæ definitio in Episcoporum Palæstinæ synodo, etiam à Pelagio anathemate damnata est. In eo enim qui bonum incipit uelle, & cupit ab iniquitate atque ab errore discedere, gratiam Dei hoc ipsum profitemur operari. Quoniam à domino gressus hominis dirigũtur, & uiam eius uolet. Et: Omnis uir uidebitur sibi iustus, dirigit autem corda domi- nus. Et: A' domino diriguntur gressus uiri. Mortalis autem quomodo intelligit uias suas? Et quomodo ait Apostolus? Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba pater. Post hæc persequitur, & dicit: Psalm. 36. Prouerb. 21. & 20. Rom. 8.

Nec enim Deus, talem hominem fecisse credendus est, qui nec uelit unquam, nec possit bonum. Alioquin nec liberum permisit arbitrium, si ei tantummodo malum, & uelle & posse: bonum uerò, nec uelle nec posse concessit. B *Et quo modo stabit illa domini sententia illata: Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis, sciens bonum & malum. Non enim talis antè fuisse putandus est, qui boni esset prorsus ignarus. Alioquin uelut quoddam irrationabile animal eum fatendum est fuisse formatum: quod satis absurdum, & à catholica fide omnimodè alienum est. Quinimò secundum sententiam sapientissimi Solomonis: Fecit Deus hominem rectum: id est, ut tantum boni scientia iugiter frueretur. Sed ipsi quæsierunt cogitationes multas. Facti enim sunt, ut dictum est, scientes bonum & malum. Concepit ergo Adam post præuaricationem, quam non habuerat, scientiam mali: boni uerò, quam acceperat, scientiam non amisit. Rectum nanque, & omni uitio carentem creatum esse hominem primum, in quo omnium hominum concreata natura est, dubitare fas non est. Eumq́ tale accepisse liberum arbitrium, ut si auxiliantem sibi dominum non desereret, possent in nobis quæ naturaliter acceperat perseuerare, quia uellet: & merito perseuerantiæ in eandem beatitudinem perueniret, ut nec uellet decidere in deteriora, nec posset. Sed ipsò libero arbitriò, quo quandiu uoluit bonus mansit, à proposita sibi lege discessit, nec denuntiari sibi mortis supplicium formidauit, deserens Deum, & sequens diabolum: rebellis domino seruatori, & inimico obediens peremptori. Fuit ergo Adam, &* Gene. 3. Eccles. 7.

in illo

in illo fuimus omnes. Perijt Adam, & ex illo perierunt omnes. Quod ita C
Lucæ 19. *non falsò dixit beatus Ambrosius, sicut non falsò ipsa ueritas ait: Venit filius hominis quærere & saluare quod perierat. Naturæ enim humanæ, in illa uniuersalis præuaricationis ruina, nec substãtia prærepta est, nec uoluntas: sed lumẽ decusq; uirtutum, quibus fraude inuidentis exuta est. Perditis autem per quæ ad æternam atque inamißibilem corporis animæq; incorruptionem poterat peruenire, quid ei remansit, nisi quod ad temporalem pertinet uitam? quæ tota est damnationis, & pœnæ. Propter quod natos in Adam, renasci oportet in* CHRISTO, *ne in illa quis inueniatur generatione, quæ perijt. Nam si posteri Adæ in illis uirtutibus naturaliter agerent, in quibus Adam fuit ante peccatum, non essent natura filij iræ: non essent tenebræ, nec sub potestate tenebrarum: saluatoris gratia non egerent: quia non frustra boni essent, nec iustitiæ præmio fraudarentur: habentes ea bona, quorum amißione primi patres de Paradiso exulare meruerunt. Nunc autem cùm sine sacramento regenerationis, æternam mortem nemo poßit euadere: non'ne ex ipsius remedij singularitate apertißimè patet, in quàm profundum malum totius humani generis natura demersa sit, illius præuaricatione, in quo omnes peccauerunt? & quicquid ille perdidit, perdiderunt? Perdidit autem primitus fidem, perdidit continentiam, perdidit charitatem,* D *spoliatus est sapiẽtia & intellectu, caruit consilio & fortitudine. Et impiè altiora sectando, à ueritatis scientia, & obedientiæ pietate deiectus est: nec ipso saltem timore sibi reliquo, ut ab interdictis uel metu caueret* Liberum arbitrium quid. *pœnæ, qui abstinebat amore iustitiæ. Liberum ergo arbitrium, id est, rei sibi placitæ spontaneus appetitus, ubi usum bonorum quæ acceperat fastidiuit, & uilescentibus sibi felicitatis suæ præsidijs, insanam cupiditatem, ad experientiam præuaricationis intendit, bibit omnium uitiorum uenenum, & totam naturam hominis intemperantiæ suæ ebrietate madefecit. Inde, priusquàm edendo carnem filij hominis, & bibendo sanguinem eius letalem digerat cruditatem, labitur memoria, errat iudicio, nutat incessu: neque ullo modo idoneus est ad illud bonum eligendum & concupiscendum, quo se sponte priuauit. Quia non, sicut potuit Deo non impellente corruere, ita potest Deo non erigente consurgere.*

Non igitur rectè dictum est: Non enim talem Deus hominem fecisse credendus est, qui nec uelit unquam, nec posit bonum. Quasi nos istam hominis debilitatem à creatore dicamus conditam, & non peccati meritò ab homine cõtractam. Qui ergo putat consequens esse, ut si liberum arbitrium obcæcatum esse dicatur, & obcæcatio ipsa ad naturæ referatur autorem

A torem, uult persuadere, quòd tam sanum sit in Adæ posteris liberum arbitrium, quàm in Adam fuit ante peccatum: quod satis alienum à catholica fide ducimus. Quid enim peccato læsum est, si id læsum non est, unde peccatum est? Nisi fortè dicatur in Adæ posteros pœnam transisse, non culpam: quod omni modo falsò dicitur, & ob hoc fortè non dicitur. Nimis enim impium est, hoc de Dei sentire iustitia, quòd à præuaricatione liberos, cum reis uoluerit esse damnatos. Patet ergo culpa, ubi non latet pœna, & societas peccati conuincitur de communione supplicij: ut quod est humanæ miseriæ, non de institutione creatoris, sed de retributione sit iudicis. Illud etiam ineptè positum est, & contra sensum omnium tractatorum, quod ad probandam liberi arbitrij incolumitatē connexuit dicens: Et quo modo stabit illa domini post præuaricationem primi hominis illata sententia? Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis, sciens bonū & malum. Gene. 3. Quasi diabolus Adæ uera promiserit, & Adam transgrediendo mandatum Dei, ex hoc ei fuisse collatum pronunciauerit Deus: cum in his uerbis significatum sit potius, quid non fuerit assecutus. Qui superbiæ ingressus uiam, quod habebat amisit, dum quod non acceperat concupiscit. Non minus autem in ipsa huius sensus cōclusione peccatum est, dum dicitur: Concepit ergo Adam post præuaricationem quam non habuerat conscientiam mali: boni uerò, quam acceperat, scientiam non amisit. Scientiam boni Adam tunc habebat, quando bonum, sanctumq́ue manda-

B tum Dei, fideli corde seruabat, & erat iustus manens in imagine creatoris sui, legisq́ue eius non obliuiscens. Postquàm autem se, hoc est, imaginem, & templum Dei deceptori suo subdidit, perdidit boni scientiam. Iustitiam enim iniquitas depulit, humilitatem superbia destruxit, continentiam concupiscentia elisit, infidelitas rapuit fidem, captiuitas abstulit libertatem: nec potuit illic ulla portio residere uirtutum, quò tanta irruperat turma uitiorum. Nemo enim potest duobus dominis seruire. Et: Qui facit peccatum, seruus est peccati. Luce 6. Et: A' quo quis superatus est, ei seruus addictus est. Ioan. 8. 2. Pet. 2. Nemo autem seruit, nisi cum aliqua libertate: & nemo liber est, nisi aliqua seruitute, dicente Apostolo: Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Rom. 6. Quem ergo fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc autem liberi à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum in sanctificationem, finem uerò uitam æternā. Qui itaque seruit diabolo, liber est Deo. Qui autem libertus seruit Deo, liber est diabolo. Vt appareat malam libertatem potuisse haberi ex humanæ uoluntatis defectu: bonam autem libertatem non potuisse recipi, sine liberatoris auxilio. Sed ne hæc primi hominis calamitas in progeniē eius transisse uideatur, quàm integro sit omnium hominum natura iudicio, exemplo gentium probaturus hic doctor addidit, & dixit:

Denique non amisisse genus humanum post præuaricationē Adæ scientiam boni, etiam Apostoli sententia euidentissimè declaratur, qui dicit:

Quoniam

Roma.2. *Quoniam gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt.* C *Hi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente eis conſcientia eorum, & inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus, in die qua iudicabit Deus occulta hominum.*

Ephes.2. Si de his Apoſtolus loquitur, qui ex præputio ſunt uocati, & cum eſſent longè, facti ſunt propè, credentes in eum. Quorum aliquando non miſertus, & iuſtificans circuncisionem ex fide, & præputium per fidem, duos condidit in ſemetipſo. Et utrunque parietem inimicitiæ Iudæorum & gentium, in uno nouo homine ſoluens, fecit pacem: concludens omnia in incredulitate, ut promiſsio ex fide IESV CHRISTI daretur credentibus. Si, inquam, de his Apoſtolus loquitur, in quorum cordibus digito ſuo Deus, id eſt, ſpiritu ſancto ſcribit nouum teſtamentum, ut legis plenitudinem, & opera charitatis naturaliter exequantur, reformata ſcilicet renouataq́ natura, quid huius ſuperbiſsimi ſenſus nouitas adiuuatur, cùm reconciliatio inimicorum non poſsit niſi gratiæ mediatoris adſcri-
Roma.3. bi? Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, iuſtificati gratis per gratiam ipſius. Ergo gratia, gloria Dei eſt, non meritum liberati. Quis enim prior dedit ei, ut retribueretur illi? Nihil boni operis ex mortuis, nihil iuſtitiæ procedit ex impijs, tota ipſorum ſalus, gratia eſt. Et ideo gloria Dei eſt, ut qui gloriatur, in illo, cuius gloria eguit, glorietur. Si autem D (quòd magis uult de his diſputator intelligi) de illis iſta dicuntur, qui alieni à gratia Chriſtiana, quædam ad ſimilitudinem legalium mandatorum proprio iudicio ſanciebant, intelligentes mores ciuitatum, concordiamq́ populorum non poſſe aliter contineri, niſi ut rectè factis præmia, & peccatis pœnæ decernerentur: quis ambigat, hanc ſapientiam humano generi ad temporalis uitæ utilitatem, ex natura à Deo condita ſupereſſe reliquum? Si enim nec ad iſta terrena ordinanda rationalis animi uigeret ingenium, non uitiata eſſet, ſed extincta natura. Quæ tamen etiamſi excellentiſsimis actibus, & cunctis mortalibus eruditionum polleat diſciplinis, iuſtificari ex ſe non poteſt, quia bonis ſuis malè utitur. In quibus ſine cultu ueri Dei impietatis immutatæ æquè conuincitur, & unde ſe de-
Roma.3. fendi exiſtimat, accuſatur. Cum ergo Paulus definiat, quòd non ex ope-
Gal.5. ribus legis iuſtificatur omnis caro: & quoniam in CHRISTO neque præputium ualeat aliquid, ſed noua creatura: quid eſt quòd impiam infidelium libertatem naturalibus inſtructam bonis, proprijs uult iuſtificare principijs? Qui renouationem miſeræ uetuſtatis, idoneam definit præuaricatricis ſcientiæ nuditatem? Quaſi iſta ſcientia uel ex naturæ opibus reſidua, uel ex legalis doctrinæ eruditione quæſita, poſsit ſui perceptione præſtare, ut quod faciendum nouerimus, etiam facere diligamus: aut ullus ſit bonæ uoluntatis motus, niſi quem creauerit diffuſæ per ſpiri-
Hebr.11. tum ſanctū charitatis affectus. Sine fide enim impoſsibile eſt placere Deo.

Et:

A Et: Omne quod non est ex fide, peccatũ est. Et: In CHRISTO IESV neque circuncisio aliquid ualet, neque præputium: sed fides quæ per dilectionem operatur: Post hæc in conclusione testimoniorũ quibus probare uoluit, quòd hi qui per increpationem propheticam surdi appellantur & cæci, possint ex facultate naturæ & aures suas aperire ad audiendum, & oculos suos ad uidendum (quasi non de ijsdem dicat dominus: Et dabo eis cor aliud, & spiritum nouum dabo eis, & euellam cor lapideũ de carne eorum, & dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, & iustificationes meas obseruent, & faciant eas) addidit, & dicit: Rom. 14. Gal. 5. Ezech. 11.

Denique ut possibilitatem boni eis inesse designaret, increpans Pharisæos dixit: Quid autem ex uobis ipsis (inquit) etiam non iudicatis quod bonum est? Quod utique non eis dixisset, nisi eos iudicio naturali, quod æquum est, scisset posse discernere. Luc. 12.

Iam non solum uoluntatem boni, sed etiam possibilitatem libero adscribit arbitrio. Tanquam ideo ab eis exigatur intelligentia, ideo iustitia reposcatur, quia possim hæc sine Dei donis, de naturæ proferre bonis. Imperantur autem ista homini, ut ex ipso pręcepto Dei hoc quod accepit, iudicetur. Ignorat id se suo uitio perdidisse, & non ideo iniquam esse exactionem, quia ad reddendum quod debet idoneus non est: sed à litera occidente confugiat ad spiritum uiuificantem, & facultatem quam antè non
B inuenit in natura, quærat ex gratia. Quod si facit, magna est misericordia domini: si non facit, iusta est pœna peccati. Deinde ad plenitudinem præmissæ disputationis, regulari sententia pronuntiat, dicens:

Vnde cauendum nobis est, ne ita ad dominum omnia sanctorum merita referamus, ut nihil nisi id quod malum atque peruersum est, humanæ ascribamus naturæ.

Quid euidentius, quid expresśius secundum Pelagij, Cœlestijq́ commentum ab ullo discipulo potuit definiri? Illi dicunt, gratiam Dei secundum merita nostra dari: & ideo dicunt, gratiam Dei nõ ad singulos actus dari. Hic intra unam sententiam blasphemiam utranq; conclusit, dicens, Cauendum nobis esse, ne ita ad Deum omnia sanctorũ merita referamus, ut nihil nisi quod malum atque peruersum est humanæ adscribamus naturæ. Vult ergo esse multa propria hominũ merita, quæ nõ gratiæ largitate collata, quibus ad augendas naturales diuitias quædã desursum munera debeãtur. Vult nos gratiã Dei nõ ad singulos actus accipere, ac proinde nõ pro omni bono opere semp orare. Atq; ita sentit, ut in Dei muneribus nullũ meritũ esse credendũ sit, quę Deus semp adiuuerit: aut si etiã in his, quę Deus tribuit, aliqua merita esse loquãtur, cõstet etiã ipsa acquiri propria facultate potuisse. Et ideo in aliquibus oportet nos iuuari, ut possibilius fiat per gratiã, quod non erat possibile per naturã. Ecce iam in ista paucorũ breuitate uerborũ, non duarum tantũ, sed multarũ impieta-

tum numerosa connexio est. Quæ si scrupulosioris diligentiæ discretione C
tractetur, in nullo à damnati erroris cathena absoluta monstrabitur. Sed ne suspitionibus agere uideamur, & latebrã sensuum ultra uerba rimari, quid accrescat cognitis, doceãt quæ sequuntur. Qui inter principia dispu tationis suæ dixerat, Non solum actuum, uerùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium: qui nobis & initia sanctæ uoluntatis inspirat, & uirtutem atq; opportunitatem eorum quæ rectè cupimus, tribuit peragendi. Nunc uolens probare quòd religiosæ cogitationes, & sancta consilia, nulla Dei inspiratione concepta, de naturali possunt prodire sapientia, ponit uerba Solomonis, dicens:

3. Reg. 6. *Voluitq; Dauid pater meus ædificare domum nomini domini Israël. Et*
1. Par. 28. *ait dominus ad Dauid patrem meum: Quòd cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente pertractans. Verùm tamen non tu ædificabis domum nomini meo.*

Deinde ut ostendat, quomodo intelligendum sit, infert ipse tractator:

Hæc ergo cogitatio, atque iste tractatus regis Dauid, utrum'ne bonus ex Deo, an malus & ab homine fuisse dicendus est? Si enim bona ex Deo fuit illa cogitatio, cur ab eo, à quo inspirata est, eidem negatur affectus? Si autem mala, & ex homine fuit, cur laudatur ab domino? Restat ergo ut & bona, & ex homine fuisse credatur: in quem modum etiam nostras quotidie cogitationes possumus iudicare. D *Neque enim soli Dauid bonum ex semetipso cogitare concessum est, aut nobis ne quid boni unquam sapere, aut cogitare possimus, naturaliter denegatur.*

Nullo modo hoc testimonio atque argumento probare potest, quòd piæ cogitationes ex solo libero arbitrio, & non ex Dei inspiratione nascãtur. Non enim ideo uoluntas Dauid, quæ utique bona erat, non ex Deo fuisse credenda est, quia templum sibi dominus non ab eo ædificari, sed à filio ipsius uoluit. Quærendum ergo est, de quo spiritu processerit affectus
Psal. 131. ipsius uoluntatis, nempe de illo in quo dicebat: Si introiero in tabernaculum domus meę, si ascendero in lectum stratus mei: Si dedero somnum oculis meis, aut palpebris meis dormitationem, aut requiem temporibus meis, donec inueniã locum domino, tabernaculũ Deo Iacob. Quod cùm propheta cõcupisceret, nõ ignorabat uerũ illud, perfectumq; templum ab illo esse condendũ: qui cùm esset filius Dei, factus etiã filius Dauid. Quiq;
Ioan. 2. cùm uideret templum à Solomone constructũ, dicebat: Soluite templum hoc, & in triduo suscitabo illud. dicebat autem de templo corporis sui. Vt ergo hoc templum præfiguraretur, quod in CHRISTO, & in ecclesia disponebatur, meritò ad extructionem eius non Dauid eligitur, sed filius: Vt per filium hominis, & per templum dissolubile, indicaretur tabernaculum incorruptibile. Ad cuius condendam imaginem, & uoluntas Dauid probata est, & opus in eum translatum est, cuius persona magis

A gis eidem imagini congruebat. Atque ita hoc ex Deo erat, uelle Dauid: & ex Deo erat, hoc ferri à Solomone. Quod ut exemplis magis lucescat, requiramus ubi facere Deus uoluerit, quod omnes facere Deo uolente uo luerunt. Dominus apostolis suis præcepit, dicens: Euntes ite, & docete *Matth. 28.* omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, & docentes eos seruare quęcunque mandaui uobis. Quodcunque Apostoli audirent, sine dubio non uerba nuda per corporales sonos exterioribus tantum auribus acceperunt, sed uirtute iubentis uerbi accensa est in cordibus eorum inextinguibilis flamma charitatis, qua ardentissimè uellent Euangelium CHRISTI omnibus gentibus prædicare: Sed cur *Act. 16.* uetiti sunt loqui uerbum in Asia, & ire in Bithyniam? Prohibiti sunt à spiritu IESV. Nunquid non ex Deo hanc uoluntatem habebant, quòd etiam iustorum optabant ad fidem corda conuertere, quos occulto iudicio Deus Euangelium tunc nolebat audire? Aut quòd ecclesia quotidie pro inimicis suis orat: id est, pro his qui nondum crediderunt, nunquid non ex spiritu Dei fecit? Quis hoc dixerit, nisi qui hoc non facit, aut qui putat fidem non esse donum Dei? Et tunc cum pro omnibus petitur, non pro omnibus obtinetur. Nec est iniquitas apud Deum, qui sæpe postulata non tribuit, quæ postulare donauit. Bonam igitur uoluntatem, eam scilicet qua adhæret Deo, nec negandum est hominis esse propriam, & confitendum est Deo inspirante conceptam. Nam cum nemo sit bonus, nisi B solus Deus, quale erit bonum, quod autorem non habet bonum? Naturæ quippe humanæ, cuius creator est Deus, etiã post præuaricationẽ manet substantia, manet forma, manet uita, & sensus, & ratio, cæteraque corporis atque animi bona, quæ etiam malis uitiosisque non desunt. Sed non in alijs ueri boni perceptio est, quæ mortalem uitam honestare possint, æternam autem conferre non possint. Neque enim ignotum est quantum Græciæ scholæ, quantum Romana eloquentia, & totius mundi inquisitio circa inueniendum summum bonum, acerrimis studijs, excellentissimis ingenijs laborando nihil egerint: nisi ut euanescerent in cogitationibus suis, & obscuraretur cor insipiens eorum, qui ob noscendam ueritatem semetipsis ducibus utebantur. Si ergo quis de ærumnosis uanitatibus & insanijs fallacibus erubescens, tenebras esse & mortem, quicquid pro lumine ac uita amplectebatur, intelligit: & ab his se conatur abstrahere: non est ab ipso, quamuis non sine ipso sit, ista conuersio: nec propria uirtute ad principalia salutis enititur. Sed agit hoc occulta & potens gratia Dei, quæ dimotis terrenarum opinionum & operum mortuorum fauillis, terrorem obruti cordis exagitat, & desiderio ueritatis inflammat; non ut inuitum hominem subigat, sed ut subiectionis cupidum faciat: nec ut ignorantem trahat, sed ut intelligentem, sequentemque præcedat. Manens enim liberum arbitrium, quod utique cum ipso homine Deus condidit, à uanitatibus & cupiditatibus suis, in quas neglecta Dei lege fluxerat, non à seipso, sed à creatore mutatur. Vt quicquid in eo in melius refi-

citur, nec sine illo sit qui sanatur, nec nisi ab illo sit, qui medetur, cuius C
Ephes. 2. sumus noua creatura, nouumque figmentum, creati in CHRISTO IESV in operibus bonis, quæ præparauit Deus, ut in illis ambulemus. Nunc iam uideamus quò disputantis progrediatur intentio:

Dubitari ergo (inquit) non potest, inesse omni animæ naturaliter uirtutum semina, beneficio creatoris inserta. Sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt peruenire. Adiacere autem homini in qualibet parte arbitrij libertatem, etiam liber ille, qui dicitur Pastoris, apertissimè docet, in quo duo angeli unicuique nostrum adhærere dicuntur: id est, bonus & malus. In hominis uerò optione consistere, ut eligat quem sequatur. Et iccirco manet in homine liberum semper arbitrium, quod gratiam Dei possit uel negligere, uel amare.

Si dubitari non potest, inesse omni animæ naturaliter uirtutũ semina beneficio creatoris inserta: solus Adam præuaricatus est, & in peccato eius nemo peccauit. In nullis iniquitatibus concepti sumus, & in nullis nos matres nostræ peperere delictis: Non fuimus natura filij iræ, nec fuimus sub potestate tenebrarum, qui manentibus in nobis naturaliter uirtutibus, filij potius nati sumus pacis & lucis. Absit ab animis piorum fallacis doctrinæ insidiosa deceptio, uirtutes cum uitijs habitare non possunt: Quæ
2. Cor. 6. enim participatio, inquit Apostolus, iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? Virtus nanque principaliter Deus est: cui nõ aliud D
est habere uirtutem, quàm esse uirtutem. Huius cum participes sumus, ha-
1. Cor. 1. bitat Christus in nobis, qui est Dei uirtus & Dei sapientia: habitat fides, spes, charitas, continentia, intellectus, consilium, fortitudo, cæteræque uirtutes. Cum uerò ab hoc bono recedimus, omnia nobis econtrario oriuntur ex nobis: discedente enim pulchritudine, quid succedat nisi deformitas? abeunte sapientia, quid resideat nisi insipientia? non regnante iustitia, quid dominetur nisi iniquitas? Virtutum itaque semina, quæ beneficio creatoris inserta sunt, præuaricatione primi parẽtis euersa sunt: nec haberi queunt, nisi eo restituente, qui dederat. Reformabilis enim est natura humana formatori suo, & eorum bonorum quæ habuit capax est: ut per mediatorẽ Dei & hominũ, hominem Iesum Christum, in eo ipso quod ei remansit, possit recuperare quod perdidit. Remansit autẽ ei rationalis animus, qui nõ uirtus, sed uirtutis habitaculũ est. Ex participatione enim sapientiæ, & iustitiæ, & misericordiæ, non sapiẽtia, neque iustitia, neque misericordia: sed sapiẽtes, & iusti, & misericordes sumus. Quæ bona, quãuis rationale nostrũ uitijs occupatũ sit, & præuaricãtibus nobis Dei templũ spi
Ioan. 12. ritus immũdus inuaserit, possunt tamẽ rursus in ipsum rationale conflue-
Mar. 13. re, per eum qui mundi principẽ foras mittit: & ligãs forte, uasa eius rapit, fugatoque mundi huius spiritu, largitur nobis spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Qui autem spiritũ Christi nõ habet

A bet, hic non est eius. Puto autem istum uerisimilitudine decipi, & in specie falsarum errare uirtutũ, dum ea bona, quæ nõ possunt nisi ex Dei munere haberi, etiam in impiorũ animis existimat reperiri: ideo scilicet, quia multi eorũ sint iustitiæ, temperantiæ, continentiæ, & beneuolentiæ sectatores: quæ omnia nõ frustra quidẽ, neq; inutiliter habẽt, multumq; ex eis in hac uita honoris, & gloriæ consequentur. Sed quia in ijs studijs non Deo, sed diabolo seruiũt, licet habeant temporalẽ de uana laude mercedẽ, ad illam tamẽ beatarũ uirtutum nõ pertinẽt ueritatẽ. Et ita manifestissimè patet, in impiorũ animis nullã habitare uirtutẽ: sed omnia opera eorũ immũda esse, atq; polluta: habentiũ sapiẽtiã nõ spiritalem, sed animalem: nõ cœlestem, sed terrenam: non Christianam, sed diabolicam: non à patre luminũ, sed à principe tenebrarũ: dum per ea ipsa, quę nõ haberent, nisi dante Deo, subduntur ei qui primus recessit à Deo. Qui ergo dicit, sine ullo opere gratię naturaliter omni animæ semina inesse uirtutũ: quid laborat ostẽdere, nisi de istis seminibus quædã germina præcedẽtium Dei gratiã pullulare meritorum? Deniq; ut uideretur aliquid gratiæ tribuisse, Ad perfectionis, ait, incrementum semina hæc peruenire non poterunt, nisi opitulatione Dei fuerint excitata: ut scilicet opitulatio Dei sit cohortatio atque doctrina. Mens autem, quæ uirtutum est opulenta seminibus, utatur facultate quam possedit: ad hoc tantum iuuanda, ut earum uirtutum adprehendat culmina, quarum sibi scit inesse principia. Igitur secundum istud humana

B anima sic ædificabitur in Dei templũ, ut nõ accipiat fundamẽtum, præter quod aliud nemo potest ponere, quod est Christus Iesus. Quãdo autẽ hoc fundamentũ incipitur, nisi quãdo fides in audiẽtis corde generatur? Quæ si naturaliter inerat, non cœptũ ibi est aliquid, sed superinstructũ. Superfluò ergo infidelis uidebatur, qui fidem habebat, antequàm crederet. Hoc autem & de aliarum uirtutũ principijs potest dici, quas gratia augere debeat, quia sunt: non donare, quia desunt. Sed aliud nos omnia sanctarum scripturarum eloquia docent. Legimus, Principium esse sapientiæ timorẽ domini. Et legimus, Dei hanc esse uirtutẽ. Timorẽ domini, inquit, sup oĩa posui. Beatus cui donatũ est habere timorẽ domini. Cùm ergo timor Dei principiũ sit sapientiæ, quæ uirtus haberi potest sine sapiẽtia, cuius ex timore principiũ est? Beatus Petrus apostolus, Gratia uobis, inquit, & pax adimpleatur in recognitione domini nostri Iesu Christi, qui nunc oĩa nobis diuina uirtute sua, quæ ad uitã & pietatẽ pertinẽt, donauit. Nunquid, ait, qui uirtutũ semina, quæ naturaliter habebamus inserta, opitulatione sua excitauit in nobis? an, quæ ad uitã & pietatẽ pertinẽt donauit? Quod dicẽdo, cuius uirtutis initiũ in natura posuit, qđ nõ ab eo collatum sit, qui cuncta donauit? Propter qđ & beatus Paulus: Quid enim habes, inquit, quod nõ accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi nõ acceperis? Ergo oĩa quę ad uitã & pietatẽ pertinẽt, nõ per naturã, quæ uitiata est, habemus. Nec ideo existimare debemus, in naturalibus thesauris principia esse uirtutum, quia multa laudanda repeiuntur etiã in ingenijs impiorũ,

1. Cor. 3.

Prou. 1. et 9.

Eccles. 25.

2. Pet. 1.

1. Cor. 4.

quæ ex natura quidem prodeunt: sed quoniam ab eo, qui naturam cōdi- C
dit, recesserunt, uirtutes esse nō possunt. Quod enim uerò illuminatum est
1. Cor. 3. lumine, lumen est: & quod eodē lumine caret, nox est: Quia sapiētia huius mundi stultitia est apud Deum. Ac sic uitiū est, quod putatur esse uirtus: quandoquidē stultitia est, quod putatur esse sapiētia. Quomodo autē fieri potest, ut is qui in naturaliū uirtutū seminibus, exuberare se putat, quas ipse magnificas esse gloriatē, ipsas uirtutes suas ei doctrinæ subijciat pro-
Ibidem. uehēdas, quæ dicit: Si quis uidetē inter uos sapiēs esse, stultus fiat, ut sit sa-
1. Cor. 1. piens? Et quia in sapiētia Dei nō cognouit hic mūdus per sapiētiā Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credētes. Quid illa sciētia, sciētiæq; præsumptio magis ineptum cernat, magisq; ridendū, nisi spiritus Dei aspernationē subegerit superborū: rationesq; illas, quæ ignotæ uirtuti, canina facundia repugnabāt, gratiæ suæ uirtute destruxerit: ut semen uerbi præsulcata cordis terra concipiat, & dignos æternis horreis fructus Dei agricultura producat. Post illud autem nullius autoritatis est testimoniū, quod disputationi suę de libello Pastoris inseruit, & quo ostēdere uoluit, inter boni & mali cōtrarias suasiones, ita omnē hominē naturali iudicio, & propriæ discretioni esse cōmissum, ut ei nō plus à Deo pręsidij, quàm à diabolo sit periculi. Addidit definitioni suæ regulā, dicēs: Et idcirco manet in homine liberū semper arbitriū, quo gratiā Dei poßit uel negligere, uel amare. In qua sententia etiā hoc quod ait, manere in homine liberum semper arbitriū, ex aliqua parte nō constat: Siquidē multa mi- D
lia infantiū in regnū adsumptorū, aut à regno Dei extraneorū, sine ullius suæ uoluntatis arbitrio gratiā Dei aut accipiāt, aut amittant. Multiq; excordes ad omnia prorsus, & fatui, per sacramentū regenerationis ab ętemę mortis uinculis eruātur. Accipiamus tamē ita hoc dictū, ut ad eos propriè pertineat hæc definitio, qui uti possunt libera uolūtate. Ita'ne libera est ista libertas, ut quātum ex se habeat fastidij, ut negligat gratiā Dei: tantum ex se habeat dilectionis, ut diligat? Ita'ne illū uetustæ infidelitatis glacialē rigorem nullus meridiani caloris spiritus relaxauit: & torpor mētis
Luc. 12. obstrictæ de suo algore concaluit: ut dicente domino, Ignem ueni mittere in terram: nulla ad cor frigidū scintilla peruenerit: & cinis mortuus à semetipso in flammā charitatis exarserit? Nihil tale * in istius gratię amatoribus factū est, quale illi experti sunt, qui dicebāt: Non'ne cor nostrū erat ardens, cum essemus cum illo in uia, & aperiret nobis scripturas? Sed nec illud in eisdē actū est, quod de Lydia, ciuitatis Thyatirorum purpuraria, quæ inter mulieres, quibus illic Apostolus prædicabat, sola tunc ostendi-
Act. 16. tur credidisse. Cuius, inquit, cor aperuit dominus, ut intēderet his, quæ à Paulo dicebātur. Et tāta est secundū istū liberi arbitrij uel incolumitas, uel facultas, ut charitatē, quę in omniū arce uirtutū est, nō ex Dei munere, sed ex sola habeāt uolūtate. Quid ergo in anima à suo ędificatore parabitē? aut qua largitate gratiæ fiet ornatior, si illa sunt ei propria, sine quibus non
1. Cor. 13. possunt prodesse donata? Sed Apostolus, qui profitetur, sine charitate nō operationes

*Fortè legendū est: in istius gratiæ damnatoribus.

A operationes miraculorum, non scientiam, non fidem, non prophetiam, non erogationes diuitiarum, non ipsam sæuissimorū suppliciorum prodesse tolerantiam: unde habeatur ipsa charitas non tacet: Quoniam charitas, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Et: Pax, inquit, fratribus cum charitate & fide à Deo patre & domino Iesu Christo. Sanctus etiam Ioannes apostolus instruat nos, unde huius boni cœperimus esse participes. Charissimi, inquit, diligamus inuicem, quia dilectio ex Deo est. Et ne possimus opinari, ideo dilectionem dictam ex Deo, quia in natura hominis hic saluus esset effectus, paulò pòst ait: Non quòd nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos. Agnoscat ergo humana egestas, hoc quod de quibuslibet bonis rectè dicitur, multò rectius sibi dici de eo, sine quo bona cuncta non prosunt. Quid enim habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Pòst hæc autem cùm tantum homini tribuisset ante gratiam, quantum ei fuerat fructuosissimum habere per gratiam, addidit quædam perplexè, atque confusè ad uigorem liberi arbitrij demonstrandum, & de his quæ iam donatis sibi uiribus facit, uult illa munire quæ ei naturaliter inesse definit, ut quod est per adiutorium Dei perfecisse, hoc sit per arbitrij libertatem cœpisse. Verùm hæc ut tolerabilia transeamus: quia & nos liberum arbitrium ideo dicimus bonæ uoluntatis affectum, fideiq; principiū, operante gratia concepisse, ut per hæc, quæ B illi nullo meritò præeunte donata sunt, ea quæ operaturis sunt promissa mereatur: ab illo semper petens posse aliquid boni facere, qui ait: Sine me nihil potestis facere. His itaque prætermissis, id quod de sancti Iob passionibus posuit, retractemus, ait enim:

Rom. 5.

1. Ioan. 4.

1. Cor. 4.

Quod etiam in Iob probatissimo athleta suo, cùm eum diabolus expetisset, ad singulare certamen, diuinam legimus prouidisse iustitiam. Si enim contra inimicum non sua uirtute, sed Dei solius fuisset gratia protegente congressus, & absque ulla uirtute patientiæ suæ diuina tantum opitulatione suffultus, multiplices illas, ac tota inimici crudelitate quæsitas tentationum moles & exitia pertulisset: quomodo non illam calumniosam diabolus, quam prius emiserat uocem, aduersus eum iustius iterasset: Nunquid Iob gratis colet Deum? non'ne tu uallasti eum, & uniuersam substantiam eius per circuitum? Sed aufer manum tuam, hoc est, fine eum suis mecum uiribus decertare, nisi in faciem tuam benedixerit tibi. Sed cùm nullam huiuscemodi querimoniam calumniosus hostis post conflictum audeat iterare, non Dei, sed illius se uictum uiribus cōfitetur: Licet etiam gratia Dei non in totum illi defuisse credenda sit, quæ tantam tentatori tribuit potestatem, quantam & illum resistendi nouerat habere uirtutem, non eum ab illius impugnatione sic protegens, ut nullum uirtuti humanæ relinqueret locum, sed hoc tantum procurans, ne

Iob 1.

uiolentißimus inimicus animam eius amentem faciens, & impotem sensu, im-pari eum atque iniquo certaminis pondere prægrauaret. C

Quis hæc prædicari à catholicis inter catholicos crederet, nisi quæ in colluctationibus domesticis sæpe defensa sunt, etiã scripta legerentur? Ita'ne in omnibus hominibus intelligentiæ caligat obtutus, & à cunctis ecclesiæ filijs spiritus scientiæ & pietatis abscessit, ut non erubescãt ingerere se iudicijs legentiũ tam inhonesto mendacio? Vir grauis, doctor sapiens, uerax magister, redde nobis catholicã definitionẽ, qua inter initia disputationis tuæ aures nostras mentesq; cepisti. Pronuntiaueras fidẽ Christianã uoce ecclesiastica, non solùm actuũ, uerum etiã cogitationũ bonarũ ex Deo esse principiũ: qui nobis & initia sanctæ uoluntatis inspirat, & uirtutem atq; opportunitatẽ eorũ, quæ rectè cupimus, tribuit peragẽdi. Omne enĩ datũ optimũ, & omne donum perfectũ desursum est, descendens à patre luminum, qui & inspirat quæ bona sunt, & exequitur & consummat in nobis. & huius sententiæ soliditate omnia hostiliũ reliquiarũ machinamẽta confregeras. Cur professione mutata, quod destruxisti, ædificas: quod tuebaris, impugnas? Cur inuictißimę ueritatis arce deserta, gradatim ad præcipitia Pelagiana decurris? Qui enim definieras, neq; sanctarũ cogitationũ, neq; piarum uoluntatũ, neq; bonorũ actuũ ex nobis esse principia: sed inspiratione Dei, gratiæq; eius auxilio bona in nobis cuncta generari, & ad profectũ, perfectionemq; perduci: paulò pòst cœpisti donis gratiæ liberi arbitrij æquare conatus: ut principia, quæ Deo adsignaueras, posse hoĩem à semetipso habere monstrares, dicẽdo: Quia etiam suis interdũ motibus homo ad uirtutũ appetitus posset extendi: semper uerò à dño indiget adiuuari. Et iterũ dicendo, Etiam per naturæ bonũ, quod beneficio creatoris indultũ est, nonnunquã bonarum uoluntatũ prodire principia: quæ tamẽ nisi à domino dirigãtur, ad cõsummationẽ uirtutũ peruenire nõ poßint. Et post hæc, ut quosdã præueniri ad gratiã ostenderes, in quorundã autẽ præeuntibus meritis causam percipiẽdæ gratiæ collocares, dixisti quid ex quo pendeat dubitari: id est, utrum, quia initiũ bonæ uoluntatis præbuerimus, misereatur nostri Deus: an quia Deus misereatur, cõsequamur bonæ uoluntatis initium. Quas duas regulas ne in ambiguo relinqueres, utranque exẽplis ut tibi uisum est idoneis munire curasti: unam de Pauli & Matthæi coactitia conuersione cõfirmans: alterã de Zachæi & Latronis uoluntaria fide roborans, quorum desiderium tam uiolentum dicis fuisse, ut ad inuadendum regnum cœlorum specialia uocationis monita præuenirent. Deinde progressu disputationis, ut incolumitatem interioris hominis patefacias, ipsum Adam concepisse quidem, quam non habebat conscientiam mali: sed quod acceperat, etiam boni scientiam non amisisse confirmas. Cumq; hoc etiam ex comparatione impiorum probare uoluisses, in id usque prolapsus est, ut proclamares, cauendum nobis esse, ne ita ad Deum omnia sanctorum merita referamus, ut nihil nisi quod malum est, humanæ adscribamus naturæ. Et ne hanc natu- D

ras

A ras ullas in præuaricatione Adæ crederemus amisisse mirtutem, definisti, tam incolumes esse omnium hominum animas naturaliter, quàm fuit primi hominis ante peccatum, dicendo: Dubitari ergo non potest, inesse omni animæ naturaliter uirtutum semina beneficio creatoris inserta. Consideratis ergo his definitionibus tuis, non est occultum, quantum ab illius sententiæ sanitate desciueris: in qua quod tribuendum erat gratiæ, fallaciter prædicando catholicarum tibi aurium iudicia conciliare uoluisti, quibus de præmissæ professionis fronte securis, facilè sequentia irreperent, si prima placuissent. Sed hactenus ne in totum uidereris à præfixa regula discrepare, ita uirtutum meritorumq́ principia ad liberum arbitrium à gratia transtulisti, ut ipsos bonorum desideriorum uoluntarios motus sine auxilio Dei nec prouehi patereris posse, nec perfici. Nunc uerò remoto longius Deo, & à sustentatione hominis separato, tantam libero arbitrio potentiam tribuis, ut non solùm amissionem multiplicium facultatum, & totius simul familiæ ac necessitudinum acerbissimum finem constanter æquanimiterq́ suscipiat: sed ipsius quoque corporis proprij ineffabiles cruciatus proposito nudæ uoluntatis euincat. Et ut dubitari hinc disputante te nequeat, sancti Iob constituis exemplum, qui aduersus illam insignem diabolicæ sæuitiæ crudelitatem sine Dei præsidio decertaret: & argumento probare niteris, quòd ipse cruentissimus inimicus confessus sit, non domini, sed Iob se uirtute superatum, in eo, quòd
B sibi grauiore conflictu gratiam Dei obstitisse non dixit. Quasi uir ille in damnis, atque orbitatibus debuerit superna protectione circumtegi, in carnis autem suæ, animæq́ tormentis non eguerit adiuuari. Si ergo hac magnitudine animi, quam illata per singulos omnesq́ artus tot mortium pœna non superat, nihil inter sanctorum palmas memorabilius, nihil inuenitur illustrius: eaq́ adseris, ex humana tantùm uirtute subsistere: quid erit laudis, ac meriti, quòd inter studia quietis ac pacis nequeat arbitrij obtinere libertas, quam in tanti fine certaminis de suis uiribus coronasti? Quæro igitur abs te, uideatur'ne tibi uir iste, cùm illis quæ legimus supplicijs probaretur, habuisse in se spiritum sanctum? Si habuisse dicis: certum est quia Deus, quem non deseruit, adiuuauit: Si autem recessisse ab eo spiritum sanctum dixeris: propheticus te eiusdem sermo conuincit, dicentis: Scio enim quòd redemptor meus uiuat, & in nouissimo die de terra surrecturus sim: Et rursum circundabor pelle mea, & in carne mea uidebo Deum: quem uisurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. Quòd si de incarnatione domini nostri IESV CHRISTI, ac resurrectione eius, qui est primitiæ dormientiũ, & de spe redemptionis, quæ in ipso reposita est omnibus sanctis, rectè intelligitur prophetatum: manifestè apparet, non discessisse à templo suo gratiam Dei: & fecisse iam tunc dominum in hoc sancto suo, quod posteà in Apostolis, & martyribus suis spondebat esse faciendum, dicens: Cùm autem tradent uos, nolite cogitare, quomodo, aut quid

Iob 19.

Matth. 10.

loqua

loquamini: dabitur enim uobis in illa hora quid loquamini: non enim C
uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis.
Quid cùm idem sanctus ineptis consolatoribus responderet, non'ne in
Dei fidebat auxilio, dicens: Qui deridetur ab amico suo, sicut ego, inuo-
cabit dominum,& exaudiet eum? Aut nesciebat ex illo se habere quod ha
bebat, de quo ait: Apud ipsum sapientia & fortitudo, ipse habet consi-
lium & intelligentiam. & quod dicit, In cuius manu anima omnis uiuen-
tis, & spiritus uniuersæ carnis hominis. Et iterum: Expecto, inquit, do-
nec ueniat immutatio mea: uocabis, & ego respondebo tibi: operi ma-
nuum tuarum porriges dexteram: Tu quidem gressus meos dinumera-
sti, sed parcis peccatis meis: Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed cu-
rasti iniquitatem meam. Non ergo deseruerat dominus, quem curabat:
neque opem suam abstulerat ab eo, cui purificatoria remedia, quibus cla-
rius nitesceret, admouebat. Ad hanc passionum tolerantiam, in qua hic
Psalm. 22. spiritus emicuit, etiam ille erat præparatus à domino, qui dicebat: Nam
etsi ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu
Psalm. 36. mecum es. Et illud: Salus iustorum à domino, & protector eorum est in
tempore tribulationis. Ad hanc tolerantiam etiam ille erat paratus à do-
mino, qui & credere in Christum,& pro Christo pati referebat ad Chri-
Rom. 5. stum, dicens: Iustificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum per do-
minum nostrum IESVM CHRISTVM: per quem & accessum ha-
bemus in gratia ista, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum D
Dei: Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus: scientes,
quòd tribulatio patientiã operatur, patientia autem probationem, proba-
tio uerò spem, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in
Rom. 8. cordibus nostris per spiritum sanctũ, qui datus est nobis. Et iterum: Quis
nos separabit à charitate Christi? tribulatio an angustia? an persecutio? an
Psalm. 43. fames? an nuditas? an periculum? an gladius? sicut scriptum est: Quia pro-
pter te mortificamur tota die, existimati sumus ut oues occisionis. Sed in
his omnibus superamus per eũ, qui dilexit nos. Huius tolerãtiæ fortitudo
unde descenderet, beatus Petrus, & in illo omnis ecclesia ueritatis ipsius
Lucæ 22. uoce dicebat, dicentis: Ecce Sathanas postulauit ut cerneret uos uelut triti-
cum: ego autem rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua. Quisquis igitur
in tribulatione non deficit, ab illo se non dubitet adiuuari, ad quem quoti-
Matth. 6. die corda uniuersorũ fidelium clamant: Ne inferas nos in tentationẽ, sed li
Psalm. 96. bera nos à malo. Quoniam custodit Deus animas sanctorũ suorum, de ma
nu peccatorum liberabit eos. Quòd autem dicis, gratiam Dei ab Iob ex eo
intelligendã non penitus recessisse, quòd tentatori eius tantam tribuit po-
testatem, quantã & illum resistẽdi nouerat habere uirtutẽ: Non'ne rectius,
ueraciusq́ loquereris, si ubi dixisti, Quantã & illum resistendi nouerat ha
bere uirtutem: diceres potius, Quantam & illi resistendi nouerat se dedisse
uirtutem? Vnius enim uerbi correctio totam istam gloriam, quam huma-
nis uiribus adsignare uoluisti, sobrietate aliqua temperasset, ut illa mira-
bilis

A bilis in tanta adflictione patiētia, & Dei adiutorio, & libero hominis ascriberetur arbitrio. Sed ueritus es naturæ humanæ minuere laudem, si ei profitereris à Deo datam esse uirtutem. Itaque conflictus illius, atque uictoriæ non uis credi cooperatorem Deum fuisse, sed tantummodo spectatorem: ut cui persuadere poteris, per naturalem arbitrij facultatem tam arduum certamen euictum, dubitare non audeat in leuioribus causis multò liberiores esse bonæ uoluntatis effectus: atque ita in illius damnatæ sententiæ foueam cadat, qua dicitur, Ideo nobis gratiam iustificationis dari, ut quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius possemus implere per gratiam. Tanquam & si gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possemus etiam sine illa implere diuina mandata. Quod quia catholici Pontifices dignum anathemate censuerunt: utendum nobis est eo, quo usi sunt, testimonio, dicentes: De fructibus enim mandatorum dominus loquebatur, ubi non ait: Sine me difficilius potestis facere; sed ait: Sine me nihil potestis facere. His autem definitionibus tuis, Ioan. 15. quas credidisti idonea autoritate munitas, tanquam de consensu legentiū securus, adiungis, Solere interdum Deum ad fidem nostram probandam plus offerre quàm sufficit, ut quàm infirma sit credentium fides, possit agnosci: & hoc exemplo illius Centurionis ostendis, qui cùm pueri sui Matth. 8. posceret curationem, dominusq; se ad domum eius iturum esse promitteret, respondit: Non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed dic B tantum uerbo, & sanabitur puer meus. In quo eum dominus tali admiratione laudauerit, ut pronuntiaret, non se inuenisse tantam fidem in Israël. At exigua conclusione penè totum tu Pelagianum dogma confirmas dicendo: Nullius enim laudis esset ac meriti, si id in eo Christus, quod ipse donauerat, prætulisset. Falsò scriptum est: Quia nemo potest esse continens, nisi Deus det. Falsò prædicauit Apostolus, cùm de eadem uirtute loqueretur, dicens: Volo autem omnes homines esse sicut meipsum: Sed 1. Cor. 7. unusquisque proprium habet donum à Deo: alius sic, alius autem sic. Falsò docuit & ille qui dixit: Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, & Iacob. 1. dabitur ei. Nec secundum ueritatem dictum est: Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum. Et: Nemo potest accipere quicquam, nisi datum fuerit ei de cœlo. An dicendum est, Omnes quidem uirtutes inter Dei dona numerandas: sed in illis hominem, quas de proprio habuerit, esse laudabilem? & ibi esse merita, ubi Dei dona non fuerint? Igitur secundum regulam tuam, quibus donatum est, ut non solùm credere in CHRISTVM, sed etiam ut paterentur pro ipso, & laudem & meritum perdiderunt: nec habent ueram gloriam, qui non in se, sed in domino gloriantur. Sed rectius audiuimus dicentem: Maledictus homo qui spem habet in homine, & firmat carnem Hierem. 7. brachij sui, & à domino discedit cor eius. Et illum, qui ait: Diligam te Psalm. 33. domine uirtus mea. Et: In domino laudabitur anima mea. Et: Fortitudo Psalm. 117. mea, & laudatio mea dominus. Vt manifestißimè nouerimus, nec laudem

eos

eos ullam habere, nec meritum, in quibus non inueniuntur, quæ, nisi dominus dederit, non habentur. Sic autem putasti de testimonio laudatæ fidei præiudicium donis gratiæ posse generari: quasi fides, ubi ostenderetur laudata, non doceretur esse donata. Laudat Apostolus Romanorum C
Rom. 1. fidem, & pro hoc bono agit gratias Deo, dicens: Primum quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus uobis: quia fides uestra adnuntiatur in uniuerso mundo. Ad Corinthios quoque simili scribit
1. Cor. 1. affectu dicens: Gratias ago Deo meo semper pro uobis in gratia Dei, quæ data est uobis in CHRISTO IESV: quia in omnibus diuites facti estis in illo, in omni uerbo, & in omni scientia. Nunquid agendo gratias Deo, credentibus sustulit laudem? aut laudando credentes, meriti negauit
Ephes. 1. autorem? De Ephesiorum etiam fide quid sentiat, audiamus: Propterea, inquit, & ego audiens fidem uestram, quæ est in domino Iesu, & dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro uobis, memoriam uestri faciens in orationibus meis, ut Deus domini nostri Iesu Christi pater gloriæ, det uobis spiritum sapientiæ & reuelationis, in agnitionē eius illuminatos oculos cordis uestri. Habebant ergo isti fidem, habebant & opera charitatis, quæ nec laude poterant carere, nec merito: sed pro his uirtutibus Apostolus gratias Deo agere non cessat, sciens à patre luminum hæc dona uenisse: à quo se etiam petere protestatur, ut quibus dedit fidem, quæ per dilectionem operatur, det spiritum sapientiæ & intellectus: ut inde se Ephesij nouerint accepisse quod habebant, à quo discunt D
& sperare quod non habent. Pro Philippensibus quoque similes Deo gratias agit, & meritum eorum laudemq́ non supprimit, dicens: Gratias
Philipp. 1. ago Deo meo in omni memoria uestri, semper in cunctis orationibus meis pro omnibus uobis, cum gaudio deprecationem faciens super communicationem uestram in Euangelio, à prima die usque nunc, confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in uobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu. Cuius humanæ laudis ac meriti non hic causa suspensa est? quid uirtutis ac pietatis exceptum est, quod non ex gratiæ fonte profluxerit? ubi ab initio usque ad finem & inchoatio, & perfectio boni operis
Psalm. 88. domino reputatur: cui canitur de sanctis suis: Domine in lumine uultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur, quoniam gloria uirtutis eorum tu es. Considerandum sanè est in hac sententia tua, quantum adiuues eos, qui dicunt, Gratiam Dei secundum merita nostra dari: quos, ut catholicæ fidei defendaris umbraculo, profanæ opinionis esse profiteris, dicens:

Nemo autem existimèt hæc à nobis ob hoc fuisse prolata, ut nitamur adstruere, summam salutis in nostræ fidei ditione consistere, secundum quorundam profanam opinionem, qui totum libero arbitrio deputantes, gratiam Dei dispensari secundum meritum uniuscuiusque definiunt.

Sed miror ualde quomodo non uides, aut ab alijs existimas non uideri, quod

A ri, quod teipsum tuo ore condemnas: Dicendo enim, Quod Centurio, cuius fides domini uoce laudata est, nullius laudis esset ac meriti, si id in eo Deus, quod ipse donauerat, prætulisset: definisti Centurionem illum non donatam fidem habuisse, sed propriam, ac perinde nihil eius principijs collatum fuisse per gratiam: in eadem autem fide causam fuisse & laudis, & meriti, quorum neutrum haberet, si id, cui & laus debetur, & meritum, dominus contulisset. Frustra ergo inuidiam damnati erroris euadas, si summam salutis negas in fidei nostræ ditione consistere: cùm omnino salus nisi ex fide esse non possit: Iustus enim ex fide uiuit. Quoniam ueritas dicit: Amen amen dico uobis, quoniam qui audit uerbum meum, & credit in eum, qui me misit, habet uitam æternam, & in iudicium non ueniet, sed transibit de morte ad uitam. Et iterum: Hæc est uoluntas patris mei, ut omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Et iterum: Hæc est autem uita æterna, ut cognoscant te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Cùm utique huic fidei, quam ideo meritis & laudibus honorasti, quia quamuis eam inter liberi arbitrij bona, quàm inter Dei dona numerari, æternam beatamque uitam constet esse partam, quomodo hoc uulnus declinabis, quod ipse cogis, pronuntiando eos profanos, qui gratiam dispensari secundum merita humana definiant: & asserendo, quod nec laudem constet habere, nec meritum eos, qui ex dono gratiæ sint fideles. Quoquouersum ergo te conferas, à temetipso & uinciris, & uinceris. Si enim gratiam merita non præcedunt, & fides non potest esse sine meritis, fides gratiam non præcedit, & omni modo ex gratia habeatur, quicquid illud est, ex quo meritum nascitur, quod ante gratiam non habetur. Vt igitur definitionum tuarum absurditas non sibi repugnare uideatur, inconuenientia miscere conaris, & unitatem membrorum corporis Christi in duobus generibus fidelium noua præsumptione constituis: in uno scilicet, ad quod pertineat illud, quod inter principia dixisti, Non solùm actuum, sed etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui & incipit quæ bona sunt, & exequitur, & consummat in nobis. In alio autem cui congruat regula ista, qua dicis, Centurionem nec laudem ullam habiturum fuisse, nec meritum, si id in eo dominus, quod ipse donauerat, prætulisset. Et licet totum disputationis tuæ textum ad has duas formulas, quæ nullo modo conformes possunt esse, produxeris, nunc tamen distinctius, atque expressius quid uolueris firmare, pronũcias, dicens:

Rom. 1. Abac. 2. Ioan. 5. Ioan. 6. Ioan. 17. * B

Per hæc igitur exempla, quæ de Euangelicis protulimus monumentis, euidentissimè poterimus aduertere, diuersis atque innumeris modis, & inscrutabilibus uijs Deum salutem humani generis procurare: & quorundam quidem uolentium ac sitientium cursum ad maiorem incitare flagrãtiam: quosdam uerò etiam nolentes inuitosque compellere. Et nunc quidem, ut impleantur ea, quæ utiliter à nobis desiderata conspexerit adiuuare: nunc uerò etiam ipsius san-

cti desiderij inspirare principia, & uel initium boni operis, uel perseuerantiā condonare. Inde est quod orantes, non solùm protectorem, sed etiam susceptorem dominum proclamamus. In eo enim, quod prior aduocat, & ignorantes nos, atque inuitos attrahit ad salutem, protector atque saluator est: In eo autem, quod adnitentibus nobis opem ferre, refugientesq́ue suscipere ac munire consueuit, susceptor ac refugium nominatur. C

Hac ergo discretione præscripta, erit, ut definis, in una ecclesia ista diuersitas, ut dominus noster Iesus Christus (de quo dictum est, Et uocabis
Luc. 1. nomē eius Iesum: ipse enim saluum faciet populū suū à peccatis eorū. Et de
Act. 4. quo dictū est: Nec enim est aliud nomē sub cœlo datū hominibus, in quo oportet saluos fieri) nō omniū Christianorū, sed quorūdā saluator, quorundā uerò susceptor sit: ut hi tantū saluati, quos ad percipiendā gratiam Deus auersos, reluctantesq́ue cōpulerit: hi autē suscepti sint, qui uocationē spontanei cursus feruore præuenerint: Et illis quidē cōferat gratuitū donum, istis uerò debitū præmiū rependat. Illi nullius sint laudis, ac meriti, qui nihil boni habeāt, nisi quod acceperint: isti aūt & gloria abūdēt, & remuneratione ditescāt, qui ꝓpria facultate deuoti, quod nō acceperāt, obtulerūt: atq́ue ita Iesus Christus alios liberos inuenerit, alios liberarit: & nō
Ioan. 15. ad oēs pertineat quod ait, Nō uos me elegistis, sed ego elegi uos: si sunt, à quibus, cùm eos nō elegisset, electus est: Nō ad oēs pertineat, Nemo uenit ad me, nisi datū fuerit ei à patre meo: si sunt, qui nō dante patre ad filiū ue- D
Ioan. 1. nire potuerūt: Nō ad oēs pertineat, quod ait Euāgelista, Erat lumen uerū, quod illuminat omnē hominē uenientē in hunc mundū: si sunt, qui aut ita in hunc mundū uenerūt, ut nō essent tenebræ: aut ita lux esse cœperūt, ut illuminatione ueri luminis nō egerēt: Nec de oībus adoptatis accipiendū
Collos. 1. sit, quod ait Apostolus, Qui eruit nos de potestate tenebrarū, & transtulit in regnū filij dilectionis suę: si quidē ipsi rumpūt uincula sua, & iugo ueteris captiuitatis excusso, ab abominatione diaboli, in regnū Dei libera alacritate trāscurrūt. Hæc si possunt intra unam ecclesiā prædicari, ut neutra opinio alteri cedat, sed inuicē sibi utraq́ue succūbat: potest fieri, ut recipiamus, quod Pelagiani tenēt: & Pelagiani recipiāt, quod tenemus. Sed hoc modo nō tam illi catholici, quàm nos erimus (quod absit) Pelagiani: Cōtrariorū eñ permixtio meliorū defectio est: quia cū uirtus uitiū recipit, nō à uitio, sed à uirtute discedit. Nullo igitur modo Christiana corda suscipiunt, qđ persuadere conatus es, Eos qui gratia Dei sunt qđ sunt, nec laudem ullā habere, nec meritū. Et ab eo, qui uenit saluare qđ perierat, partē Christianorū saluatā, partē uerò esse susceptā. Quoniā discipuli Euāgelicę, Apostolicæq́ue doctrinę, nō alta sapiētes, sed humilibus cōsentiētes, insaniā superbę elationis horrescūt. In toto quippe ecclesiæ corpore, atq́ue in singulis mēbris, quod mortuū erat, uiuificatū est: quod cæcatū erat, illuminatū est: quod perierat, quæsitū est: quod errauerat, inuentū est. Nec secundum nouam partitionē aliorū saluator, aliorū susceptor: sed omniū usquequaq́ue

fidelium

A fidelium & saluator, & susceptor est Christus. Nec merito ac laude priuātur, qui unde æterna bona mereantur accipiunt: tantoq; beatiores fiunt, quantò pauciora habuerint, quæ ipsorum sunt: & quantò plura, quæ Dei sunt. Non enim cōturbat nos superbientium inepta querimonia, quia liberum arbitrium causantur auferri, si & principia, & profectus, & perseuerantia in bonis, usq; in finē Dei dona esse dicantur: quoniā opitulationes diuinæ gratiæ, stabilimēta sunt uoluntatis humanæ. Volētes oramus: & tamē misit Deus spiritum in corda nostra clamantem, Abba pater. Volentes loquimur: & tamen si pium est quod loquimur, non sumus nos loquentes, sed spiritus patris nostri, qui loquitur in nobis. Volentes operamur salutem nostram: & tamē ipsum uelle atq; operari Deus est, qui operatur in nobis. Volentes diligimus Deum, & proximum: & tamen charitas ex Deo est, diffusa in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Hoc de fide, hoc de tolerantia passionum, hoc de pudicitia coniugali, hoc de cōtinētia uirginali, omnibusq; uirtutibus sine exceptione profitemur: quòd nisi donata essent nobis, nō inuenirētur in nobis. Et quod liberum arbitrium, naturaliter homini inditum, maneat in natura: sed qualitate & conditione mutata per mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, qui ipsam uoluntatē ab eo, quod peruersē uolebat auertit, & in id quod ei bonum esset uelle cōuertit: ut delectatione affecta, fide mundata, spe erecta, charitate accensa, liberalem susceperit seruitutem, & seruilem amitteret libertatem. B Reseratis igitur definitionibus, quas hactenus quædam prætermittendo discussimus, non obscurum, neque ambiguum est, quid de gratia Dei sentiant, qui syncerissimis eius defensoribus obloquuntur: & partē uictricis ecclesiæ, resumptis de damnatorꝝ schola quæstiūculis, inquietant: quas si, ut audiuimus, retexamus, fiet sermonis nostri immoderata prolixitas: cùm de his quæ ipsorꝝ scholæ innotuerūt, facilè pius lector intelligit, ad quæ præcipitia perueniatur hisce collibus, in ista lutulentorum librorum cœnosa molligine, cuius uoraginis humor exudet. Necessarium sanè existimo ante conclusionem uoluminis, ea quæ ostendimus non congruere catholicæ ueritati, breuiter, cōiunctimq; digerere: ut quæ interiectis responsionibus nostris possunt recordationem legentium effugere, fidelius simul recursa recolantur.

Prima ergo definitione dictum est:

Non solum actuum, uerùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis & initia sanctæ uoluntatis inspirat: & uirtutem, atq; opportunitatem eorum, quæ rectè cupimus, tribuit peragendi. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminū: qui & incipit, quæ bona sunt, & exequitur, & consummat in nobis.

Quod & nos amplectimur, catholicumq; esse confitemur.

Secunda definitione dictum est:

Adest igitur inseparabiliter nobis diuina protectio: tantaq; est ergà

creaturam suam pietas creatoris, ut non solùm comitetur eam, sed etiam præcedat iugiter prouidentia, quam expertus Propheta confitetur, dicens: Deus meus misericordia eius præueniet me. Qui cùm in nobis ortum quendam bonæ uoluntatis inspexerit, illuminat eam, atque confortat, & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam uel ipse plantauit, uel nostro conatu uiderit emersisse. C

Iam hic à præmissa definitione disceditur, & quod totum gratiæ datum fuerat, ex parte nunc libero arbitrio deputatur.

Tertia definitione dictum est:

Nisi quod in his omnibus, & gratia Dei, & libertas nostri declaratur arbitrij, qua etiā suis interdū motibus homo ad uirtutū adpetitus possit extēdi, semp uerò à domino indigeat adiuuari. Nec enim cùm uoluerit quis, sanitate pfruitur, aut de ægritudinis morbo pro arbitrij sui desiderio liberatur.

Quasi medicus noster non iam etiam hoc donet morbidis, ut ueram desiderent sanitatem.

Quarta definitione dictum est:

Vt autem euidentius clareat, etiam per naturæ bonum, quod beneficio creatoris indultum est, nonnunquam bonarum uoluntatum prodire principia, quæ tamen nisi à domino dirigantur, ad consummationem uirtutum perueniре non possunt, Apostolus testis est, dicens: Velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. D

Quasi Apostolus ex naturali affectu, & non ex gratiæ dono bonam habeat uoluntatē, qui profitet̃ ex Deo sibi esse sufficientiam etiā cogitādi.

Quinta definitione dictum est:

Et ita sunt hæc quodammodo indiscretè permixta, atque confusa, ut quid ex quo pendeat, inter multos magna quæstione uoluatur: id est, utrū quia initium bonæ uolūtatis præbuerimus, misereatur nostri dominus: an quia Deus misereatur, cōsequamur bonæ uoluntatis initiū. Multi enim singula hæc credentes, ac iusto amplius adserētes, uarijs, sibiq; cōtrarijs sunt erroribus inuoluti. Si enim dixerimus, nostrum esse bonæ principiū uoluntatis, quid fuit in persecutore Paulo? quid in publicano Matthæo? quorū unus cruori ac supplicijs innocentum, alius uiolentijs ac rapinis publicis incubans, trahitur ad salutem. Sin uerò gratia semper inspirari bonæ uoluntatis principia dixerimus, quid de Zachæi fide? quid de illius in cruce latronis pietate dicemus? qui desiderio suo uim quandam regnis cœlestibus inferentes, specialiter uocationis monita præueniunt?

In errore esse dicitur & is, qui ex gratia nasci bonam asserit uoluntatem: & is, qui dicit gratiam ex bona uoluntate pendêre: & tamen utraque sententia suscipienda decernitur, dum unius in Paulo & Matthæo, alterius

A rius in Zachæo & latrone forma præfigitur.

Sexta definitione dictum est:

Hæc ergo duo, id est, gratia uel liberum arbitrium, sibi quidem inuicem uidentur aduersa, sed utraque concordant, & utrunque nos pariter debere suscipere pietatis ratione colligimus: ne unum horum homini subtrahentes, ecclesiasticæ fidei regulam excessisse uideamur.

Quasi ita utrunque recipiendum sit, ut in alijs hominibus uoluntas gratiam, in alijs gratia præueniat uoluntatem: & non ita, ut in omnibus uoluntas gratiam subsequatur. Quoniam secundum ipsos aufertur liberum arbitrium, cùm à gratia præuenitur: aufertur gratia, cùm à libero arbitrio præuenitur.

Septima definitione dictum est:

Concepit ergo Adam post præuaricationem, quam non habuerat, scientiam mali: boni uerò, quam acceperat, scientiam non amisit.

Cùm utrunque sit falsum, quia & à quanto malo Adam cauere deberet, Deo monente prædidicit: & in quanto bono esset constitutus, dum diabolo credidit, oblitus est. Sicut autem pessima scientia mali est, malum esse: ita pessima ignorantia boni est, bonum non esse.

Octaua definitione dictum est:

Vnde cauendum nobis est, ne ita ad Deum omnia sanctorum merita referamus, ut nihil nisi id quod malum est, humanæ adscribamus naturæ. B

Quasi natura ante gratiam non sit in damnatione, non sit in cæcitate, non sit in uulnere: aut non gratis iustificati sint, quorum inde sint merita, unde iustitia.

Nona definitione dictum est:

Dubitari ergo non potest, inesse omni animæ naturaliter uirtutum semina, beneficio creatoris inserta: sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt peruenire.

Quasi de spiritalibus nihil Adam præuaricando perdiderit: & uirtus non ut habeatur danda, sed ut facilius perfectionem apprehendat, hortanda sit.

Decima definitione dictum est:

Quòd etiam in Iob probatissimo athleta suo, cùm eum diabolus expetisset ad singulare certamen, diuinam legimus prouidisse iustitiam: si enim contra inimicum non sua uirtute, sed Dei solius fuisset gratia protegente congressus, & absque ulla uirtute patientiæ suæ, diuina tantum opitulatione suffultus, multiplices illas, ac tota inimici crudelitate quæsitas tentationum moles, & exitia pertulisset: quomodo non illam calumniosam diabolus, quam prius emiserat, uocem aduersus eum iustius iterasset? Nunquid Iob gratis colet Deum? Non'ne tu uallasti eum & uniuersam substantiam eius per cir

cuitum? Sed aufer manum tuam, id est, sine eum suis mecum uiribus decertare, nisi in faciem tuam benedixerit tibi. Sed cùm nullam huiuscemodi querimoniam calumniosus hostis post conflictum ausit iterare, non Dei, sed illius se uictum uiribus confitetur. Licet etiam gratia Dei non in totum illi defuisse credenda sit, quæ tantam tentatori tribuit potestatem, quantam & illum resistendi nouerat habere uirtutem. C

Ipse Deus sciuit tantummodo, quod Iob posset, non etiam donauit ut posset: testis patientiæ eius, non auxiliator fuit. Et in quo erit necessarium gratiæ adiutorium, si humanis solùm uiribus tanta illa est parta uictoria?

Vndecima definitione dictum est de Centurionis fide:

Miratur eum dominus, atque collaudat, cunctisq; illis, qui ex Israëlis populo crediderant, præfert, dicens: Amen dico uobis, non inueni tantam fidem in Israël. Nullius enim laudis esset ac meriti, si id in eo dominus, quod ipse donauerat, prætulisset.

Impius sensus, qui putat beatiorem esse hominem, cui Deus nihil dederit, quàm cui uniuersa contulerit.

Duodecima definitione dictum est:

Inde est, quòd orantes non solùm protectorem, sed etiam susceptorem dominum proclamamus. In eo enim quòd prior aduocat, & ignorantes nos, atq; inuitos attrahit ad salutem, protector atque saluator est: In eo autem, quòd adnitentibus nobis opem ferre, refugientesq; suscipere, ac munire consueuit, susceptor, ac refugium nominatur. D

Huic sententiæ is potest præbere consensum, qui se à Christo non uult esse saluatum.

His itaque definitionibus hoc docetur, hoc scribitur, hoc editis disputationibus prædicatur, Quòd Adam peccante, anima eius læsa non fuerit, sanumq; in eo manserit unde peccauit. Si quidem scientiam boni, quam acceperat, non amiserit, nec potuerint posteri eius id perdere, cuius damnum nec ille pertulerit. Inesse autem omni animæ naturaliter uirtutum semina beneficio creatoris inserta, ut posit, qui uoluerit, iudicio naturali Dei gratiam præuenire, & adiutorium eius, quò facilius ad perfectionem perueniat, promereri: quia nullius sit laudis ac meriti, qui donatis bonis, non proprijs adornatur. Cauendum quoq; esse, ne ita ad Deum omnia sanctorum merita referantur, quasi per se nihil boni posit agere ipsa humana natura: cùm tanta sit uirium eius integritas, ut contra ipsum diabolum, sæuitiamq; eius usque ad extrema supplicia, sine auxilio Dei, ualeat dimicare. Hanc autem posibilitatem in omnibus esse hominibus naturalem, sed non omnes ingeneratis sibi uti uelle uirtutibus: tantam autem circa uniuersos homines bonitatem esse creatoris, ut alij ab eo, quia sponte ueniant, suscipiantur laudati: alij quia resistunt, attrahantur inuiti: atque

A atque ideo uolentium susceptor, nolentium uerò saluator sit. Et cùm pars ecclesiæ ex gratia, pars autem ex libero iustificetur arbitrio, gloriosiores sint, quos natura prouexerit, quàm quos gratia liberarit: quia ad omne opus bonum tam libera sit uoluntas in Adæ posteris, quàm in Adam fuit ante peccatum.

EN cuius dogmatis sunt magistri, qui ut catholicarũ mentium castitatem gratiæ defensoribus calumniando corrumpant, præcipuum nostro tempore in doctrina ecclesiastica uirum rabido ore discerpunt: creduntq́ se omnia autoritatum munimina posse conuellere, si hanc pastoralis speculæ ualidissimam turrim crebra Pelagiani arietis illisione pulsauerint. Firmum quidem fundamentum Dei stat, sed congruenter isti non desunt partibus suis. Dignum quippe est, ut quorum sequuntur sententiã imitentur insaniam: Nec enim alia possunt dicere, quàm quæ damnatorum querelis, & procacissimis Iuliani sunt uulgata conuitijs. Paria sunt unius seminis germina, & quod latebat in radicibus, manifestatur in fructibus. Non ergo cum istis noua acie dimicandum est: nec quasi contra ignotos hostes specialia sunt ineunda certamina: tunc istorum machinæ fractæ sunt, tunc in superbiæ socijs ac principibus corruerunt, quando beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita apostolico mucrone percussit: quando Pelagium ad proferendam in se suosq́ sententiam, Palæstinorum Episcopoꝝ Synodus coartauit: quando Africanorum Con-
B ciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zosimus sententiæ suæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armauit antistitum: quando sanctæ memoriæ Papa Bonifacius pijssimorum imperatorum catholica deuotione gaudebat: & contra inimicos gratiæ Dei non solùm apostolicis, sed etiam regijs utebatur edictis: Et quando idem, cùm esset doctissimus, aduersus libros tamen Pelagianorum beati Augustini Episcopi responsa poscebat. Vnde & uenerabilis memoriæ Pontifex Cœlestius, cui ad catholicæ ecclesiæ præsidium multa dominus gratiæ suæ dona largitus est: sciens damnatis non examen iudicij solùm, sed pœnitentiæ remedium esse præstandum: Cœlestium, quasi non discusso negotio, audientiam postulantem, totius Italiæ finibus iussit extrudi: ab eo, & præcessorum suorum statuta, & decreta Synodalia inuiolabiliter seruanda censebat: ut quod semel meruerat abscidi, nequaquam admitteret retractari. Nec uerò segniore cura ab hoc eodem morbo Britannias liberauit, quando quosdam inimicos gratiæ solum suæ originis occupãtes, etiam ab illo secreto exclusit Oceani, & ordinato Scotis Episcopo, dum Romanam insulam studet seruare catholicã, fecit etiam barbaram Christianam. Per hunc uirum etiam Orientales ecclesiæ gemina peste purgatæ sunt, quando Cyrillo Alexandrinæ urbis antistiti, gloriosissimo fidei catholicę defensori, ad execandam Nestorianam impietatem, apostolico auxiliatus est gladio. Quo etiam Pelagiani, dum cognatis confœderantur erroribus, iterum prosternerentur. Per hunc uirum intra Gallias

Gallias istis ipsis, qui sanctæ memoriæ Augustini scripta reprehendunt, C
male loquentię est adempta libertas, quando consultantium actione susce-
pta, & librorum, qui errantibus displicebant, pietate laudata, quid opor-
teret de eorum autoritate sentiri, sancto manifestauit eloquio: euidenter
pronuntians, quantum sibi præsumptionis istius nouitas displiceret, qua
auderent quidam aduersus antiquos magistros insolenter insurgere, &
indisciplinata calumnia prædicationi ueritatis obstrepere, Augustinum,
inquientes, sanctæ recordationis uirum, pro uita sua, atque pro meritis, in
nostra semper communione habuimus: nec unquam hunc sinistræ suspi-
tionis saltem rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus,
ut inter magistros optimos etiam à meis semper prædecessoribus habere-
tur. Bene ergo de eo omnes in commune senserant, utpote qui ubiq; cun-
ctis & amori fuerit, & honori. Contra istam clarißimæ laudationis tubã,
contra ista sacratißimi testimonij dignitatem audet quisquam malignæ
interpretationis murmur emittere? & perspicuæ, syncerißimeq; sententię
nubem obliquę ambiguitatis obtendere? ut scilicet quia in epistola Papæ
librorum, pro quibus actum est, non expressus est titulus, hinc eos adpa-
reat non probatos, & istam in sanctum Augustinum laudationem pro au
toramentis fuisse collatam. Maneat, planè maneat ista conditio, ut horum
librorum nouitas repudiata uideatur, si in eadem causa eiusdem uiri dis-
sentit antiquitas: & ut inutile aut incongruum iudicetur, quod ab his, quæ
contra Pelagianos condidit, dissonans inuenitur. Vt itaque omittamus ea D
uolumina, in quibus ab exordio Episcopatus sui multò prius quàm impu
gnatores gratiæ exurgerent, pro gratia disputauit: legantur tres ad Mar-
cellinum ipsius libri, ad sanctum Paulinum Nolanum Episcopum episto-
la retractetur: Ad beatißimum quoque apostolicæ sedis tunc presbyte-
rum Xixtum, nunc uerò Pontificem emissæ paginæ recurrantur: Ad san-
ctum Pinarium, ad Valerium comitem, ad seruos CHRISTI Timasiũ
& Iacobum, distinctim edita uolumina reuoluantur: sex libri priores con-
tra Iulianum, unus ad sanctum Aurelium Carthaginiensem Episcopum
de gestis Palæstinis, alius ad Paulum & Eutropium sacerdotes, contra Pe
lagij & Cœlestij quæstiones, & ad beatæ memoriæ Papam Bonifacium li
bri quatuor explicentur. Ac sic in his omnibus operibus, multisq; alijs,
quæ enumerare longum est, idem doctrinæ spiritus, eadem prædicationis
forma præcesit. Agnoscant calumniatores, superfluò se obijcere, quòd
his libris non speciale, neq; discretum testimonium sit perhibitum, quo-
rum in cunctis uoluminibus norma laudatur. Apostolica enim sedes,
quod à præcognitis sibi non discrepat, cum præcognitis probat: & quod
iudicio iungit, laude non diuidit. Qui ergo hos proxime libros refutant,
anterioribus acquiescant, & ijs quæ pro gratia Christiana prius sunt scri-
pta, consentiant. Sed non faciunt: sciunt enim omnia Pelagiana sibi esse
contraria, & nihil sibi posse competere ad consequentium resolutionem,
si confiteantur in præcedentibus consistere ueritatem. Igitur huiusmodi
hominum

A hominum prauitati non tam disputationum studio, quàm autoritatum priuilegio est resistendum: ut prostrati dudum corporis dogmata, in corpore nullum membrum sinant assurgere. Quia notum est, ita se falsitatis istius habere uersutias, ut si eis liceat prætentæ correctionis imagine aliquod sibi fauentium radicis suæ germen excipere, totam se posse in exigua sui parte reparare. Vbi enim non aliud habet summa quàm portio, non est deuotionis dedisse propè totum: sed fraudis retinuisse uel minimum. Quod ne hypocritarum obtineatur insidijs, confidimus domini protectione præstandum, ut quod operatus est in Innocentio, Zozimo, Bonifacio, Cœlestino, operetur & in Xisto: & in custodia dominici gregis hæc sit pars gloriæ huic reseruata pastori, ut si sicut illi lupos abegêre manifestos: ita hic depellat occultos. Illo auribus suis doctissimi senis insonante sermone, quo collaborantem secum hortatus est, dicens: Sunt enim quidam iustissimè damnati, qui impietates adhuc liberius defendendas putant: & sunt qui occultius penetrant domos: & quod in aperto clamare iam metuunt, in secreto seminare non quiescunt. Sunt autem qui omnino siluerunt, magno timore compressi: sed adhuc corde retinentes, quod ore iam proferre non audent. Qui tamen esse fratribus possunt ex priore ipsius dogmatis defensione notissimi. Proinde alij seuerius sunt coërcendi, alij uigilantius inuestigandi: alij tractandi quidem lenius: sed non segnius sunt docendi: ut si non timent, ne perdant, non tamen negligantur, ne pereant.

PERORATIO.

B SVFFICIENTER, ut arbitror, demonstratum est, reprehensores sancti Augustini & uana obijcere, & recta impugnare, & praua defendere: peremptorumq́ armis intestinum bellum mouentes, diuinis, atque humanis constitutionibus rebellare. Quorum tamen dum adhuc non sunt à fraterna societate diuisi, toleranda magis est intentio, quàm desperanda correctio: donec dominus per ecclesiæ principes, & legitimos iudiciorum suorum ministros, hæc quæ per paucorum superbiam, & quorundam imperitiam sunt turbata, componat: nobis Deo adiuuante sit studium quieta modestiaq́ patientia odijs dilectionem reddere: & ineptorum uitare conflictus: ueritatem non deserere, nec cum falsitate certare: semperq́ à Deo petere, ut in omnibus cogitationibus, sermonibus, atq́ actionibus nostris, ipse teneat primatum: qui dixit se esse principium. Quoniam ex ipso, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in secula seculorum. Amen.

FINIS.

D. PROSPERI AQVITANICI SENTENTIARVM, EX OPERIBVS D. AVGVSTINI EXCERPTARVM, LIBER.

Quæ sit uera innocentia.

I.

Psal. 10. INNOCENTIA uera est, quæ nec sibi, nec alteri nocet. Quoniam qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Et nemo non prius in se, quàm in alterum peccat.

De hominibus diligendis.

II.

Sic diligendi sunt homines, ut eorum non diligantur errores: quia aliud est amare quod facti sunt, aliud odisse quod faciunt.

De uera æternitate.

III.

Vera æternitas, & uera * immutabilitas non est, nisi in deitate trinitatis: cui quod est esse, * perpetuum est: quia natura initio carens, incremento non indigens, sicut nullum finem, ita nullam recipit mutabilitatem. Creaturæ autem illæ, quibus Deus æternitatem dedit, uel daturus est, nõ penitus omnis finis alienæ sunt, quia non sunt extra commutationẽ, dum finis illis est, & temporalis institutio, & localis motio, & ipsa in augmentum sui mutatio facta.

*als: immortalitas
*als: perfectum

De patientia.

IIII.

Ezec. 18. Patientia Dei magna est, qua parcit contemptus, parcit etiam negatus: & magis uult uitam peccatoris quàm mortem. Eruditio est pœnitudinis, & oblatio correctionis: nec ulla ipsius opera misericordia uacant: quando homini & indulgentia consulit & flagello.

De ultione Dei.

V.

Diuina bonitas ideo maximè irascitur in hoc seculo, ne irascatur in futuro: & misericorditer temporalem adhibet seueritatem, ne æternam iustè inferat ultionem.

De

A *De uera Dei laudatione.*

VI.
Vera confeſsio eſt benedicentis, cùm idem ſonus eſt & oris & cordis. Bene autem loqui, & male uiuere, nihil aliud eſt, quàm ſua ſe uoce damnare.

De uirtute charitatis.

VII.
Dilectio Dei & proximi propria & ſpecialis uirtus eſt piorũ atq; ſanctorum, cum cæteræ uirtutes & bonis & malis eſſe poſsint communes.

De doctrina apoſtolica.

VIII.
Doctrina apoſtolica ſalubris, atq; uitalis eſt, ut pro capacitate utẽtium neminem ſui relinquat exortem. Quia ſiue paruuli, ſiue magni, ſiue infirmi, ſiue fortes habent in ea unde alantur, & unde ſatientur.

De quærendo Deo.

IX.
Deum quærens, gaudium quærit. Sic ergo quærat, ut non in ſe, ſed in domino gaudeat. Accedendo enim ad Deum illuminatur ignorantia, &
B corroboratur infirmitas, data ſibi & intelligentia qua uideat, & charitate qua ferueat.

De faſtidio ſpiritali.

X.
Sicut corpori noxium eſt, eſcam corpoream non poſſe percipere: ita animæ periculoſum eſt, ſpiritales delitias faſtidire.

De malorum, & bonorum finibus.

XI.
Nonnunquam multi ſunt qui ad non eſſe tendunt: Quid enim tam eſt obnoxium paucitati, quàm quod eſt debitum perditioni?

De tranquillitate ultionis Dei.

XII.
Non concupiſcit Deus pœnam reorum, tanquam ſaturari deſiderans ultione. Sed quod iuſtum eſt, cum tranquillitate decernit, & recta uoluntate diſponit: ut etiam mali non ſint inordinati.

De bono intellectu.

XIII.
Bonum intellectum habet, qui quod faciendum eſt, rectè intelligit & Eccleſ. 1.
facit. Alioqui talis eſt ſine opere intelligentia, qualis ſine timore ſapientia: cum ſcriptum ſit: Initium ſapientiæ timor domini. Pſal. 110.

C

De requie adhuc in carne uiuentis.

XIIII.

Habet & in hac uita requiem suam anima quæ de morte infidelitatis exempta est:& non ab operibus iustitiæ, sed ab iniquitatis se abstinet actione: ut uiuens Deo,& mortua mundo, in humilitatis & mansuetudinis plácita tranquillitate requiescat.

De uouendo Deo.

XV.

Quisquis bene cogitat, quæ Deo uoueat, & quæ uouendo persoluat, Luc. 20. seipsum uoueat,& reddat. Hoc exigitur, hoc debetur. Imago Cęsaris reddatur Cæsari: imago Dei reddatur Deo. Sed sicut uidendum est, quid,& cui offeras: ita etiam considerandum est, ubi offeras. Quia ueri sacrificij extra catholicam ecclesiam locus non est.

De iustitia & gratia.

XVI.

Duę sunt retributiones iustitię: cùm aut bona pro bonis, aut mala redduntur pro malis. Tertia est retributio gratiæ: cùm per regenerationem Psal. 24. remittuntur mala,& retribuuntur bona. Atq; ita manifestatur, quia uniuersæ uiæ domini misericordia & ueritas. Illam autem retributionem impiorum, quá pro bonis mala restituuntur, Deus nescit: qui non retribueret bona pro malis, nisi esset cui retribueret bona pro bonis.

D

De supernæ patriæ ciuibus.

XVII.

Omnis qui ad supernam pertinet ciuitatem, peregrinus est mundi: & Psal. 108. dum temporali utitur uita, in patria uiuit aliena: ubi inter multa illecebrosa, & multa fallacia Deum nosse,& amare paucorum est, quibus sit præceptum domini lucidum, illuminans oculos, ut nec in Dei, nec in proximi charitate fallantur.

De carnis cupiditate uincenda.

XVIII.

Sapien. 9. Nemo est cuius animam corruptibile corpus, & inhabitatio terrena non aggrauet. Sed annitendum est, ut carnis cupiditates spiritus uigore superentur: & interior homo, qui semper sibi sentit resisti, semper se diuino auxilio expectet adiuuari.

De angusta uitæ uia.

XIX.

Matth. 7. Angusta est uia quæ ducit ad uitam:& tamen per ipsam, nisi dilatato corde, non curritur. Quia iter uirtutũ, quo gradiuntur pauperes CHRISTI, amplum est fidelium spei, etiam si arctum sit infidelium uanitati.

A *De præmio religionis Christianæ.*

XX.

Hoc affectu & desiderio colendus est Deus, ut sui cultus ipse sit merces. Nam qui Deum ideo colit, ut aliud magis, quàm ipsum promereatur: non Deum colit, sed illud, quod assequi concupiscit.

De occultis non iudicandis.

XXI.

De occultis cordis alieni temerè iudicare peccatum est: & eum, cuius non uidentur opera, nisi bona, iniquum est ex suspitione reprehendere. Cùm eorum, quæ homini sunt incognita, solus Deus iudex sit iustus, qui & inspector est uerus.

De adiutorio Dei.

XXII.

Diuini est muneris, cùm & recta cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & iniustitia continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur.

De passionibus sanctorum.

XXIII.

Iusto iudicio Dei datur plerunque peccatoribus potestas, qua sanctos
B ipsius persequantur: ut qui spiritu Dei iuuantur, & aguntur, fiant per laborum exercitia clariores.

De scientia boni.

XXIIII.

Non est uera scientia boni, nisi ad hoc comprændatur, ut agatur. Non enim utiliter meditatur legem Dei, qui laborat, ut memoria teneat, quod actione non implet.

De amore legis.

XXV.

Qui legem Dei diligit, probat se in hominibus iniquis id, quod contra legem est, odisse, non homines.

De scrutandis mandatis Dei.

XXVI.

Mandata Dei scrutari, nisi quieta mens, non potest. Vt ergo religiosum exerceatur studium, abigenda sunt iurgia malignorum.

De proficiendo.

XXVII.

Nemo tam eruditus, nemo tam doctus est, qui superna illustratione non egeat. Non enim ita ulla diuinorum bonorum augmenta sufficiunt,

ut non ſemper ſuperſit, quod mens rationalis & intelligendum deſide- C
ret,& gerendum.

De duplici opere Dei.

XXVIII.

Si omnes homines ſimul conſideremus,quorum alij miſericordia ſalui fiunt,alij ueritate damnantur: uniuerſæ uiæ domini, id eſt, miſericordia & ueritas,ſuo fine diſtinctæ ſunt.Si autem ſolos ſanctos intueamur, non diſcernũtur hæ uiæ domini.Indiuidua enim ibi eſt & à miſericordia ueritas,& à ueritate miſericordia: quia beatitudo ſanctorum, & de munere gratiæ eſt,& de retributione iuſtitiæ.

De obſeruantia pacis.

XXIX.

Chriſtianæ perfectionis eſt,pacificum eſſe, etiã cum pacis inimicis, ſpe correctionis,nõ cõſenſu malignitatis:ut ſi nec exemplũ,nec cohortationẽ dilectionis ſequantur:cauſas tamen nõ habeãt,quibus odiſſe nos debeãt.

De cuſtodia Dei.

XXX.

Cuſtodit nos dominus ab omni malo, non ut nihil patiamur aduerſi, ſed ut ipſis aduerſitatibus anima non lædatur. Cùm enim tentatio adeſt, fit quidam in id,quod nos impugnat,introitus. Et cùm bono fine, id eſt, ſine uulnere animæ,tentatio conſummatur: ad æternam requiem de profundo temporalis laboris exitur. D

De adiutorio Dei.

XXXI.

Ad cœleſtis Hieruſalem non aſcendunt cõſortium, niſi qui toto corde profitentur,non proprij operis,ſed diuini eſſe muneris,quòd aſcendunt.

De odijs mundi in Chriſtianos.

XXXII.

2. Timo. 3. Omnes qui in Chriſto piè uolunt uiuere, neceſſe eſt, ut ab impijs, & diſsimilibus patiantur opprobria:& deſpiciantur tanquam ſtulti,& inſani,qui præſentia bona perdant, & inuiſibilia ſibi, ac futura promittant. Sed hæc deſpectio,& irriſio,in impios retorquebitur: cùm & abundantia eorum in egeſtatem,& ſuperbia tranſierit in confuſionem.

De patientia fidelium.

XXXIII.

Tota fidelium ſalus,tota patiẽtiæ fortitudo,ad eum,qui in ſanctis ſuis eſt mirabilis,referẽda eſt:quia niſi in illis dominus eſſet, furori impiorum fragilitas humana ſuccumberet.

De obſequijs debitis.

XXXIIII.

Ita & à plebibus principes,& à ſeruis domini ſunt ferendi,ut ſub exercita

A citatione tolerantiæ sustineantur temporalia, sperentur æterna. Auget enim merita uirtutis, quod propositum non uiolat religionis.

De toleranda uarietate mundana.

XXXV.

Recti corde de præceptis Dei & cōstitutionibus non queruntur: quia iustum est omnia æquanimiter accipi, quæ iudicaturus uoluit tolerari.

De ædificatione domus Dei.

XXXVI.

Omnis sancti ædificij status, sicut Deo operante proficit, ita Deo custodiente consistit. Quoniam tunc utilis præpositorum custodia est, cùm spiritus Dei populo suo præsidet: & non solum greges, sed etiam ipsos dignatur custodire pastores.

De æternis gaudijs.

XXXVII.

Aeternæ ciuitatis æterna sunt gaudia, & stantium dierum perpes infinitas nec uariabitur, nec labetur: quia incommutabili pace potientur, quorum omnium erit bonum, quod fuerit etiam singulorum.

De lege charitatis.

XXXVIII.

B Lex Christi perfectio charitatis est, qua Deus proximusq; diligitur, & per quam dicitur conditori legis, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Bene enim expectat promissionem Dei, qui mandata eius exequitur: nec frustra sperat parcendum peccatis suis, qui ignoscit alienis. Matth. 6.

De iussionibus Dei.

XXXIX.

Nihil Deus iubet quod sibi prosit, sed illi cui iubet. Ideo uerus est dominus, qui seruo non indiget, & quo seruus indiget.

De temporali scientia.

XL.

Id quod in tempore nouum est, non est nouum apud Deum, qui condidit tempora, & sine tempore habet omnia, quæ suis quibusq; temporibus pro eorum uarietate distribuit.

De prouidentia Dei.

XLI.

Mutabilium dispositionē immutabilis ratio continet, ubi sine tempore simul sunt, quæ in tēporibus nō simul fiunt: quia tēpora nō simul currūt.

De impunitate peccantium.

XLII.

Nihil infelicius est felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas,

nitas,& mala uoluntas, uelut hostis interior roboratur. C

De legis litera.

XLIII.

Legis litera, quæ docet non esse peccandum, si spiritus uiuificans desit, occidit. Scire enim peccatum facit potius, quàm caueri: & ideo magis augeri, quàm minui: quia malæ concupiscentiæ etiam præuaricatio legis accedit.

De lege & gratia.

XLIIII.

Lex data est, ut gratia quæreretur: gratia data est, ut lex impleretur. Neque enim suo uitio non implebatur, sed uitio prudentiæ carnis: quod uitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit.

De promißione Dei.

XLV.

Hoc promittit Deus, quod ipse facit: non enim ipse promittit, & alius facit: quod iam non est promittere, sed prædicere. Ideo non ex operibus, sed ex uocante: ne ipsorum sit, non Dei: & merces non imputetur secundum gratiam, sed secundum debitum: atque ita gratia iam non sit gratia.

De fidelium culpis, & infidelium bonis. D

XLVI.

Sicut non impediunt ab æterna uita iustum quædam peccata uenialia, sine quibus hæc uita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficilimè uita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur.

De malæ uoluntatis effectu.

XLVII.

Cum uoluntas mala potestatem accipit ut efficiat quod cupit, ex iudicio Dei uenit, apud quem non est iniquitas. Punit enim etiam isto modo: nec ideo iniustè, quia occultè. Cæterum iniquus puniri se ignorat, nisi cùm manifesto supplicio senserit nolens, quantum mali sit, quod perpetrauit uolens.

De superbia.

XLVIII.

Omnia uitia in malefactis tantummodo ualent: sola superbia etiam in rectè factis cauenda est.

De impari usu fortunæ.

XLIX.

Interest plurimum qualis sit usus, uel earum rerum quæ prosperæ, uel earum

A earum quæ dicuntur aduersæ. Nam bonus temporalibus nec bonis extollitur, nec malis frangitur. Malus autem ideo huiusmodi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur.

De morte sanctorum.

L.

Mala mors putanda non est, quam bona uita præcesserit. Non enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem. Non itaque multum curandum necessariò morituris quid accidat ut moriantur, sed moriendo quò ire cogantur.

De puritate quam non perdit inuitus.

LI.

Ita non amittitur corporis sanctitas manente animi sanctitate, etiam corpore oppresso, sicut amittitur sanctitas corporis uiolata animi puritate, etiam corpore intacto.

De fortitudine tolerantiæ.

LII.

Maior animus meritò dicendus est, qui uitam ærumnosam magis eligit ferre, quàm fugere: & humanum iudicium, maximeq́ uulgare, quod plerunque caligine erroris inuoluitur, præ conscientiæ luce ac puritate contemnere.

B *De humilitate iustorum.*

LIII.

Iustis quicquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non pœna est criminis, sed uirtutis examen. Nam bonus etiam si seruiat, liber est: malus autem, etsi regnet, seruus est: nec unius hominis, sed, quod grauius, tot dominorum, quot uitiorum.

De oblatione uotorum.

LIIII.

Nemo quicquam domino rectè uoueret, nisi ab ipso acciperet quod uoueret.

De essentia deitatis.

LV.

Omnis substantia quæ Deus non est, creatura est, & quæ creatura non est, Deus est. Nulla ergo differentia est in deitate trinitatis: quoniam quod Deo minus est, Deus non est.

Quales nos diligat Deus.

LVI.

Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono: non quales sumus nostro merito.

De tem

De temporali opere Dei. C

LVII.

Ordo temporum in æterna Dei ſapientia ſine tempore eſt, nec aliqua ſunt apud illum noua, qui fecit, quæ futura ſunt.

De principali rerum omnium cauſa.

LVIII.

Voluntas Dei eſt prima & ſumma cauſa omnium corporalium, ſpiritualiumq́ motionum. Nihil enim fit uiſibiliter & ſenſibiliter, quod non de inuiſibili & intelligibili ſummi imperatoris aula, aut iubeatur, aut permittatur, ſecundum ineffabilem iuſtitiam præmiorum, atque pœnarum, gratiarum, & retributionum, in iſta totius creaturæ ampliſsima quadam immenſaq́ republica.

De ſuperbia diaboli & Chriſti humilitate.

LIX.

Diabolus ſuperbus hominem ſuperbientem perduxit ad mortem. Chriſtus humilis hominem obedientem reduxit ad uitam. Quia ſicut ille elatus cecidit, & deiecit conſentientem; ſic iſte humiliatus ſurrexit, & erexit credentem.

De ſpiritalibus augmentis.

LX. D

In rebus ſpiritalibus cum minor maiori adhæret, ſicut creatori creatura, illa fit maior quàm erat, non ille: & hoc eſt maius eſſe, quod eſt melius eſſe; quia adhærens creatura creatori, non mole auctior, ſed uirtute fit maior.

De ineffabili excellentia deitatis.

LXI.

Excedit ſupereminentia deitatis non ſolum uſitati eloquij noſtri, ſed etiam intelligentiæ facultatem. Verius enim cogitatur Deus, quàm dicitur, & uerius eſt, quàm cogitatur. Non parua autem notitiæ pars eſt, ſi antequam ſcire poſſumus quid ſit Deus, poſsimus ſcire quid non ſit.

De uera beatitudine.

LXII.

Omnes beati habent quod uolunt, quamuis non omnes qui habent quod uolunt, continuò ſint beati. Continuò autem ſunt miſeri, qui uel non habent quod uolunt, uel id habent, quod non rectè uolunt. Propior eſt ergo beatitudini uoluntas recta, etiam non adepta quod cupit, quàm praua, etiam ſi quod cupit obtinuit.

Quid ſit eſſe cum Deo.

LXIII.

Magna hominis miſeria eſt, cum illo non eſſe, ſine quo non poteſt eſſe. In quo

A In quo est enim, sine dubio sine illo non est: & tamen si eius non meminit, eumq́ non intelligit, neque diligit, cum eo non est.

De incarnatione uerbi Dei.

LXIIII.

Diuinitas uerbi æqualis patri, facta est particeps mortalitatis nostræ, non de suo, sed de nostro: ut & nos efficeremur participes diuinitatis eius, non de nostro, sed de ipsius.

Quo odio odiendi sunt mali.

LXV.

Perfectum odium est, quod nec iustitia, nec scientia caret: id est, ut nec propter uitia homines oderis, nec uitia propter homines diligas. Rectè ergo in malis odimus malitiam, & diligimus creaturam: ut nec propter uitium natura damnetur, nec propter naturam uitium diligatur.

De labore fingentium mendacia.

LXVI.

Difficilia & laboriosa sunt figmenta mendacij. Qui autem uerum uult dicere, non laborat: quietiores enim sunt boni, quàm mali: & absolutiora sunt uerba * ueracium, quàm commenta fallacium. *ueridicorum

De diuinis scripturis.

LXVII.

B Bonæ sunt in scripturis sanctis mysteriorum profunditates, quæ ob hoc teguntur, ne uilescant: ob hoc quæruntur, ut exerceant: ob hoc autem aperiuntur, ut pascant.

De oratione domini.

LXVIII.

Orans cum sudore sanguineo dominus Iesus Christus, significabat de toto corpore, quod est ecclesia, emanaturas martyrum passiones.

De sacramentorum perceptione.

LXIX.

Sacramentum pietatis in iudicium sibi sumit indignus. Bene enim esse non potest, male accipienti, quod bonum est.

De laudando Deum.

LXX.

Qui laudat Deum in miraculis beneficiorum, laudet & in terroribus ultionum. Nam & blanditur, & minatur. Si non blandiretur, nulla esset exhortatio: Si non minaretur, nulla esset correctio.

De acceleranda conuersione.

LXXI.

Remedia conuersionis ad Deum, nullis sunt cunctationibus differenda: ne

da: ne tempus correctionis pereat tarditate. Qui enim pœnitenti promisit indulgentiam, dissimulanti diem crastinum non spopondit. C

De humilitate orandi.

LXXII.

Rectus est, & bene inuocat Deum, qui in omnibus malis, quæ patitur, se accusat, non Deum: & in bonis, quæ facit, non se laudat, sed Deum. Sicut enim repellit Deus peccata sua defendentem, sic recipit confitentem.

De admiratione creaturarum.

LXXIII.

Mirabilis est fabrica mundi, sed mirabilior fabricator. Et malè occupatur creatis, qui* à creatore discedit: qui si hæserit superiori, inferiora calcabit: ne quod dilexerit contra naturam conuertatur in pœnam.

*ab autore

De anima inordinata.

LXXIIII.

Anima rationalis superioribus inferiora præponens, non potest regere quod regebat: quia regi uoluit, à quo regebatur.

De pœna peccati.

LXXV.

Corpus carnis nostræ ornamentum nobis fuit: peccauimus, & compedes inde accepimus, ut uinculis mortalitatis omnis humanarum actionum cursus præpediretur. D

De ratione psallentium.

LXXVI.

Rectè in Dei laudem psallit, cuius opera cum uoce concordant. Nam finito carmine, uox tacet: uita autem in bonis actibus permanens, nunquam reticet eius gloriam, quem in se gaudet operari.

De timore.

LXXVII.

Omnia quæ timentur, rationabiliter declinantur: Deus sic timendus est, ut ab ipso ad ipsum confugiatur.

De recta solicitudine.

LXXVIII.

Sicut præpostera securitas in periculum impellit: ita ordinata solicitudo securitatem parit.

De uirginitate.

LXXIX.

Virginitas carnis, corpus intactum: uirginitas animæ, fides incorrupta.

De mo

A *De modo habendi.*

LXXX.

Multa nos in facultatibus nostris superflua habere probabimur, si necessaria sola retineamus. Nam uana quærentibus nihil sufficit: & alienorum quodãmodo retentor est, qui profutura pauperibus inutiliter habet.

De cogitationibus.

LXXXI.

Quomodo aures nostræ ad uoces nostras, sic aures Dei ad cogitationes nostras. Non potest autem fieri, ut in mala opera exeant cogitationes bonæ: quoniam hoc actione promitur, quod corde concipitur.

De cantico nouo.

LXXXII.

Sicut ueteris hominis uetus canticum ad temporalia, sic noui hominis nouum canticum pertinét ad æterna: & ita unusquisque cantat, ut uiuit. Nouum autem canticum, carmen est fidei, quæ per dilectionem operatur.

De uera humilitate.

LXXXIII.

B Vera fidelium humilitas est, in nullo superbire, in nullo murmurare: nec ingratũ esse, nec querulum, sed in omnibus Dei iudicijs gratias Deo agere, Deumq; laudare, cuius omnia opera aut iusta sunt, aut benigna.

De desperantibus.

LXXXIIII.

Nimis miser est, qui non sperat in Deo, & de se sibi secunda promittit: cùm ex eo ipso, quòd non quærat Dei auxilium, ab omni spe ueræ salutis exciderit.

De diuitijs.

LXXXV.

In magna egestate sunt, qui de iniquitate sunt diuites, iustitiæ opes, & sapientiæ thesauros non habent: qui autem domino seruiunt, ea bona acquirunt, quæ perire non possunt.

De uera bonitate.

LXXXVI.

Non sufficit abstinere à malo, nisi fiat quod bonum est: & parum est nemini nocere, nisi studeas multis prodesse.

De mali impunitate.

LXXXVII.

Peccator qui peccat, non ideo à domino non uidetur, quia malè agen-

tis pœna differtur: grauius autem in eum decernitur, cui etiam ipsa correctio denegatur. C

De bono humilitatis.

LXXXVIII.

Non acceditur ad altitudinem Dei, nisi per humilitatem: & cui propinquat subditus, longè ab eo recedit elatus.

De sepultura.

LXXXIX.

Sicut peccatoribus diuitibus nihil prosunt exequiæ sumptuosæ: ita nihil nocent aut uiles, aut nullæ sanctorum pauperum sepulturæ.

De gaudio recto.

XC.

Non potest unquam fraudari delectationibus suis, cui Christus est gaudium. Aeterna enim exultatio est, quæ bono lætatur æterno.

Quid hominem Deo iungat.

XCI.

Deo, qui ubiq; est, nō locis, sed actionibus, aut longinqui, aut proximi sumus: quia sicut separat dissimilitudo, ita nos illi coniungit imitatio.

De bono prælio. D

XCII.

Humanæ ægritudinis est, in carne mortali delectationem habere peccandi: sed discipulus, amatorq; uirtutum, non pacem huic concupiscentiæ tribuere, sed bellum debet indicere.

De spe fidelium.

XCIII.

Non te terreat Christiane, quòd credita differuntur: licet in abscondito sit promissio, in spe tamen perseueret oratio. Exercere operibus, cresce uirtutibus. Dum fidei constantia probatur, gloria retributionis augetur.

De temporibus.

XCIIII.

Omne tempus malorum pusillū est. Quid enim tam exiguum, quàm quod in hoc tendit, ut non sit?

De charitatis augmento.

XCV.

Crescit semp charitatis facultas, dum usu maior, & largitate fit ditior.

De defectu malorum.

XCVI.

Malorum impietatem perire necesse est, aut proprio iudicio, aut sententia

A tentia Dei. Nulla enim iniquitas permanet, cui finem aut correctio, aut damnatio facit.

Vnde adhæreatur Deo.

XCVII.

Adhærens Deo & semper eius faciens uoluntatem, nunquam à suo habitatore deseritur: & si quædam dura, atque aduersa patiatur, non relinquitur, sed probatur.

De iustitia.

XCVIII.

Tota iustitiæ ratio est, ut declinentur mala, & fiant bona: cuius obseruantiæ inter quaslibet aduersitates forma seruanda est: quia hoc solùm nunquam amittitur, quod operi pietatis impenditur.

De tolerantia.

XCIX.

Tolerentur præsentia mala, donec ueniat beatitudo promissa. Sustineantur à fidelibus infideles, & exortorum inter frumenta zizaniorum auulsio differatur, quantumlibet sæuiant impij. Melior est etiam in hoc tempore causa iustorum, qui quanto acrius impetuntur, tanto gloriosius coronantur.

B *Quid sit clamor ad Deum.*

C.

Clamor ad Deum est intentio cordis, & flagrantia dilectionis: quia semper petitur, quod semper optatur. Hoc autem Deo absconditum non est, quoniam ad ipsum redit, quod ab ipso processit.

De confitendo peccato.

CI.

Bona est peccati confessio, si & curatio consequatur. Nam quid prodest detegere plagam, & non adhibere medicinam?

De perfectione.

CII.

In hac uita, quæ tota tentatio est, etiam in sublimissimis sanctis non apprehenditur illa perfectio, cui non superfit ascensio.

De laboribus præsentis uitæ.

CIII.

Dum præsentis uitæ cursus agitur, etiam si ualde proficiat cuius exterior homo corrumpitur, & interior renouatur: necesse est tamen ut dum conditioni subiacet mortis, labores toleret uetustatis.

Quòd imago Dei homo, sit nunc obnoxia uanitati. C

CIIII.

Imago quidem Dei est homo: & qui per iustitiæ ambulat uias, ad similitudinem sui tendit autoris, & tamen dum in hac uita degit, conturbationes uanitatis incurrit.

De eruditione diuina.

CV.

Prima diuini muneris gratia est, ut erudiat nos ad nostræ humilitatis confessionem, & agnoscere faciat, quòd si quid boni agimus, per illum possumus, sine quo nihil possumus.

Quòd tota infidelium uita peccatum sit.

CVI.

Omnis infidelium uita peccatum est: & nihil est bonum, sine summo bono. Vbi enim deest agnitio æternæ, & incommutabilis ueritatis, falsa uirtus est, etiam in optimis moribus.

De fundamento spiritali.

CVII.

Sicut fundamentum corporeæ fabricæ in imo est, ita fundamentum fabricæ spiritalis in summo est. Terrena ædificatio à terra incipit, cœlestis extructio à superno crescit exordio. D

Quòd recordatio uel obliuio non cadant in Deum.

CVIII.

Tunc dicitur Deus meminisse, quando facit: tunc obliuisci, quando nõ facit. Nam neque obliuio cadit in Deum, quia nullo modo mutatur: neque recordatio, quia nihil obliuiscitur.

Qui Dei miracula uideant.

CIX.

Hi uident mirabilia Dei, quibus prosunt. Nam quod non intelligitur, uel unde non proficitur, non uidetur.

De misericordia & ueritate iungendis.

CX.

Non auferat ueritas misericordiam, nec misericordia impediat ueritatem. Si enim pro misericordia iudicaueris contra ueritatem, aut quasi rigida ueritate oblitus fueris misericordiam, non ambulabis in uia domini, in qua misericordia & ueritas obuiauerunt sibi.

De tentatione & imitatione Christi.

CXI.

Tentatio Christi, eruditio Christiani est. Imitatores enim magistri debent

A bent esse discipuli: non in faciendis miraculis, quæ nemo exigit: sed in custodienda humilitate, atque patientia, ad quæ nos dominus suo inuitauit exemplo.

De cupiditate & charitate.

CXII.

Quomodo radix omnium malorum cupiditas est, sic radix omnium bonorum est charitas. 1. Timo. 6.

De gaudio Christiani.

CXIII.

Christiano recte gaudendi causa non præsens seculum, sed futurum est. Et ita est utendum temporalibus, ne obsint æternis: ut in uia, qua peregrini ambulant, hoc placeat quod ducit ad patriam.

De sabbato.

CXIIII.

Male celebrat sabbatum qui ab operibus bonis uacat. Ocium autem ab iniquitate debet esse perpetuum: quia bona conscientia non inquietum, sed tranquillum facit.

Bonum cum gaudio est faciendum.

CXV.

B Cum bonum operaris, hilaris operare: Nam si quid boni tristis feceris, fit de te magis quàm facis.

Quòd non homines, sed hominum sit fugienda peruersitas.

CXVI.

Si in mores malorum non transeant boni, etiam inter cohabitãtes magna diuisio est. Non ergo homines, qui meliorũ exemplo corrigi queunt, sed hominum est fugienda iniquitas.

Quòd sint uitanda peccata non timore pœnæ, sed amore iustitiæ.

CXVII.

Eam Deus innocentiam probat, qua homo non metu pœnæ fit innocens, sed amore iustitiæ. Nam qui timore non peccat, quamuis non noceat, cui uult nocere, sibi tamen plurimum nocet: & abstinens ab iniquo opere, sola tamen reus est uoluntate.

De pharisæo & publicano.

CXVIII.

Melior est in malis factis humilis confessio, quàm in bonis superba gloriatio.

Quod iniqui malitia prosit bonis. C

CXIX.

De malitia mali flagellatur bonus: & de seruo emendatur filius.

De mundana iniquitate.

CXX.

Sicut stellas cœli non extinguit nox: sic mentes fidelium, adhærentes firmamento sanctæ scripturæ, non obscurat mundana iniquitas.

De propria facultate.

CXXI.

Ad peccandum homo abundat propria facultate: ad agendum autem bonum, non sibi sufficit, nisi ab illo iustificetur, qui solus iustus est.

De contrariis moribus.

CXXII.

Magnus bonorũ labor est, mores tolerare contrarios: quibus qui non offenditur, parum proficit. Tantum enim torquet iustum iniquitas aliena, quantum recedit à sua.

Qualiter accedatur, uel recedatur à Deo.

CXXIII.

Non locorum interuallis acceditur ad Deum, uel receditur ab eo: sed similitudo facit proximum, dissimilitudo longinquum. Et nimia miseria est, ab eo bono longè esse, quod ubique est. D

De uera libertate.

CXXIIII.

Libera semp est seruitus apud Deũ, cui nõ necessitas seruit, sed charitas.

De tolerantia.

CXXV.

Qui ideo neminẽ uult hominẽ pati, quia multũ, ut arbitratur, proficit per hoc ipsum, quòd alios non tolerat, ostendit quòd potius nõ proficit.

De artifice summo.

CXXVI.

Totum bonum quod habemus, ab artifice nostro habemus. Sed si hoc in nobis est, quod ipsi fecimus, inde damnabimur: si autem hoc, quod Deus fecit, inde coronabimur.

De uerbo Dei.

CXXVII.

Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, tempus præordinauit, quo susciperet carnem: non tempori cessit, quo uerteretur in carnem. Homo quippe Deo accessit, non Deus à se recessit.

De fide & intellectu.

CXXVIII.

Intellectui fides uiam aperit, infidelitas claudit.

De

A *De homine uicto.*

CXXIX.

Quo primùm uitio superatus est homo, hoc ultimum uincit. Cùm enim omnia peccata superauerit, manet periculum, ne benè sibi mens conscia, in se potius, quàm in domino glorietur.

De perfectione desideriorum.

CXXX.

Finis curarum perfectio est desideriorum: & in id quisque tendit, ac nititur, ut ad illud perueniat, quo delectatur. Sapientis ergo est, hoc appetere, quod bonum facit: non id amare, quod decipit.

De duobus donis gratiæ.

CXXXI.

Sicut duo sunt officia medicinæ, unum quo sanatur infirmitas, aliud quo custoditur sanitas: Ita duo sunt dona gratiæ, unum quod aufert carnis cupiditatem, aliud quod facit animi perseuerare uirtutem.

De laboris fine.

CXXXII.

Non poterit hominis labor finiri, nisi hoc diligat, quod ei non possit auferri.

De iniquitatis læsione.

B

CXXXIII.

Impossibile est, ut iniquitas prius lædat hominem iustum, in quem tendit, quàm cor iniustum, unde procedit.

De miraculis.

CXXXIIII.

Visibile miraculum ad illuminationem uocat: inuisibile autem eum, qui uocatus uenit, illuminat. Omnia ergo narrat mirabilia Dei, qui credens uisibilibus, ad intelligenda inuisibilia transitum facit.

De fugientibus diabolum.

CXXXV.

Melior causa est eorum, qui diabolum persequentem fugiunt, quàm qui præeuntem sequuntur: quia utilius est, eum hostem habere, quàm principem.

De prauis cupiditatibus.

CXXXVI.

Omnes prauæ cupiditates sunt portæ inferi, per quas itur in mortem: cuius dominatum subit, qui adeptum se ad perfruendum lætatur, quod perditè concupiuit.

De adulatione.

CXXXVII.

Adulantium linguæ alligant animas in peccatis: delectat enim ea fa-

cere, in quibus non solùm non metuitur reprehensor, sed etiam laudatur auditor. C

De malè conscio animo.

CXXXVIII.

Animus malè sibi conscius dum uidetur sibi nullam pœnam pati, credit quia non iudicet Deus; cùm abuti patientia Dei, & non intelligere parcentis benignitatem, iam sit magna damnatio.

Quòd prior sit natura, quàm uitium.

CXXXIX.

In creatura, quæ arbitrio suo peccat, prior est natura quàm uitium. Quod ita contra naturam est, ut non posit, nisi nocere naturæ. Non itaque esset uitium recedere à Deo, nisi naturæ (cuius hoc uitium est potius) competeret esse cum Deo.

De angelis & hominibus.

CXL.

Nullum Deus uel angelorum, uel hominum crearet, quem malum futurum esse præsciisset, nisi pariter nosset quibus eos bonorum usibus commendaret: atque ita ordinem seculorum, quasi pulcherrimum carmen, etiam ex quibusdam antithetis honestaret.

De conditione creaturæ. D

CXLI.

Tria quædam nobis maximè scienda de conditione creaturæ oportuit intimari: Quis eam fecerit, per quid fecerit, quare fecerit. Dixit Deus, Gene.1. inquit, Fiat lux: & facta est lux: & uidit Deus lucem, quòd bona esset. Si ergo quærimus, quis fecerit: Deus est. Si, per quid fecerit: Dixit, Et facta est. Si, quare fecerit; quia bona est. Nec autor excellentior est Deo, nec ars efficacior Dei uerbo; nec causa melior, quàm ut bonum crearetur à bono.

De bono & malo amore.

CXLII.

Est amor, quo amatur & quod amandum non est: & istum amorem odit in se, qui illum diligit, quo amatur, quod amandũ est. Possunt enim ambo esse in unum hominem: & hoc bonum est homini, ut illo proficiente, quo bene uiuimus, iste deficiat, quo malè uiuimus, donec ad perfectum sanetur, & in bonum commutetur omne quod uiuimus.

De bono creaturæ.

CXLIII.

Creaturæ rationalis uel intellectualis bonum, quo beata sit, non est, nisi Deus: quod ei non ex seipsa est: quia ex nihilo creata est; sed ex illo, à quo

A quo creata eſt. Hoc enim adepto, fit beata; quo amiſſo, miſera.

De uitio naturæ.

CXLIIII.

Vitium eſſe nec in ſummo poteſt bono, nec niſi in aliquo bono. Sola ergo bona alicubi eſſe poſſunt: ſola autem mala nuſquam: quoniam naturæ etiam illæ quæ ex malæ uoluntatis initio uitiatæ ſunt, in quantum uitioſæ ſunt, malæ ſunt: inquantum autem naturæ ſunt, bonæ ſunt.

Quid credi debeat.

CXLV.

Non eſt phas credere, aliter affici Deum cùm uacat, aliter cùm operatur: quia nec affici dicendus eſt, tanquam in eius natura fiat aliquid, quod antè non fuerit. Patitur quippe, qui afficitur: & mutabile eſt omne, quod patitur. Non ergo in Deo aut pigra uacatio, aut laborioſa cogitetur induſtria: quia nouit & quieſcens agere, & agens quieſcere: & quod in operibus prius quidem eſt, aut poſterius, non ad facientem, ſed ad facta referendum eſt. Aeterna enim eſt & incommutabilis uoluntas eius, nec conſilio alternante uariatur: in qua ſimul eſt quicquid in rebus creandis uel ordinandis, aut præceſsit, aut ſequitur.

Quòd Deus eſt tantum creator.

CXLVI.

B Nullius, quamuis minimæ naturæ, niſi Deum creatorem credi aut dici, licet ab aliquo. Quia etiam ſi angeli iuſsi uel permiſsi adhibeant operationem ſuam rebus, quæ gignuntur in mundo, tam non ſunt creatores animalium, quàm nec agricolæ frugum atque arborum.

De prima conditione mortis.

CXLVII.

De prima corporis morte dici poteſt, quòd bonis bona ſit, malis mala. Secunda uerò ſine dubio, ſicut nullorum bonorum eſt, ita nulli bona.

De morte piorum.

CXLVIII.

Mors etiam piorum, pœna peccati eſt. Sed ideo bona ipſis dicitur, quia illa bene utuntur, quibus finis eſt ad mala temporalia, & tranſitus ad uitam æternam. Sicut enim iniuſtitia malè utitur, non tantùm malis, uerumetiam bonis: ita etiam iuſtitia bene utitur, non tantum bonis, uerumetiam malis.

De martyribus non baptizatis.

CXLIX.

Qui

Qui etiam non percepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis ualet ad abolenda peccata, quantum si abluerentur fonte baptismatis. C

Quòd omne peccatum sit mendacium.

CL.

Cùm homo secundum se uiuit, non secundum Deum, similis est diabolo: quia nec angelo secundum angelum, sed secundum Deum uiuendum fuit, ut staret in ueritate, & ueritatem de illius, non de suo mendacio loqueretur. Vnde non frustra dicitur, omne peccatum esse mendacium: quia non peccatur, nisi ea uoluntate, quæ contraria est ueritati, id est, Deo.

De diuersa uoluntate affectionum.

CLI.

Diuersitas humanæ affectionis, ex diuersitate est uoluntatis: quæ si praua est, peruersis erit moribus inquieta. Si autem recta, non solùm non culpabilis affectio hominis, sed etiam laudabilis erit.

De arbitrij libertate uera.

CLII.

Arbitrium uoluntatis tunc est uerè liberum, cùm uitijs, peccatisque non seruit. Tale datum est à Deo, quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Vnde ueritas dicit, *Si uos filius liberauerit, tunc uerè liberi eritis.* D

Quòd cor ad Deum sit habendum.

CLIII.

Bonum est sursum habere cor, non tamen ad seipsum, quod est superbiæ: sed ad Deum, quod est obedientiæ. Plus autem appetendo minus est, qui dum se sibi sufficere confidit, ab eo, qui uerè ei sufficit, deficit.

De uita beata.

CLIIII.

Beata uita si non amatur, non habetur. Porrò si amatur, habetur. Cæteris omnibus rebus necesse est ut excellentius diligatur: quoniam propter hoc amandum est, quicquid aliud est amandum. Quia uerò beatus esse non potest, nisi qui eam, ut dignum est, amat: consequens est, ut eam æternam uelit: quæ tunc uerè beata erit, quando terminum non habebit.

Solus Deus bonus.

CLV.

Non omnes quidem mali in hoc proficiunt, ut sint boni: nemo tamen est, nisi ex malo, bonus.

De ciui

A *De ciuibus terrenis.*

CLVI.

Ciues terrenæ ciuitatis parit peccato uitiata natura, qui sunt uasa iræ. Ciues uerò cœlestis patriæ parit à peccato naturam liberans gratia, qui sunt uasa misericordiæ.

De ira Dei.

CLVII.

Ira Dei non perturbatio est eius, sed iudicium, quo irrogatur pœna peccato. Cogitatio uerò ipsius, & recogitatio, mutandarum rerum est incommutabilis ratio. Neq; enim sicut hominem, ita deum cuiusquam facti sui pœnitet, cuius de omnibus omnino rebus tam fixa sententia, quàm certa est præsentia. 1. Reg. 15.

De persequentibus ecclesiam.

CLVIII.

Inimici ecclesiæ quolibet errore cæcentur, uel malitia deprauentur: si accipiant potestatem corporaliter affligendi, exercent eius patientiam: Si tantummodo malè sentiendo aduersantur, exercent eius sapientiam: Et ut etiam inimici diligantur, exercent eius beneuolentiam: quia Deus his, qui eum diligunt, omnia cooperatur in bonum.

B *De fine boni & mali.*

CLIX.

Finis boni est, non quo consumatur ut non sit, sed quo perficiatur ut plenum sit. Et finis mali est, non quo esse desinat, sed quousque nocendo perducat. Vnde unum est summum bonum, aliud autem summum malum. Illud propter quod appetenda sunt bona cætera, ipsum autem propter seipsum: hoc, propter quod declinanda sunt mala cætera, ipsum autem propter summum.

De natura.

CLX.

Est natura in qua nullum malum est, uel etiam nullum malum esse potest. Esse autem naturam, in qua nullum bonum sit, non potest.

De animi æquitate.

CLXI.

Melior est animi æquitas, quàm corporis sanitas; & conuenientius iustus dolet in supplicio, quàm lætatus est in delicto.

De præcepto charitatis.

CLXII.

In præcepto charitatis tria inuenit homo quæ diligat: Deum, & se, & proximum. Et quia ille in sui dilectione non errat, qui Deum diligit: consequens

ſequens eſt, ut proximo ad diligendum Deum conſulat, quem iubetur C
diligere ſicut ſeipſum.

De concordia & obedientia.

CLXIII.

Pax domeſtica, eſt ordinata cohabitantium imperandi, obediendiq; concordia. Imperant enim qui conſulunt: ſicut uir uxori, parentes filijs, domini ſeruis: Obediunt autem quibus conſulitur: ſicut mulieres maritis, filij parentibus, ſerui dominis. Sed in domo iuſti uiuentis ex fide, & ab illa adhuc ciuitate peregrinantis, etiam qui imperant, ſeruiunt eis, quibus uidentur imperare: quia non dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi: nec principandi ſuperbia, ſed prouidendi beneficentia.

De conditione ſeruitutis.

CLXIIII.

Nomen, & conditionem ſeruitutis culpa genuit, non natura: & prima
Ioan. 8. huius ſubiectionis cauſa peccatum eſt, quia ſicut ſcriptum eſt, Omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Vnde melior eius ſtatus eſt, qui famulatur homini, quàm qui ſuæ ſeruit cupiditati.

De prælatis.

CLXV.

Veri patresfamiliàs ſubditis ſuis, tanquam filijs, ad colendum, & pro- D
merendum Deum conſulunt, deſiderantes uenire ad cœleſtem domum, ubi imperandi neceſſarium non ſit officium: quò donec ueniatur, magis debent patres, quòd dominantur, quàm ſerui tolerare, quòd ſeruiunt.

De regimine populi.

CLXVI.

Locus ſuperior, ſine quo regi populus non poteſt, etiam ſi ita ſit tenendus, atque adminiſtrandus, ut decet: tamen indecenter appetitur. Vnde otium ſanctum quærit dilectio ueritatis: negotium iuſtum ſuſcipiat neceſsitas dilectionis.

De uita animæ.

CLXVII.

Sicut non eſt à carne, ſed ſupra carnem, quod eam facit uiuere: ſic non eſt ab anima, ſed ſupra animam, quod eam facit beatè uiuere: quia ut uita carnis anima eſt, ita beata uita hominis Deus eſt.

De uenia.

CLXVIII.

Iuſtitia noſtra quamuis uera ſit, propter uerum boni finem, ad quem refertur, tamen tanta eſt in hac uita, ut potius remiſsione peccatorum conſtet,

A constet, quàm perfectione uirtutum.

De plena pace.

CLXIX.

Quandiu uitijs repugnatur, plena pax non est: quia & illa quæ resistunt periculo, debellantur prælio: & illa quæ uicta sunt, nondum securo triumphantur ocio, sed adhuc solicito premuntur imperio.

De prima & secunda morte.

CLXX.

Prima mors animam nolentem pellit è corpore, secunda animam nolentem tenet in corpore. Ab utraque morte id habetur, ut quod non uult anima, de suo corpore patiatur.

De causis incognitis.

CLXXI.

Incognitis causis operum diuinorum non nihil nouimus, cùm scimus non sine ratione omnipotentem facere, unde infirmus humanus animus rationem non potest reddere.

De negligentijs.

CLXXII.

B Frustra sibi homo post hoc corpus promittit, quod in hoc corpore cōparare neglexit. Nemo inuitus benè facit, etiam si bonum est quod facit: quia nihil prodest spiritus timoris, ubi non est spiritus charitatis.

De humana societate.

CLXXIII.

Sicut in potestatibus societatis humanæ maior potestas minori ad obediendum præponitur: ita Deus omnibus.

De diligendo Deo.

CLXXIIII.

Beatus qui diligit Deum, & amicum in Deo, & inimicum propter Deum. Solus enim nullum charum amittit, cui omnes in illo chari sunt, qui nunquam à non dimittente amittitur.

De non corrumpendis.

CLXXV.

Manifestum est, quoniā bona sunt quæ corrūpuntur, quæ neq; si summa bona essent, corrumpi possent: quia si summa bona essent, incorruptibilia essent: si autem nulla bona essent, quid in eis corrūperetur non esset.

De incommutabili Deo.

CLXXVI.

Cum Deus incommutabiliter bonus, omnes creaturas fecerit bonas,

nec ulla omnino, nisi ab ipso sit creata natura, nulla est substantia mali: C
quia quod autorē Deum nō habet, non est: ita uitium corruptionis nihil est aliud, quàm inordinatæ uel desiderium, uel actio uoluntatis.

Quòd iustitia iniquis odiosa sit.

CLXXVII.

Sicut palato nō sano pœna est cibus, qui sano suauis est: & oculis ęgris odiosa lux, qua incolumis gaudet obtutus: ita displicet iniquis iustitia
*minuerentur Dei, cui si subijcerentur, non * conturbarentur.

De ægritudine animi.

CLXXVIII.

Aegritudo animi rationalis est, cùm bonis inferioribus delectatus, superiora ex parte appetit, & ex parte non appetit. Ideoq; in duas diuiditur uoluntates: cumq; una est, tota non est: & hoc adest uni, quod deest alteri.

De homine religioso.

CLXXIX.

Homini benigno parum esse debet inimicitias aliorum nō excitare uel augere, male loquendo: nisi eas etiam extinguere bene loquendo studeat.

De ueritate odiosa.

CLXXX. D

Beata uita est gaudium de ueritate, quod Deus est: sed multis ueritas odiosa est, quam audire nolunt docentem: & nolentes falli, uolunt mendacia sua ueritatem uideri. Quibus iustè retribuitur, ut ipsi ueritatem non lateant, ipsos autem lateat ueritas.

De forti patientia.

CLXXXI.

Nemo quod tolerat amat, etiam si tolerare amat: quia aliud est fortis patientia, aliud secura felicitas. Nec eiusdem est temporis labor pugnæ, & beatitudo uictoriæ.

De copiosa ægestate.

CLXXXII.

Ideo plerūq; in sermone copiosa est ægestas humanæ intelligētiæ: quia plus loquit̃ inquisitio, quàm inuētio: & longior est petitio, q̃ impetratio.

De æternitate.

CLXXXIII.

Vera æternitas Dei est, qui solus habet immortalitatem: quoniam ex nulla specie motu'ue mutatur, nec temporalis est uoluntatis. Non enim immortalis est uoluntas, quæ alia, & alia est.

De non desperandis peccatoribus.

CLXXXIIII.

Non est desperandum de malis, sed pro ipsis, ut boni fiant, studiosius sup

A ſupplicandum: quia numerus ſanctorum de numero ſemper eſt auctus impiorum.

Qualiter pax à Deo quæratur.

CLXXXV.

Quærens à Deo pacem, ſit ſibi ipſe pacatus, ne aliud in profeſsione oris, aliud ſit in cordis arcano. Nihil enim prodeſt hoc eſſe in corde quod uerum eſt, ſi hoc dicitur uoce, quod falſum eſt: quia ueritas & credenda eſt, & loquenda.

Ne iuſte flagellatus doleat.

CLXXXVI.

Non conqueratur homo, quando in his, quæ iuſte habet, patitur aliquas aduerſitates: per amaritudinem enim inferiorũ docetur amare meliora: ne uiator tendens ad patriam, ſtabulum pro domo diligat.

Vt peccator ſibi diſpliceat.

CLXXXVII.

Bene currit ad remiſsionem peccatorum, qui diſplicet ſibi. Apud iudicem enim iuſtum, & miſericordem, qui ſe accuſat, excuſat.

De quærendis præſidijs.

CLXXXVIII.

In tranquillitate pacis comprehendenda eſt doctrina ſapientiæ, quæ inter tribulationum turbines difficulter agnoſcitur. Nec facile inueniun-B tur in aduerſitate præſidia, quæ non fuerint in pace quæſita.

De altari Dei.

CLXXXIX.

Ad altare Dei inuiſibile, quò non accedit iniuſtus, ille peruenit, qui ad hoc præſens iuſtificatus accedit. Inueniet enim illic uitam ſuam, qui hic diſcreuerit cauſam ſuam.

De lege.

CXC.

Finis legis Chriſtus eſt, in quo lex iuſtitiæ non conſumitur, ſed impletur. Omnis enim perfectio in ipſo eſt: ultra quem non eſt, quò ſe ſpes fidei & charitatis extendat.

De mala conſcientia.

CXCI.

Nullæ pœnæ grauiores ſunt, quàm malę cõſcientiæ: in qua cum Deus non habetur, conſolatio non inuenitur: & ideo inuocãdus eſt liberator, ut quem tribulatio exercuit ad confeſsionem, cõfeſsio perducat ad ueniam.

De ægro.

CXCII.

Quid grauius peccato ægri, quàm medici interfectio? Sed cum in ba-

ptiſmo hoc dimittitur, quid non dimittitur? C

De ruminante uerbum Dei.

CXCIII.

Auditor uerbi ſimilis debet eſſe animalibus, quæ ob hoc, quia ruminant, munda eſſe dicuntur: ut non ſit piger de his cogitare, quæ in aluo cordis accepit: & cùm audit, ſit ſimilis edenti: cùm uerò audita in memoriam reuocat, ſit ſimilis ruminanti.

De anima rationali.

CXCIIII.

Rationalis anima domina eſt corporis ſui, quæ inferiori non bene imperabit, niſi ſuperiori ſe Deo tota charitatis ſubiectione ſeruierit.

De miſericordia Dei.

CXCV.

Sicut terra de cœlo expectat pluuiam, & lucem: ſic homo ex Deo debet expectare miſericordiam, & ueritatem.

De bonis eccleſiæ filijs.

CXCVI.

Gaudendum eſt bonis eccleſiæ filijs, quòd in diſcretione eorum non fallitur diuina iuſtitia. Sed non temere diuidant congregatos: quia ipſorum eſt uelle colligere, domini ſeparare. D

De terreno amore.

CXCVII.

Dominus eſt rerum quas habet, qui nulla cupiditate irretitur. Nam qui terrenorum amore obſtringitur, non poſsidet, ſed poſsidetur.

De hæreditate Chriſti.

CXCVIII.

Hæreditas, in qua cohæredes Chriſti ſumus, non minuitur multitudine filiorum, nec fit anguſtior numeroſitate cohæredum. Sed tanta eſt multis, quanta paucis: tanta ſingulis, quanta omnibus.

De felicitate.

CXCIX.

Nunquam debet ſecura eſſe felicitas, quia perniculoſiora ſunt animo ſecunda, quàm corpori aduerſa: prius enim corrumpunt proſpera, ut inueniant aduerſa quod frangant.

De remedijs pœnitentiæ.

CC.

Prima ſalus eſt, declinare peccatum; ſecunda eſt, non deſperare de uenia

A nia. Nam ipſe ſe in æternum perimit, qui apud miſericordem iudicem ad pœnitentiæ remedia non recurrit.

De bonis occultis ſanctorum.

CCI.

Boni latent, quia bonum ipſorum in occulto eſt, nec uiſibile enim eſt, nec corporale, quod diligunt: & tam merita eorum ſunt in abſcondito conſtituta, quàm præmia.

De inimicis bonorum.

CCII.

Nullus bonorum inimicum habet, niſi malum: qui ideo eſſe permittitur, ut aut corrigatur, aut per ipſum bonus exerceatur. Orandum eſt ergo pro inimicis, ut aut obtineatur eorum conuerſio, aut in nobis diuinæ bonitatis inueniatur imitatio.

De uigore fidei Chriſtianæ.

CCIII.

Vigor fidei Chriſtianæ tribus temporibus initiatur: ueſpere, mane, & meridie. Veſpere enim dominus in cruce, mane in reſurrectione, meridie in aſcenſione. Vnum ad patientiam occiſi, aliud ad uitam reſuſcitati, tertium ad gloriam pertinet maieſtatis in patris dextera conſedentis.

B *De purgandis electis.*

CCIIII.

Ad hoc exagitantur homines tribulationibus, ut uaſa electionis euacuentur nequitia, & impleantur gratia.

De bonis, quæ nemo amittit inuitus.

CCV.

Poteſt homo inuitus amittere temporalia bona, nunquam uerò, niſi uolens, perdit æterna.

De fine fidelium.

CCVI.

Finis fidelium Chriſtus eſt, ad quē cùm peruenerit currētis intētio, nō habet quòd poſsit amplius inuenire, ſed habet in quo debeat permanere.

De triſtitia.

CCVII.

Melior eſt triſtitia iniqua patientis, quàm lætitia iniqua facientis.

De peccatis præteritis.

CCVIII.

Reuocandus eſt animus à recordandis cum quadā delectatione præteritis, ne ſurrepente concupiſcentia, redeamus corde in Aegyptum.

De ueritate. C

CCIX.

Bonum est à ueritate uinci. Ad correptionem superet ueritas uolentem. Nam & inuitum ipsa superabit.

De impunitate peccatorum.

CCX.

Peccata siue parua, siue magna, impunita esse non possunt: quia aut homine pœnitente, aut Deo iudicante plectuntur. Cessat autem uindicta diuina, si conuersio præcurrat humana. Amat enim Deus confitentibus parcere: & eos, qui semetipsos iudicant, non iudicare.

De misero.

CCXI.

Nullus miser de quantacunque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia præuenitur.

De remedijs tribulationum.

CCXII.

Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus huius uitæ, & misericorditer auditur, & misericorditer non auditur. Quid enim infirmo sit utile magis nouit medicus quàm ægrotus. Si autem id postulat, quod Deus & pręcipit & promittit, fiet omnino quod poscit: quia accipit charitas, quod parat ueritas. D

De prouectu bonorum.

CCXIII.

Prouectus fidelium sine tentatione non euenit: nec sibi quisquam innotescit, nisi probationis examine. Nec coronabitur, nisi qui uicerit: nec uincet, nisi qui certauerit. Quis autem certat, nisi inimicum habens, & tentationi resistens?

De prophetijs implendis.

CCXIIII.

Stultus est, qui non credit denuntiationibus prophetarum in paucis, quæ restant, cùm uideat tam multa completa, quæ tunc non erant, quando prædicebantur implenda.

De idolis.

CCXV.

Sic sunt, qui colunt idola, quomodo qui in somnis uident uana. Si autem euigilet anima ipsorum, intelligit à quo facta sit, & non colit, quod ipsa fecit.

De corporibus humanis.

CCXVI.

Omnia corporis nostri, quæ discerpta, uel putrefacta, uel etiam cõcremata

A mata, in quasdam dissoluuntur fauillas, Deo perire non possunt. In illa enim elemēta mundi eunt, unde sumpta sunt illa manu, quæ tenet omnia.

De siti bona.

CCXVII.

Qui Deo sitiunt, tota sua debent sitire substantia, id est, & anima & carne: quia & animæ Deus dat panem suum, id est, uerbum ueritatis: & carni necessaria Deus præbet: quia utraque ipse facit, qui utraque fecit.

De meditatione fidelium.

CCXVIII.

Qui otiosus, & quietus non cogitat Deum: quomodo inter actus multos, & laboriosa negotia de illo poterit cogitare? Meditetur ergo quæ Dei sunt fidelis, cùm uacat: & bene operandi substantiam quærat, ne in actione deficiat.

De simulata innocentia.

CCXIX.

Simulata innocentia, non est innocētia. Simulata ęquitas, non est æquitas: sed duplicatur peccatum, in quo est & iniquitas, & simulatio.

De lumine.

CCXX.

B Anima recedens à luce iustitiæ, quantò magis quærit, quod inueniat contra iustitiam, tantò plus repellitur à lumine ueritatis, & in tenebrosa demergitur.

De duabus ciuitatibus.

CCXXI.

Duas in toto mundo ciuitates faciunt duo amores: Hierusalem facit amor Dei, Babyloniam amor seculi. Interroget ergo se quisque quid amet, & inueniet unde sit ciuis.

De præcepto Dei.

CCXXII.

Omne præceptum Dei leue est amanti. Nec ob aliud intelligitur dictū, Onus meum leue est: nisi quia dat spiritum sanctum, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, ut diligendo liberaliter faciamus: quod qui timendo facit, seruiliter facit. Nec est amicus recti, quando mallet, si fieri posset, id quod rectum est, non iuberi. Matth. 11.

De charitate.

CCXXIII.

Plenitudo legis charitas est, quia per charitatem lex impletur, non per timorem: in tantum enim fiunt mandata iustitiæ, in quantum adiuuat spiritus gratiæ. Rom. 13.

De operibus bonis. C

CCXXIIII.

Non sunt bona opera, nisi quæ per fidem, & dilectionem fiunt: quia alterum sine altero nullius uirtutis fructum parit.

De lapsu Adam.

CCXXV.

Ab eo quod formauit Deus, mutatus est Adam, sed in peius per ini-quitatem suam. Ab eo quod operata est iniquitas, mutantur fideles, sed in
Psalm. 76. melius, per gratiam Dei. Illa ergo mutatio fuit præuaricatoris primi, hæc mutatio dexteræ est excelsi.

De temporalibus delitijs.

CCXXVI.

In præsenti uita & delitiæ temporales dulces sunt, & tribulationes tem porales amaræ sunt. Sed quis non bibat tribulationis poculum, metuens ignem gehennarum? Et quis non contemnat dulcedinem seculi, inhians bonis æternæ uitæ?

De trinitate.

CCXXVII.

In trinitate diuina tanta est substantiæ unitas, ut æqualitatem teneat, pluralitatem non recipiat.

Nullam mali esse naturam. D

CCXXVIII.

Ioan. 1. Omnia per uerbum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Cùm itaque uniuersæ naturæ per uerbum Dei factæ sunt, iniquitas per ipsum facta non est, quia iniquitas nulla substantia est; & peccatum non natura est, sed uitium naturæ, id appetentis quod non est ordinis sui.

De iniquitate diaboli.

CCXXIX.

Sublatum est diabolo iniquitate sua uincto, non quod habebat pro-prium, sed quod rapuerat alienum. Auferendo enim Christus quæ de ma gna eius domo perierant, non furtum fecit, sed furtum recepit.

De profunditate iniquitatis.

CCXXX.

Tunc hominem concludit profunditas iniquitatis, quando non solùm immersus peccatis iacet: sed etiam uolens ea defendere, perdit aditum confessionis.

De auxilio Dei.

CCXXXI.

Cùm Deus permittit, aut facit, ut aliqua tribulatione uexemur, etiam tunc

A tunc misericors est: quia excitans fidem, & differens opem, non auxilium negat, sed desiderium mouet.

De Christianis.

CCXXXII.

Diuites Christiani, si ueri Christiani sunt, prorsus pauperes sunt: & in comparationem cœlestium bonorum, quæ sperant, omne aurum suum arenam deputant: quia ibi quisque habet diuitias suas, ubi delectationem.

De fide Abrahæ.

CCXXXIII.

Fides Abrahæ, semen est Abrahæ. Proinde qui pertinent ad credulitatis similitudinem, ipsi pertinent ad hæredum promissionem.

De perseuerantia in bono.

CCXXXIIII.

Nemo fidelium quamuis multum profecerit, dicat, Sufficit mihi. Qui enim dixerit, remansit, & hæsit in uia ante finem, qui non perseuerabit usque in finem.

De Deo.

CCXXXV.

Nullus in Deo locus est, nec est quò fugiatur ab ipso, nisi ad ipsum.
B Qui uult euadere offensum, confugiat ad placatum.

De duabus uitis.

CCXXXVI.

Duæ uitæ sunt, una est corporis, altera animæ. Sicut uita corporis, anima: ita uita animæ, Deus. Et quomodo si anima deserat, moritur corpus: sic anima moritur, si deserat Deus.

De homine.

CCXXXVII.

A quo habet homo ut sit, apud illum habet ut ei bene sit.

De obedientia.

CCXXXVIII.

Perfectè Deus, euidenterq; monstrauit, quantum sit bonum obedientia: cùm hominem in paradiso positum, ab ea re prohibuit, quæ non erat mala. Sola ibi obedientia potuit tenere palmam: sola inobedientia incidit pœnam.

Quomodo erudiantur boni.

CCXXXIX.

Interdum Deus per malos erudit bonos, & per temporalem potentiã damnandorum exercet disciplinam liberandorum.

De con

De confeßione. C

CCXL.

Apud misericordiam Dei plurimum ualet confesſio pœnitentis, quem facit peccator confitendo propitium, quem negando non facit neſcium.

De ſcientia.

CCXLI.

Humilium uirtus eſt, de ſcientia non gloriari: quia communis eſt omnibus ſicut lucis, ita participatio ueritatis.

Qualiter regantur corpora.

CCXLII.

Non caret regia poteſtate qui corpori ſuo nouerit rationabiliter imperare. Verè dominator eſt terræ, qui carnem ſuam regit legibus diſciplinæ.

De pœna & iuſtitia.

CCXLIII.

Quantum ad opera attinet, quæ forinſecus aguntur, & qui timet pœnam, & qui amat iuſtitiam, non facit contra mandatum: & ideo pares quidem ſunt manu, ſed diſpares corde: ſimiles actione, diſsimiles uoluntate.

Quid diligatur.

CCXLIIII. D

Hoc ab homine colitur, quod diligit. Vnde quia Deus omnibus rebus maior & melior inuenitur, plus omnibus diligendus eſt, ut colatur.

De corde.

CCXLV.

Rectum cor cum Deo eſt, quando propter Deum quæritur Deus.

De beneuolentia.

CCXLVI.

De beneuolentia eſt, non de malitia, cùm lætatur iuſtus in impios proceſsiſſe uindictam: quia non peccatoris exitium placet, quem uoluit corrigi; ſed iuſtitia Dei, qua ſcit multos poſſe conuerti.

De ſimulatione.

CCXLVII.

Non uincit in bono malum, qui in ſuperficie bonus eſt, & in alto malus; opere parcens, corde ſæuiens: manu mitis, uoluntate crudelis.

De amore, & timore.

CCXLVIII.

Ad omne opus bonum amor ducit, & timor Dei. Ad omne peccatum amor ducit, & timor mundi. Vt ergo apprehendatur bonum, & declinetur malum, diſcernendum eſt, quid & diligi debeat, & timeri.

De felic

A *De felicitate.*

CCXLIX.

Nulla infelicitas frangit, quem felicitas nulla corrumpit.

De diuite paupere.

CCL.

Diues qui talis est, ut contemnat in se quicquid illud est, unde inflari superbia solet, pauper est Dei.

De gradibus pietatis.

CCLI.

Ascensionum ad Deum sunt gradus pietatis affectus. Iter tuum uoluntas tua est: amando accedis, negligendo recedis: constitutus in terra Deo iungeris, quia quæ Deo chara sunt diligis.

De petitionibus contrarijs Deo.

CCLII.

Deus cùm aliquid malè poscitur, dando irascitur, non dando miseretur.

De mendacio.

CCLIII.

Incredibile est non mentiri hominem ne capiatur, qui mentitur ut
B capiat.

Item de mendacio.

CCLIIII.

Quamuis omnis, qui mentitur, uelit celare quod uerum est: non tamen omnis, qui uult celare uerum, mentitur. Plerunque enim uerum non fallendo occulimus, sed tacendo. Neque enim mentitus est dominus cùm ait, Multa habeo uobis dicere, sed non potestis illa portare modo. Ioan.16.

De libero arbitrio.

CCLV.

In primo homine patuit, quid hominis arbitrium ualeret ad mortem. In secundo autem, quid Dei adiutorium ualeret ad uitam. Primus enim homo, non nisi homo: secundus uerò homo, Deus & homo. Peccatum ergo factum est relicto Deo, iustitia non fit sine Deo.

De lege & peccato.

CCLVI.

Legis litera quæ docet non esse peccandum, si spiritus uiuificator desit, occidit. Scire enim peccatum potius facit, quàm cauere: & ideo magis augeri, quàm minui: quia malæ concupiscentiæ etiam præuaricatio legis accedit.

De mandato Dei & timore.

CCLVII.

Mandatum Dei si timore fit pœnæ, non amore iustitiæ, seruiliter fit,

non

non liberaliter: & ideo nec fit. Non enim bonus fructus est, qui non de C
charitatis radice procedit.

De lege.

CCLVIII.

Rom. 2. Lex Dei secundum naturam est, & cùm homines quæ legis sunt faciũt, naturaliter faciunt, superato uitio, quod nec præsidium legis abstulerat. Cum itaque per gratiam lex Dei in cordibus scribitur, quæ legis sunt naturaliter fiunt: non quia per naturam præuenta sit gratia, sed quia per gratiam reparata natura.

De gloria non habenda nisi in Deo.

CCLIX.

1. Col. 4. Nemo ex eo quod uidetur habere glorietur, tanquam non acceperit: aut ideo putet se accepisse, quia litera extrinsecus, uel ut legeretur apparuit, uel ut audiretur insonuit.
Gala. 2. Nam si per legem iustitia, ergo Christus
Psalm. 6. gratis mortuus est. Porrò autem si non gratis mortuus est, Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Inde habet, quæcunque habet. Quisquis autem inde habere se negat, aut non habet, aut id quod habet, auferetur ab eo.

De homine, & superbia.

CCLX. D

Homo factus erat immortalis, Deus esse uoluit: non perdidit, quòd homo erat, sed perdidit, quòd immortalis erat: & de inobedientiæ superbia contracta est pœna naturæ.

De laude fidei.

CCLXI.

Laus fidei est, non uisa credere: præmium erit creditorum, adeptione gaudere.

De sapientia.

CCLXII.

Sicut lac non transit, nisi per carnem, ut paruulum pascat qui panem edere non potest: sic nisi sapientia Dei, quæ panis est angelorum, ad homines dignaretur uenire per carnem, nemo ad uerbi contemplandam diuinitatem posset accedere. Quia ergo lux à tenebris non poterat comprehendi, ipsa lux mortalitatem subijt tenebrarum, & per similitudinem carnis peccati, participationem dedit luminis ueri.

De bona fama.

CCLXIII.

Odor bonus fama bona est, quam quisque bonæ uitæ operibus haurit: dum Christi uestigia sequitur, pedes quodammodo eius pretiosi unguenti odore perfundit.

De cup

A *De cupiditate.*

CCLXIIII.

Non est in carendo difficultas, nisi cùm est in habendo cupiditas: & ideo id solum rectè diligitur, quod nunquam benè amittitur.

De eloquentia insipientis.

CCLXV.

Quia affluit insipienti eloquentia, tanto magis cauendus est, quanto magis ab eo in his, quę audire inutile est, delectatur auditor: & eum quem ornate dicere audit, etiam uerè dicere existimat.

De ingenio.

CCLXVI.

Bonorum ingeniorum clara est indoles, in uerbis differentium uerum amare, non uerba. Quid enim prodest clauis aurea, si aperire quod uolumus non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest? quando nihil quærimus nisi patere quod clausum est.

De homine peccatore.

CCLXVII.

Omnis peccator inquantum peccator, non est diligendus: & omnis homo inquantum homo diligendus est propter Deum: Deus uero propter B seipsum, à quo habent omnes qui eum diligunt, & quòd sunt, & quòd eum diligunt.

De incommutabili bono.

CCLXVIII.

Dominus ait, Ego sum uia, ueritas, & uita. Hoc est, per me uenitur, ad me peruenitur, in me manetur. Cum enim ad ipsum peruenitur, etiam ad patrem peruenitur: quia per æqualem ille, cui æqualis est, cognoscitur, uinciente atque glutinante nos spiritu sancto, ut in summo atque incommutabili bono sine fine maneamus.

De mendacio & fallacia.

CCLXIX.

Multos inuenimus, qui fallere uelint: qui autem falli, neminem. Cum uerò hoc alius sciens faciat, alius nesciens patiatur: satis apparet, in una eademq; re, illum qui fallitur, eo qui mentitur esse meliorem: quandoquidem pati melius est iniquitatem, quàm facere.

De dilectione æternorum bonorum.

CCLXX.

Inter temporalia atq; æterna hoc interest, quod temporale plus diligitur antequã habetur, uilescit autem cum aduenerit. Non enim satiat animum, nisi incorruptibilis gaudij uera & certa æternitas. Aeternum uerò

ardentius diligitur adeptum, quàm desideratum. Nemo enim plus de illo C æstimat quàm de se habet, ut fiat uilius, quia speratum est amplius. Sed tanta est ibi excellentia, ut multo plus adeptura sit charitas, quàm uel fides credidit, uel spes desiderauit.

De fame & inedia spiritali.

CCLXXI.

Qui in scripturis sanctis non inueniunt ueritatem quam quærunt, fame laborant: qui autem non quærunt quod in promptu habent, fastidij languore marcescunt, & par utrorunque periculum est, dum sapientiæ cibum & illis obcæcatio, & his inedia subtrahit.

De laboribus peccatorum.

CCLXXII.

Non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Sæuiat & fremat mundus, increpet linguis, coruscet armis: quicquid fecerit, quantillum erit ad illud quod accepturi sumus? Appendo quod patior contra id quod spero: hoc quidem sentio, illud spero: & tamen incomparabiliter maius est quod speratur, quàm quod infertur. Quicquid est quod contra Christi nomen sæuit, si potest uinci, tolerabile est: si non potest, proficit præmio citius consequẽdo, & finis temporalis mali transit in perceptionem æterni boni. D

De Charitate.

CCLXXIII.

Cum in duobus præceptis charitatis tota lex pendeat & prophetæ, quantò magis est Euangelium, quo lex non soluitur, sed adimpletur: & de quo dominus dicit, Mandatum nouum do uobis, ut uos inuicem diligatis? Charitas enim innouat homines: & sicut malignitas ueteres, ita dilectio nouos facit.

De flagello.

CCLXXIIII.

Quando corripit Deus genus humanum, & flagellis piæ castigationis exagitat, exercet ante iudicium disciplinam, & plerunque* diligit quem flagellat, nolens inuenire quem damnet. Flagellat autem simul & iustos & iniustos, quia nemo est, qui possit gloriari castum se habere cor, aut mundum se esse à peccato. Ita de gratia misericordiæ eius ueniunt etiam coronæ iustorum.

*al's: non eligit

De passionibus fidelium.

CCLXXV.

Labor piorum exercitatio est, non damnatio. Nec enim conturbare debemus, cùm aliquis sanctus grauia & indigna perpetitur, si obliti non sumus, quæ pertulerit iustus iustorum, sanctusq; sanctorum: cuius passio

A ſio omnes ſuperat paſsiones: quia cùm autore uniuerſitatis nulla cuiuſquam eſt comparatio creaturæ.

De originali peccato.

CCLXXVI.

Miſeria generis humani, cuius nullum hominum ab exortu uſque ad obitum uidemus alienum, non pertineret ad iuſtum omnipotentis iudicium, ſi non eſſet originale peccatum.

De prouidentia Dei ſemper operantis.

CCLXXVII.

Creatoris omnitenentis omnipotentia cauſa eſt ſubſiſtendi omni creaturæ: quæ uirtus ſi ab eis, quæ condidit, regendis aliquando ceſſaret, ſimul omnium rerum ſpecies & natura concideret. Proinde quod dominus ait, Pater meus uſque nunc operatur: continuationem quandam operis eius, qua ſimul omnia continet, atq; adminiſtrat, oſtendit. In quo opere etiam ſapientia eius perſeuerat, de qua dicitur, Pertingit à fine uſque in finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Idem etiam Apoſtolus ſentit, cùm Athenienſibus prædicans ait, In quo uiuimus, mouemur, & ſumus. Qui ſi opus ſuum rebus creatis ſubtraheret, nec uiuere, nec moueri, nec eſſe poſſemus. Et ideo ſic Deus intelligendus eſt requieuiſſe ab omnibus operibus ſuis, ut iam nullam nouam conderet creaturam, non ut conditas continere, & gubernare ceſſaret.
B

De uero ſabbato.

CCLXXVIII.

Obſeruatione ſabbati, quæ uacatione unius diei figurabatur, ablata, perpetuum ſabbatum obſeruat, qui ſpe futuræ quietis, ſanctis eſt operibus intentus: nec ipſis bonis actibus ſuis quaſi de proprijs, & de his quæ non acceperit, gloriatur: illum in ſe operari cognoſces, qui ſimul operatur, & quietus eſt.

De requie Dei.

CCLXXIX.

Requies Dei rectè intelligentibus ea eſt, quæ nullius indiget bono. Et ideo certa requies nobis in illo eſt, quia beatificamur bono quod ipſe eſt: non ipſe eo quod nos ſumus. Nam & nos aliquid bonum ab ipſo ſumus, qui fecit omnia bona ualde, in quibus fecit & nos. Porrò alia res bona præter ipſum nulla eſt, quam ipſe non fecit: ac per hoc nullo bono alieno eget, qui bono, quod fecit, non eget.

De initio temporum.

CCLXXX.

Factæ creaturæ motibus cœperunt currere tempora. Vnde ante creaturam fruſtra tempora requirūtur, quaſi poſsint inueniri ante tempora.

Motus enim si nullus esset uel spiritalis, uel corporalis creaturæ, quo per C præsens præteritis futura succederent, tempus nullum omnino esset. Moueri autem creatura utique posset, si non esset. Potius ergo tempus à creatura, quàm creatura cœpit à tempore: utrunque autem ex Deo. Ex ipso enim, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.

Omnia Dei arbitrio regi.

CCLXXXI.

Cum saluator dicit, unum passerem non cadere in terram sine uoluntate Dei, & quòd fœnum agri, quod post paululum mittendum est in clibanum, ipse tamen formet, ac uestiat: nonne confirmat, non solum istam mundi partem rebus mortalibus & corruptibilibus deputatam: uerum etiam uilissimas eius, abiectissimasque particulas diuina prouidentia regi: ne fortuitis perturbari motibus ea, quorum causas comprehendere non possumus, æstimemus?

De anima rationali.

CCLXXXII.

Anima rationalis in ea debet erigi, quæ in spiritalium natura maximè excellunt: ut quæ sursum sunt sapiant, non quæ super terram.

De miraculis naturalibus.

D

CCLXXXIII.

Naturarum conditor Deus nihil in miraculis contra naturam facit: nec quod nouum est consuetudine, repugnans est rationi. Nobis ergo uidentur contra naturam insolita, quibus aliter naturæ cursus innotuit: non autem Deo, cui hoc est natura quod fecerit.

De incommutabili ratione operum Dei.

CCLXXXIIII.

Omne corpus in omne corpus posse mutari credibile est: quodlibet autem corpus in animam rationalem posse conuerti, credere absurdum est. Quoniam Deus sic est omnipotens, ut nunquam suæ rationis instituta conuellat.

De merito uoluntatis.

CCLXXXV.

Sicut aër ex præsente lumine non factus est lucidus, sed fit: quia si factus esset, non autem fieret, etiam absente lumine lucidus permaneret. Sic homo Deo præsente illuminatur, absente autem tenebratur: à quo non locorum interuallis, sed uoluntatis auersione disceditur.

Deo obediendum.

CCLXXXVI.

Magna est utilitas hominis iubenti Deo, etiam incognita iussionis ratione

A tione seruire. Iubendo enim Deus utile facit, quicquid iubere uoluerit: de quo metuendum non est, ne non profutura præcipiat: nec fieri potest ut uoluntas propria non grandi ruinæ pondere super hominem cadat, si eam uoluntati superioris extollendo præponat.

De bono humanæ naturæ.

CCLXXXVII.

Quàm excellẽs bonum sit natura humana, hoc maxime apparet, quòd datum ipsi sit ut posiit summi & incommutabilis boni adhærere naturæ. Quod si noluerit, bono se priuat, & hoc ei malum est. Vnde per iustitiam Dei etiam cruciatus consequitur. Quid enim tam iniquum, quàm ut bene sit desertori boni? Aliquando autem amissi superioris boni non sentitur malum, dum habetur, quod est amatum inferius bonum. Sed diuina iustitia est, ut qui uoluntate amisit, quod amare debuit, amittat cum dolore, quod amauit: & naturarum creator ubique laudetur. Adhuc enim bonum est, quod dolet amissum bonum. Nam nisi aliquid bonum remansisset in natura, nullius amissi boni dolor esset in pœnam.

De potestate nocendi.

CCLXXXVIII.

Nocendi cupiditas potest esse à suo cuiq; animo praua. Non est autem potestas nisi à Deo, & hæc abdita, altaq; eius iudicia, quoniam non est B iniquitas apud Deum.

Quale bonum sit Deus.

CCLXXXIX.

Quantum, & quale bonum sit Deus, etiam ex hoc euidenter ostenditur, quòd nulli ab eo recedenti benè est: quia & qui gaudent in mortiferis uoluptatibus, sine doloris timore esse non possunt. Et qui omnino malum desertionis suæ maiore superbiæ stupore non sentiunt: alijs, qui hæc discernere nouerunt, quanta miseria premantur apparet: ut si nolint recipere medicinam, talia deuitandi ualeant ad exemplum quæ possunt habere.

Quòd nulla creatura mala sit in natura.

CCXC.

Sicut uera ratio docet, meliorem esse creaturam quam prorsus nihil delectat illicitum: ita eadem ratio docet, etiam illam bonam esse, quæ in potestate habet illicitam delectationem ita cohibere, ut non solùm de cæteris licitis, rectéq; factis, uerumetiam de ipsius prauæ delectationis coërcitione lætetur.

De magnis operibus domini.

CCXCI.

Magna opera domini exquisita in omnes uoluntates eius. Præuidet

bonos futuros, & creat: præuidet futuros malos, & creat: ſeipſum ad C
fruendum præbēs bonis, multa munerum ſuorum largiens, etiam malis
miſericorditer ignoſcens, iuſtè ulciſcens: itemq; miſericorditer ulciſcens,
iuſtè ignoſcens: nihil metuens de cuiuſquam malitia, nihil indigens de cu-
iuſquam iuſtitia: nihil ſibi conſulens de operibus bonorum, & bonis con-
ſulens etiam de pœnis malorum.

De ſuperbia.

CCXCII.

Cùm ſuperbia ſit amor excellentiæ propriæ, inuidentia uerò ſit odium felicitatis alienæ, quod unde naſcatur in promptu eſt. Amando enim quiſque excellentiam ſuam, uel paribus inuidet, quòd ei coæquentur, uel inferioribus, ne ſibi coæquentur, uel ſuperioribus, quòd eis non coæquẽtur. Superbiendo ergo quiſque inuidus, non inuidendo ſuperbus eſt.

De plenitudine diuinitatis in Chriſto.

CCXCIII.

Plenitudo diuinitatis in Chriſto dicta eſt corporaliter habitare, non
quia diuinitas corpus eſt, ſed quia ſacramenta ueteris teſtamenti appel-
lantur umbræ futuri. Propter umbrarum comparationem corporaliter
dicta eſt in Chriſto plenitudo diuinitatis habitare, quòd in illo implean-
tur omnia, quæ illis umbris figurata ſunt. Ac ſic quodammodo umbra-
rum præcedentium ipſe ſit corpus: hoc eſt, figurarum, & ſignificationum D
illarum ipſe ſit ueritas.

De uitijs expugnandis.

CCXCIIII.

Actio in hac uita pia eſt, Deum colere, & in eius gratia contra uitia interna pugnare, eiſq; uſque ad illicita inſtigantibus, cogentibus'ue non cedere: & ubi ceditur, indulgentiam, atque ut non cedatur adiutorium Dei, affectu religioſæ pietatis expoſcere. In paradiſo autem ſi nemo peccaſſet, non eſſet actio pietatis expugnare uitia: quia felicitatis eſſet permanſio, uitia non habere.

De fortitudine Chriſtiana & gentilium.

CCXCV.

Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem autem Chriſtianorum Dei charitas facit, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris, non per uoluntatis arbitrium, quod eſt à nobis: ſed per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

Vitium niſi in aliquo bono eſſe non poteſt.

CCXCVI.

Non poteſt eſſe ullum malum, niſi in aliquo bono: quia non poteſt eſſe niſi in aliqua natura. Omnis autem natura inquantum natura, bona eſt.

Nullis

A *Nullis meritis gratiam praeueniri.*

CCXCVII.

Debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia, quae non debetur, praecedit ut fiant.

De circuncisione & baptismo.

CCXCVIII.

Circuncisio carnis lege praecepta est, quia non posset melius per Christum significari regenerationis autorem tolli originale peccatum. Cum praeputio quippe omnis homo nascitur, quemadmodum cum originali peccato. Et octauo die lex circuncidi carnem praecepit: quia Christus die dominico resurrexit, qui post septimum sabbati octauus est. Et circuncisus praeputiatum gignit, traijciens in illum, quo ipse iam caruit: sicut baptizatus in filium quem generat carne, reatum tamen traijcit originis, à quo ipse iam liber est.

De Adam primo & secundo.

CCXCIX.

Primus homo Adam sic olim defunctus est, ut tamen post illum secundus homo sit Christus, cum tot hominum milia inter illum & hunc orta sint: & ideo manifestum est, pertinere ad illum omnem, qui ex illa successione propagatus nascitur: sicut ad istum pertinet omnis, qui gratiae lar-
B gitate in illo renascitur. Vnde fit, ut totum genus humanum quodammodo sint homines duo, primus & secundus.

De iudicijs Dei.

CCC.

Nullo modo iudicijs hominum comparanda sunt iudicia Dei: quem non dubitandum est, esse iustum, etiam quando facit, quod hominibus uidetur iniustum.

De natiuitate iustorum.

CCCI.

Iustus ex Deo, non ex hominibus nascitur: quoniam renascendo, non nascendo fit iustus. Vnde etiam *renati filij Dei uocantur. *regenerati

De naturae humanae qualitate.

CCCII.

Natura humana etsi mala est, quia uitiata est, non tamen malum est, quia natura est. Nulla enim natura, inquantum natura est, malum est: sed prorsus bonum, sine quo bono ullum esse non potest uitium: quamuis sine uitio posit esse uel nunquam uitiata, uel sanata natura.

De morte peccatorum.

CCCIII.

Iustum Dei iudicium est, ut peccato suo quisque pereat, cùm peccatum

Deus non faciat, ſicut mortem non fecit: & tamen quem morte dignum ſenſit, occidit. Vnde legitur: Mors & uita à Deo eſt. Quæ duo inter ſe eſſe contraria profectò uidet, quiſquis ab operibus diuinis iudicia diuina diſcernit: quia aliud eſt creando non inſtituiſſe mortalem, aliud iudicando plectere peccatorem. C

De pœna peccati.

CCCIIII.

Deus quidem mundum fecit, & corpora prorſus omnia. Sed ut corpus corruptibile aggrauat animam, & caro concupiſcat aduerſus ſpiritum, non eſt præcedens natura hominis inſtituti, ſed conſequens pœna * peccati.

*als: damnati

De opere in quacunque natura.

CCCV.

Quantislibet uitiis turpetur quæcunque natura, inſtitutio eius ſemper eſt bona. Nam ſicut inſtitutio corporis bona eſt, etiam quando naſcitur morbidus: & inſtitutio animi bona eſt, etiam quando naſcitur fatuus: ſic inſtitutio ipſius hominis bona eſt, quando naſcitur peccati originalis obnoxius.

De abolitione peccati.

CCCVI.

Sicut quidam parentes aggrauant originale peccatum, ita quidam re- D
leuant: ſed nullus tollit, niſi ille, de quo dictum eſt, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: cui nullum bonum hominis impoſsibile, nullum malum eſt inſanabile.

De gratia Dei.

CCCVII.

Non ad merita hominum, ſed ad Dei miſericordiam pertinet, cùm ex illa maſſa primi hominis, cui meritò mors debetur, quiſq; liberatur. Non eſt enim iniquitas apud Deum: quia neque remittendo, neque exigendo quod debetur, iniuſtus eſt. Et ibi gratuita eſt indulgentia, ubi iuſta poſſet eſſe uindicta.

Neminem, niſi Deo miſerante, ſaluari.

CCCVIII.

Natura humana, etiam ſi in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret, nullo modo ſeipſam, creatore ſuo non adiuuante, ſeruaret. Vnde cùm ſine Dei gratia ſalutem non poſſet cuſtodire quam accepit: quomodo ſine Dei gratia poteſt recuperare, quam perdidit?

Nihil excuſationis competere peccatori.

CCCIX.

Inexcuſabilis eſt omnis peccator uel reatu originis, uel additamento etiam

A etiam propriæ uoluntatis: siue qui nouit, siue qui ignorat, siue qui iudicat, siue qui non iudicat: quia & ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est: in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo in utrisque non est excusatio, sed iusta damnatio.

De his qui spiritu Dei aguntur.

CCCX.

Plus est proculdubio agi, quàm regi: qui enim regitur, aliquid agit: & ideo regitur, ut rectè agat. Qui autem agitur, agere ipse aliquid uix intelligitur. Et tamen tantum præstat uoluntatibus nostris gratia saluatoris, ut non dubitet Apostolus dicere, Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. Nec aliquid in nobis libera uoluntas melius agere potest, quàm ut illi se commendet, qui mala agere non potest.

De resurrectione.

CCCXI.

Liberari à corpore mortis huius, omni sanato languore concupiscentiæ carnis, est non ad pœnam corpus recipere, sed ad gloriam.

Nihil hominem posse sine Deo.

CCCXII.

B Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo; nulla uerò facit homo, quæ non Deus facit, ut faciat homo.

De uera iustitia.

CCCXIII.

Iustitia, secundum quam iustus ex fide uiuit, quoniam per spiritum gratiæ homini ex Deo est, uera iustitia est: quæ licet non immeritò in aliquibus iustis pro huius uitæ capacitate perfecta dicatur: parua tamen est ad illam magnam, quam capit æqualitas angelorum: quam qui nondum habebat, & propter illam, quæ iam inerat, perfectum: & propter istam, quæ adhuc deerat, imperfectum se esse dicebat. Sed planè minor ista iustitia facit meritum: maior illa facit præmium. Vnde qui istam non sequitur, illam non assequetur.

De mortalitate Christi secundum carnem.

CCCXIIII.

De uno solo mediatore Dei & hominum homine Christo IESV fides catholica nouit, quòd pro nobis mortem, id est, peccati pœnam sine peccato subire dignatus est. Sicut enim solus ideo factus est hominis filius, ut nos per illum Dei filij fieremus: ita solus suscepit sine malis meritis pœnam, sicut nos per illum sine bonis meritis gratiam. Quia sicut nobis non debebatur aliquid boni, ita nec illi aliquid mali. Commendans

ergo dilectionem suam in eos, quibus daturus erat indebitam uitam, pati C
pro eis indebitam mortem uoluit.

De natura & gratia.

CCCXV.

Sicut eis, qui uolentes in lege iustificari, à gratia exciderunt, uerissimè dicit Apostolus, Si ex lege iustitia est, ergo Christus gratis mortuus est: sic eis, qui gratiam, quam commēdat, & percipit fides Christi, putant esse naturam, uerissimè dicitur: Si per naturam iustitia est, ergo Christus gratis mortuus est. Iam hic enim erat lex, & non iustificabat: iam hic erat & natura, & non iustificabat. Ideo Christus non gratis mortuus est, ut & lex per illum impleretur, qui dixit: Non ueni soluere legem, sed adimplere: & natura per Adam perdita, per illum repararetur, qui dixit, uenisse se quærere, & saluare quod perierat.

De misericordia & iudicio.

CCCXVI.

Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum. Habere autem fidem, sicut habere charitatem, gratiæ est fidelium. Sed cùm uoluntas credendi alijs præparetur, alijs non præparetur à domino, discernendum est, quid ueniat de misericordia eius, quid de iudicio. Vniuersæ enim uiæ domini misericordia & ueritas. Inuestigabiles autem sunt uiæ ipsius. Inuestigabiles igitur sunt & misericordia, qua gra- D
tis liberat, & ueritas, qua iustè iudicat.

De auxiliando.

CCCXVII.

Nemo erigit quicquam ad id, in quo ipse est, nisi aliquantum ad id, in quo est ille descendat.

De contemnenda mundi gloria.

CCCXVIII.

Quas uires nocendi habeat humanæ gloriæ amor, non sentit, nisi qui ei bellum indixerit: quia etsi cuiquam facile est laudem non cupere, dum negatur: difficile est ea non delectari, cùm offertur.

De temporalibus bonis relinquendis.

CCCXIX.

Omnes mundi opes contemnit, qui non solùm quantum potuit, sed etiam quantum uoluit habere contemnit. In quo cauendum est, ne surrepat elatio. Vtilius enim terrena opulentia humiliter tenetur, quàm superbè relinquitur.

De cohibenda ira.

CCCXX.

Nulli irascenti ira sua uidetur iniusta. Vnde ab omni indignatione

citò

A citò redeundum est ad mansuetudinis lenitatem. Nam pertinax motus facilè in eius odium transit, cui non celeriter ignoscitur.

De lege & gratia.

CCCXXI.

Qui dedit legem, ipse dedit & gratiã: sed legem per seruum misit, cum gratia ipse descendit: ut quia lex ostendit peccata, non tollit; uolentes legem suis uiribus exequi nec ualentes, cogantur ad gratiam, quæ & impossibilitatis morbum, & inobedientiæ aufert reatum.

De sabbato.

CCCXXII.

Verum sabbatum Christianus obseruat, abstinens ab opere seruili, Ioan. 8.
id est, à peccato: quoniam qui facit peccatum, seruus est peccati.

De his quæ hominum propria sunt.

CCCXXIII.

Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum. Si quid autem habet homo ueritatis atque iustitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo: ut ex eo quasi quibusdam guttis irrorati, non deficiamus in uia.

B *De inseparabili opere patris & filij.*

CCCXXIIII.

Quod pater cum Christo facit, Christus facit: & quod Christus cum patre facit, pater facit: nec seorsum aliquid agit inseparabilis charitas, maiestas, potestas. Sicut ipse dominus dicit: Ego & pater unum sumus. Ioan. 10.

Cui prosit baptismi sacramentum.

CCCXXV.

Regenerationis gratiam ita etiam hi non minuunt, qui eius dona non seruant: sicut lucis nitorem loca immunda non polluunt. Qui ergo gau- Gal. 5.
des baptismi perceptione, uiue in noui hominis sanctitate: & tenens fidem, quæ per dilectionem operatur, habe bonum, quod nondum habes, ut prosit tibi bonum quod habes.

De ueritate.

CCCXXVI.

Sic est ueritas Christus, ut totum uerum accipiatur in Christo: uerum uerbum Dei Deus, æqualis patri; uera anima; uera caro; uerus homo: uerus Deus: uera natiuitas: uera passio: uera mors: uera resurrectio. Si aliquid horum dixeris falsum, intrat putredo: de ueneno serpentis nascuntur uermes mendaciorum, & nihil integrum remanebit: quia ubi fuerit falsi alicuius corruptio, ibi ueritatis integritas non erit.

De cha

De charitate. C

CCCXXVII.

Quanta est charitas? quæ si desit, frustra habentur cætera: si adsit, habentur omnia.

Quomodo Christus reliquerit patrem & matrem.

CCCXXVIII.

Philipp. II. Reliquit Christus patrem: quia cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Hoc est enim, Reliquit patrem: non quia deseruit, & recessit à patre, sed quia non in ea forma apparuit hominibus, in qua æqualis est patri. Reliquit autem matrem, relinquendo synagogam Iudæorum, de qua secundum carnem natus est: & inhærendo ecclesiæ, quam ex omnibus gentibus congregauit.

De comparatione primi Adam & secundi.

CCCXXIX.

Dormit Adam, ut fiat Eua: moritur Christus, ut fiat ecclesia. Dormiente Adam, fit Eua de latere. Mortuo Christo, lancea perforatur latus: Roma. 5. ut profluant sacramenta, quibus formetur ecclesia. Vnde meritò Apostolus ipsum Adam dicit formam futuri. Quia sicut omnes in Adam moriuntur: ita & in Christo omnes uiuificabuntur. 1. Cor. 15. D

De incarnatione uerbi.

CCCXXX.

Deus homo factus est: quid futurus est homo, propter quem Deus factus est homo?

De duabus natiuitatibus hominum.

CCCXXXI.

Vna est natiuitas de terra, alia de cœlo: una est de carne, alia de spiritu: una est de æternitate, alia de mortalitate: una est de masculo & fœmina, alia de Deo & ecclesia. Sed ipsæ duæ singulares sunt. Quomodo enim uterus non potest repeti, sic nec baptismus iterari.

De diuersitate bonorum.

CCCXXXII.

Si uisibilia attendas, nec panis est Deus: nec aqua est Deus: nec lux ista est Deus: nec uestis est Deus: nec domus ista est Deus: Omnia enim hæc uisibilia sunt, & singula sunt. Quod enim est panis, non hoc est aqua: & quod est uestis, non hoc est domus: & quod sunt ista, non hoc est Deus: uisibilia enim sunt. Deus autem totum tibi est, quod rectè desideras, & omnium bonorum uarietas uno fonte profunditur. Quoniam cum sua tribuit, seipsum sub diuersis munerum suorum nominibus impertit.

De intel

A

De intellectu.

CCCXXXIII.

Anima carnalia appetens fœminæ comparatur non habenti rectorem uirum, qui est intellectus, cuius eam oportet sapientia gubernari: non quasi aliud sit quàm anima: sed quia obtutus quidam occultus sit animæ. Sicut enim exteriores oculi quiddam sunt carnis: ita mens quiddam est animi, quod in eo secundum participationem diuinæ rationis excellit. Et tunc omnibus motibus suis bene præsidet, cùm superna luce radiatur, ut sit in ea lumen uerum, quod illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum.

De loco orationis.

CCCXXXIIII.

Qui supplicaturus Deo locum aptum & sanctum requiris, interiora tua munda, & omni inde mala cupiditate depulsa, præpara tibi in cordis tui pace secretum. Volens in templo orare, in te ora: & ita age semper, ut Dei templum sis. Ibi enim Deus exaudit, ubi habitat.

De homine interiori.

CCCXXXV.

Sensus corporis corporalia nuntiant cordi: Et non omnium facultas eadem: quia non inde uidetur, unde auditur: nec unde sapor, inde & odor
B capitur. Nec hi ministri sine tactu ad læuia & aspera, calida & frigida, humida & sicca, discernẽda sufficiunt. Incorporea uerò animus suo tantum sensu dijudicat, & omnes uarietates uno motu attingit: & quicquid discretionis inter bona & mala, iusta & iniusta rationabiliter inuenit, unus est intentionis affectus. Vt ibi imago Dei appareat, ubi unum idemq; est quod mens potest, quantum potest.

De uita filij Dei.

CCCXXXVI.

Dei filius Deus uitam habere in semetipso, sicut habet pater, non participando adeptus est, sed nascendo. Vitam enim genuit pater uita, nec differt in aliquo essentia gignentis & geniti: cùm sic ex patre sit filius, ut consempiternæ æqualitatis non una quidem persona, sed una sit deitas.

De iudicio.

CCCXXXVII.

Quamuis nunquam recedat à filio pater, ad iudicandos uiuos & mortuos non ipse dicitur, sed filius affuturus: quia ibi nec patris, nec filij deitas, sed illa forma uidebitur filij, quam sibi per sacramentum incarnationis uniuit. Ipsa ergo erit iudex, quæ sub iudice stetit. Ipsa iudicabit, quæ iudicata est: ut uideant impij eius gloriam, in cuius mansuetudinem * fremuerunt. Talis ergo apparebit iudex, qualis uideri possit, & *al. sæuierunt

T ab eis

ab eis, quos coronaturus, & ab eis, quos damnaturus est. Pater autem nō C apparebit: quia forma serui non est indutus: sed filio, qui etiam homo factus est, dedit iudicij potestatem.

De uoluntate Dei & hominis.

CCCXXXVI.

Suam uoluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet. Quando autem ita faciunt, quod uolunt, ut diuinæ seruiāt uoluntati, quamuis uolentes agant quod agunt: illius tamen uoluntas est, à quo & præparatur, & iubetur quod uolunt.

De doctrina patris per uerbum.

CCCXXXVII.

Si illum docet pater, qui audit uerbum eius: quære quid sit Christus, & inuenies uerbum eius. In principio erat uerbum: non autem in principio Deus fecit uerbum: sicut in principio Deus fecit cœlum & terram. Verbum enim Dei Deus est, non creatura: nec factum inter omnia, sed per quod facta sunt omnia. Vt ergo ad talis uerbi doctrinam homo in carne constitutus possit accedere: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.

De corpore Christi.

CC,CXXXVIII. D

Caro Christi fidelium uita est, si corpus ipsius esse non negligant: fiant ergo corpus Christi, si uolunt uiuere de spiritu Christi: de quo non uiuit, nisi corpus Christi.

Qui edunt corpus Christi.

CCCXXXIX.

Escam uitæ accipit, & æternitatis poculum bibit, qui in Christo manet, & cuius Christus habitator est. Nam qui discordat à Christo, nec carnem eius manducat, nec sanguinem bibit: etiam si tantæ rei sacramentum ad iudicium suæ præsumptionis quotidie indifferenter accipiat.

De malorum felicitate.

CCCXL.

Vellet mundana sapientia, ut nunquam permitteret Deus eos qui mali sunt esse felices, quod utique non sinet: sed ideo mali cum habent quod uolunt, felices putantur: quia quid sit felicitas, ignorant.

De mutatione cordis.

CCCXLI.

Aliud est migrare corpore, aliud corde. Migrat corpore, qui motu corporis mutat locum: Migrat corde, qui motu cordis mutat affectum. Si aliud amas, aliud amabas: non ibi es, ubi eras.

De

A *De chrismate.*

CCCXLII.

Christi nomen à chrismate est, id est ab unctione. Quia ideo omnis Christianus sanctificatur, ut intelligat, se non solùm sacerdotalis, & regiæ dignitatis esse consortem, sed etiam cõtra diabolum fieri luctatorem.

De lumine.

CCCXLIII.

Sequamur Christum lumen uerum, ne ambulemus in tenebris. Tenebræ autem metuendæ sunt morum, non oculorum: & si oculorum, non exteriorum, unde discernitur, non album & nigrum, sed iustum & iniustum.

De incarnatione uerbi.

CCCXLIIII.

Catholica fides dominum Iesum Christum & uerum Deum, & uerum hominem credit, & prædicat. Vtrunque enim scriptum est, & utrunque uerum est. Qui Deum tantummodo asserit Christum, medicinam negat, qua sanatus est. Qui hominem tantummodo asserit Christum, potentiam negat, qua creatus est. Vtrunque ergo anima fidelis ac recta suscipe: & Deus Christus est, & homo Christus est: qualis Deus Christus, æqualis patri, unum cum patre: qualis homo Christus uirginis filius, trahens
B de homine mortalitatem, non trahens iniquitatem.

De missione uerbi.

CCCXLV.

Missus est dominus Christus à patre, non recessit à patre. Missio eius incarnatio fuit, & inuisibili deitati hoc fuit, in hunc mũdum uenire quod apparere. Quod si citò caperetur, non opus erat, ut crederetur. Credendo ergo capitur, quod nisi credatur, nunquam intelligitur.

De patre & filio.

CCCXLVI.

Vt rectè credatur pater & filius, ipse filius audiendus est, dicens, Ego & pater unum sumus. Duobus enim uerbis duæ simul hæreses detruncantur. Nam per id quod ait, unum, Arrium perculit: per illud quod ait, sumus, Sabellium strauit: quia nec sumus, de uno: nec unum, diceret de diuerso. Ioan. 10.

De Deo & homine Iesu Christo.

CCCXLVII.

Vtrunque oportet nouerimus in Christo: & unde æqualis patri est: & unde illo maior est pater. Illud uerbum est, illud caro: illud Deus est, illud homo. Sed unus est Christus Deus & homo.

C

De unitate diuinæ trinitatis.

CCCXLVIII.

Multorum hominum multæ ſine dubio animæ, & multa ſunt corda: ſed ubi per dilectionem fidemq́ adhæreant Deo, fiunt omnes una anima, & cor unum. Si ergo charitas Dei, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris, per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, tantam unitatem multarum animarum, & multorum cordium facit: quanto magis certiusq́ in patre & filio & ſpirituſancto æterna & incommutabilis unitas manet: ubi indifferens trinitas, unus Deus eſt, unum lumen, unumq́ principium?

De doctrina patris ad filium.

CCCXLIX.

Non ſic docuit pater filium, quaſi indoctum genuerit, & ſcientiam contulerit neſcienti: ſed temporalis doctrina eſt intemporalis eſſentia: & hoc eſt à patre doceri, quod eſt à patre generari: quia ſimplici ueritatis naturæ eſſe & noſſe, non eſt aliud atque aliud, ſed ipſum.

De fide & ueritate.

CCCL.

Fides ſemper præuenit uiſionem. Credimus enim, ut cognoſcamus: non cognoſcimus, ut credamus. Fides ergo eſt, quod non uides, credere: ueritas, quod credidiſti, uidere.

D

De bono odore Chriſti.

CCCLI.

Bonus Chriſti odor eſt prædicatio ueritatis, quo odore uitam capit, qui Euangelio bonis * operibus ſeruit & congruit. Mortem autem incurrit, cuius ab his, quæ benè loquitur, uita diſſentit: quæ conditio etiam auditores obſtringit, cùm recta prædicatio ab alijs per incredulitatem auditur in mortem: ab alijs per fidem ſuſcipitur in ſalutem.

* *al: moribus*

De facultate credendi.

CCCLII.

Fides Chriſti eſt, credere in eum, qui iuſtificat impium: credere in mediatorem, ſine quo nullus reconciliatur Deo: credere in ſaluatorem, qui uenit quærere, & ſaluare quod perierat: credere in eum, qui dixit: Sine me nihil poteſtis facere. Sed hanc fidem non apprehendit, qui ignorans Dei iuſtitiam, qua iuſtificatur impius, ſuam uult conſtituere, qua conuincatur ſuperbus. Talia enim ſentientes ſua elatione obdurantur, & excæcantur: quia negando Dei gratiam non adiuuantur.

De uera dilectione.

CCCLIII.

Charitatem habens, quæ eſt de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, diligit Deum, & proximum ſicut ſeipſum. Amator enim Dei, amator

A amator est sui: & non diligens Deum, non diligit proximum: quia non diligit seipsum. Pro hac autem dilectione patienter etiam mundi odia sunt toleranda: necesse est enim ut nos oderit, quos uidet odisse quod diligit.

De bipartita mundi significatione.

CCCLIIII.

Duo hominum genera sub uno mundi nomine nuncupantur. Sicut enim dicitur mundus in impijs, ita dicitur mundus in sanctis. Vnde cùm totus à semetipso & in odio, & in amore discordet, nos eum & odisse iubemur, & amare, cùm dicitur nobis: Nolite diligere mundum: & cùm dicitur: Diligite inimicos uestros: ut quorum execramur iniquitatem, optemus salutem. 1. Ioan. 2. Matth. 5.

De uitanda scientiæ gloria.

CCCLV.

Ad uitandam tentationem uanæ gloriæ, melior est discentis conditio, quàm docentis. Tutius enim auditur ueritas, quàm prædicatur. Quoniã cùm doctrina recipitur, humilitas custoditur. Cum autem disputatio placet, uix est ut disserentem non pulset quantulacunq; iactantia.

De laude qua se prædicat Deus.

B

CCCLVI.

Periculosum est homini sibi placere, cui cauendum est superbire. Deus autem quantuncunq; se laudet, non se extollit excelsus, nec uult se sua uideri maiestate maiorem. Sed cùm homini loquitur potentiam suam: non hoc agit, ut gloriosior ipse, sed ut ille melior fiat, & doctior. Nobis enim prodest autorem nostrum agnoscere: & ei, qui est super omnia, subiacere: ne de quo non possumus comprehendere quid est, possumus sentire quod non est.

De remittendis peccatis.

CCCLVII.

Christiana obseruantia ad perfectæ pietatis profectum per mutuam maxime peruenit indulgentiam peccatorum, dante nobis domino suæ bonitatis exemplum. Nam si ille, in quo nullum omnino fuit peccatum, interpellat pro peccatis nostris: quanto magis nos inuicem pro proprijs orare debemus? Amplectenda quippe est homini, qui non omni potest carere peccato, tam benigna conditio: ut dimittendo delicta aliena, diluat sua.

De æternitate sanctorum.

CCCLVIII.

Iustorum desideriorum societati tunc nihil deerit, quãdo Deus omnia

in illis omnibus erit. Ad quam beatitudinem hi perueniunt, qui huic se- C
1. Cor. 15. culo ante separationem animæ carne moriuntur: nec in eis inueniuntur cupiditatibus, quas sola superat dilectio Dei. Vt & id patiatur iniquitas, quod elegit: eo bono fruatur iustitia, quod amauit.

De confitendo homine Iesu Christo.

CCCLIX.

Qui sic confitetur Christum Deum, ut eundem hominem neget uerum: habentem scilicet unitam sibi nostræ carnis animæq; naturam: non est pro illo mortuus Christus: quia secundum hominē mortuus est Christus. Non reconciliatur per mediatorem Deo: & unus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, non iustificatur per ipsum: quia sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per obedientiam unius hominis iusti constituentur multi. Non resurget in resurrectione uitæ: quia per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur. Nec ullus se beati Petri defendat exemplo, qui se multis lachrymis & accusauit, & lauit: ut principem suum ecclesia non negationis, sed pœnitentiæ imitatione sequeretur.

1. Timo. 11. Roma. 5. 1. Cor. 15. Matth. 26.

De æternitate.

CCCLX. D

In quibusdam æternis potest aliqua esse distantia. Ipsa autem æternitas absq; diuersitate mensuræ est. Multæ quippe mansiones in una uita, uarias meritorum significant dignitates. Sed ut Deus omnia in omnibus erit, fiet etiam in dispari claritate per gaudium, ut quod habent singuli, commune sit omnibus. Quoniam per connexionem dilectionis à gloria capitis, nulla erit aliena pars corporis.

De fide.

CCCLXI.

Fides eorum, qui Deum uisuri sunt, quod non uidet, credit: nam si uidet, non est fides: credenti* pollicetur meritum, uidenti redditᷣ præmium.

*alś: colligitur

De petitione contraria.

CCCLXII.

Male usurus eo, quod uult accipere, Deo potius miserante non accipit. Proinde si hoc ab eo petitur, unde homo exauditus lædatur: magis metuendum est, ne quod possit Deus non dare propitius, det iratus.

De dilectione.

CCCLXIII.

Qui diligit me, inquit dominus, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Quid est, diligam? tanquam tunc dilecturus sit, & nunc nō diligat? Absit. Quomodo enim nos pater sine filio, aut

Ioan. 14.

A aut filius sine patre diligeret? Cùm inseparabiliter operentur, quomodo separabiliter diligunt? Sed ad hoc diligam eum, ad quod sequitur, & manifestabo ei meipsum. Diligam & manifestabo, id est, ad hoc diligam, ut manifestem. Nunc enim ad hoc dilexit, ut credamus, & * mandatum eius teneamus. Tunc ad hoc diliget, ut uideamus, & ipsam uisionem mercedē fidei capiamus. Quia & nos nunc diligimus credendo, quod uidebimus: tunc autem diligemus uidendo, quod credidimus. *als: mandatum fidei ten.

De palmitibus uitis.

CCCLXIIII.

Ita sunt in uite palmites, ut uiti nihil conferant, sed inde accipiant unde uiuant. Sic quippe uitis est in palmitibus, ut uitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc & manentem in se habere Christū, & manere in Christo, discipulis prodest utrunq;, non Christo. Nam præciso palmite potest de uiua radice alius pullulare: qui autem præcisus est, sine radice non potest uiuere.

De humanæ iustitiæ modo.

CCCLXV.

Diuinitus dictum est: Noli esse iustus multum: quoniam non est iustitia sapientis, sed superbia præsumentis. Qui ergo fit nimis iustus, ipso nimio fit iniustus. Quis est autem qui se facit iustum, nisi qui dicit se non habere peccatum? Eccl. 7.

B

De simplicitate.

CCCLXVI.

Nullius, etiam incorporeæ creaturæ, uerè simplex substantia est, cui non hoc est esse, quod nosse: potest enim esse, nec nosse: at illa diuina non potest, quia idipsum est, quod habet. Ac per hoc non sic habet scientiam, ut aliud sit illi scientia qua scit, aliud essentia qua est, sed utrunque unum: quamuis non utrunq; dicendum sit, quod uerissimè simplex & unum est. Habet enim pater uitam in semetipso: nec aliud est ipse quàm uita, quæ in illo est: & dedit filio habere uitam in semetipso: Hoc est, genuit filium, qui & ipse uita est. Sic itaq; debemus accipere, quod de spiritu sancto dictum est: Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunq; audierit loquetur: ut intelligamus, non eum esse à semetipso. Pater quippe solus de alio non est. Nam & filius de patre natus est: & spiritussanctus de patre procedit. Pater autem nec natus est de alio, nec procedit. Nec ideo sanè aliqua disparilitas in summa illa trinitate cogitationi occurrat humanæ: quia & filius ei, de quo natus est, & spiritussanctus ei, de quo procedit, æqualis est. Ioan. 16.

De intemporalitate deitatis.

CCCLXVII.

Quamuis natura incommutabilis non accipiat, fuit & erit, sed tantum

est:ipsa enim ueraciter est:quia aliter quam est,esse non potest:tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus uersatur nostra mortalitas & nostra mutabilitas, non mendaciter dicimus, & fuit, & est,& erit : fuit in præterito:est in præsentibus:erit in futuris. Fuit quippe, quia nunquam defuit: erit,quia nunquam deerit : est,quia semper est. Neque enim uelut qui iam non sit,cum præteritis occidit: aut cum præsentibus,tanquã non maneat, labitur : aut cum futuris, tanquam non fuerit, orietur. Proinde cùm secundum uolumina temporum locutio humana uariatur : qui per nulla deesse potuit, aut potest, aut poterit tempora, uera de illo dicuntur cuiuslibet temporis uerba. Semper itaq; audit spiritussanctus,quia semper scit : & scire, & audire, hoc illi est, quod semper esse. Semper uerò illi est esse,de patre procedere. Nemo autem potest dicere, quòd non sit uita spiritussanctus : cum uita pater, uita sit filius. Ac per hoc sicut pater cum habeat uitam in semetipso,dedit & filio habere uitam in semetipso: sic spiritui sancto dedit uitam,procedere de illo, sicut procedit & de ipso. C

Ioan. 5.

De dilectione qua diligimus Deum.

CCCLXVIII.

Prorsus donum Dei est, diligere Deum. Ipse ut diligeretur dedit, qui non dilectus dilexit: displicentes amati sumus,ut fieret in nobis unde placeremus. Diffudit enim charitatem in cordibus nostris spiritus patris & filij, quem cum patre amamus & filio. D

Roma. 5.

De pace Christi.

CCCLXIX.

Pax Christi finem temporis non habet, & ipsa est omnis piæ intentionis,actionisq; perfectio. Propter hanc sacramentis eius imbuimur : propter hanc mirabilibus eius operibus & sermonibus erudimur : propter hanc spiritussancti pignus accepimus : propter hanc in eum credimus,& speramus, & amore ipsius, quantum donat, accendimur : propter hanc denique omnem tribulationem fortiter toleramus, ut in ea feliciter sine tribulatione regnemus. Vera enim pax unitatem facit : quoniam qui adhæret Deo, unus spiritus est.

1. Cor. 6.

De temporibus.

CCCLXX.

Omne tempus ab illo est dispositum, qui tempori subditus non est. Quoniã quæ futura erant per singula tẽpora,in Dei sapientia habent *efficaces causas, in qua nulla sunt tempora. Non ergo credatur hora passionis domini fato urgente uenisse, sed deo potius ordinante. Non enim syderea necessitas Christo intulit crucem : nec sydera coëgerunt mori syderum conditorem : qui intemporalis cum patre,sic tempus,quo carne moreretur,quemadmodum & quo de matre nasceretur, elegit.

*efficientes

De uni

A *De unitate trinitatis.*

CCCLXXI.

In eo quod dicitur, Hæc eſt autem uita æterna, ut cognoſcant te ſolum uerum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum: Ordo uerborum eſt: ut te, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, cognoſcant ſolum Deum uerum. Conſequenter enim intelligitur & ſpiritusſanctus: quia ſpiritus eſt patris & filij, tanquam charitas ſubſtantialis & cōſubſtantialis amborum. Quoniam non duo dij, pater & filius: nec tres dij, pater & filius & ſpirituſ. ſanctus: ſed ipſa trinitas unus ſolus uerus Deus. Nec idem tamen pater, qui filius: nec idem filius, qui pater: nec idem ſpiritusſanctus, qui pater aut filius: quoniam tres ſunt pater & filius & ſpiritusſanctus: ſed ipſa trinitas unus eſt Deus. Ioan. 17.

Quid dedit pater filio.

CCCLXXII.

Quicquid Deus pater Deo filio dedit, gignendo dedit. Ita enim dedit filio pater, ſine quibus filius eſſe non poſsit, ſicut ei dedit ut eſſet. Nam quomodo uerbo uerba daret aliqua, in quo ineffabiliter dixit omnia?

De cuſtodia Dei, qua ſuos ſeruat.

CCCLXXIII.

Cuſtodiam circa nos Dei, non tam carnaliter debemus accipere, uelut
B uicisſim nos ſeruent pater & filius, amborum in nobis ſeruandi alternante cuſtodia: quaſi alius alio diſcedente ſuccedat. Simul enim cuſtodiunt pater & filius & ſpiritusſanctus, qui eſt unus uerus Deus. Sed ſcriptura nos non leuat, niſi deſcendat ad nos. Sicut uerbum caro factum deſcendit, ut releuaret: non cecidit, ut iaceret. Si deſcendentem cognouimus, cum leuante ſurgamus: & intelligamus, cùm ita loquitur, perſonas eam diſtinguere, non ſeparare naturas.

De gratia Dei, qua omne hominis meritum præuenitur.

CCCLXXIIII.

Si naturam cogitemus, in qua creati ſumus, cùm omnes ueritas creauerit, quis non eſt ex ueritate? Sed non omnes ſunt, quibus ut audiant ueritatem, & credant, ex ipſa ueritate præſtatur, nullis proculdubio præcedētibus meritis, ne gratia nō ſit gratia. Si enim dixiſſet, Omnis qui audit uocem meam, ex ueritate eſt: ideo dictus ex ueritate putaretur, quia obtemperat ueritati. Non autē hoc ait: ſed, Omnis, inquit, qui eſt ex ueritate, audit uocem meam. Ac per hoc non ideo eſt ex ueritate, quia eius audit uocem: ſed ideo audit, quia ex ueritate eſt: id eſt, quia hoc illi donū ex ueritate collatum eſt: quod quid eſt aliud, quàm donante Chriſto credit in Chriſtum?

De amore, quo Deum amare debemus.

CCCLXXV.

Quiſquis ſeipſum, non Deum amat, non ſe amat. Et quiſquis Deum,

non

non seipsum amat, ipse se amat. Qui enim non potest uiuere de se, moritur C
utique amando se. Cùm uerò ille diligitur, de quo uiuitur, non se diligendo magis diligit, qui propterea se non diligit, ut eum diligat, de quo uiuit.

De indiuiso patris & filij opere.

CCCLXXVI.

Quicquid illud est quod oportet patrē agere ad filium, non fit nisi per eundem filium: ad ipsum scilicet, quia filius hominis est, & factus est inter omnia: per ipsum autē, quia filius Dei est, & per illum fiunt à patre omnia.

De subiectione filij.

CCCLXXVII.

Non est mirum dicere Apostolum, etiam in futuro seculo patri filium subiectum futurum, ubi ait: Tunc & ipse subiectus erit ei, qui illi subiecit omnia. Quando quidem in filio forma humana mansura est, qua semper maior est pater. Quamuis non defuerint, qui illam tunc filij subiectionem ipsius humanæ formæ in diuinam substantiam commutationē intelligendam putarunt, tanquam hoc cuiqꝫ rei subijciatur, quod in eam uertitur, & mutatur. Sed intelligi potest, ideo magis dixisse Apostolum, etiam tunc patri filium subiectum futurum, ne quis in eo putaret spiritum & corpus humanum conuersione aliqua consumendum: ut sit Deus omnia, non tantum in illius forma hominis, sed in omnibus, quando capitis gloria D
uniuersum corpus implebit.

Nihil in quibuscunqꝫ creaturis à creatore inordinatum relinqui.

CCCLXXVIII.

Quantacūqꝫ bona, quamuis magna, quamuis minima, nisi ex Deo esse non possunt. Quid enim maius in creaturis, quàm uita intelligens: aut quid minus potest esse, quàm corpus? Quæ quantumlibet deficiant, & in id tendant, ut non sint; tamen aliquid formæ illius remanet, ut quoquo modo sint. Quicquid autem formæ cuiuspiam rei deficientis remanet, ex illa forma est quæ nescit deficere: motusqꝫ ipsos rerum deficientium uel proficientium excedere numerorum suorum leges non sinit. Quicquid igitur laudabile aduertitur in rerum natura, siue exigua, siue ampla, quod laude dignum iudicetur, ad excellentissimam, & ineffabilem laudem referendum est conditoris.

Quòd præscientia Dei neminem peccare compellat.

CCCLXXIX.

Neminem Deus ad peccandum cogit: præuidet tamen eos, qui propria uoluntate peccabunt. Cur ergo non uindicet iustus, quæ fieri non cogit præscius? Sicut enim nemo memoria sua cogit facta esse, quæ præterierunt: sic Deus præsciētia sua non cogit facienda, quæ futura sunt. Et sicut homo

A homo quædam, quæ fecit, meminit, nec tamen omnia quæ meminit facit: ita Deus omnia quorum ipse autor est, præscit, nec tamen omnium quæ præscit, ipse autor est. Quorum autem non est malus autor, iustus est ultor.

De cognoscendis creaturis, quæ non uidentur.

CCCLXXX.

Humana anima naturaliter diuinis, ex quibus pendet, connexa rationibus, cùm dicit, melius fieri hoc, quàm illud: si uerum dicit, & uidet quod dicit, in illis supernis rationibus uidet. Credat ergo Deum fecisse, quod recto intellectu ab eo faciendum fuisse cognoscit: etiam si hoc in rebus factis non uidet. Qui etiam si cœlum oculis uidere non posset, & tamen ratione uera tale aliquid faciendum fuisse colligeret, credere debuit factum fuisse, quamuis id oculis non uiderit. Non enim cogitatione cerneret factum fuisse, nisi his rationibus, in quibus facta sunt omnia. Quod autem ibi non est, tam nemo potest uera cogitatione uidere, quàm non est.

Quo remedio uulnera humana curentur.

CCCLXXXI.

Quid tam dignum misericordia, quàm miser? & quid tam indignum misericordia, quàm superbus miser? Ex quo factum est, ut illud Dei uerbum, per quod facta sunt omnia, & quo fruitur omnis angelica beatitu-
B do, usque ad miseriam nostram porrigeret clementiam suam: & uerbum caro fieret, & habitaret in nobis. Sic enim posset panem angelorum homo manducare nondum angelis adæquatus, si panis ipse angelorum hominibus dignaretur æquari. Nec sic descendit ad nos, ut illos desereret: sed simul integer illis, integer nobis: illos intrinsecus pascens, per id quod Deus est: nos forinsecus admonens, per id quod nos sumus: & idoneos facit per fidem, quos per speciem pascat æqualiter.

Nullum naturæ uitium ab autore esse.

CCCLXXXII.

Dubium non est, contra naturam esse omne uitium, etiam eius rei, cuius est uitium. Quapropter quoniam in quacunque re non uituperatur nisi uitium, ideo uitium est, quia contra naturam est. Nullius rei rectè uituperatur uitium, nisi cuius natura laudatur. Non enim in uitio displicet, nisi quod corrumpit, quod in natura placet.

De pœna peccati.

CCCLXXXIII.

Omni peccanti animæ duo sunt pœnalia, ignorantia, & difficultas. Ex ignorantia deprauat error: ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro ueris, ut erret inuitus, & resistente repugnatione carnalis uinculi, non posse ab illicitis operibus temperare; non est natura instituti

ſtituti hominis, ſed pœna damnati. C

De uarietate remediorum.

CCCLXXXIIII.

Vt ars medicinæ cum eadem maneat, neque ullo modo ipſa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus: quia mutabilis eſt noſtra ualetudo: ita diuina prouidentia, cùm ſit ipſa omnino incommutabilis, mutabili tamen creaturæ uariè ſubuenit: & pro diuerſitate morborum alijs alia iubet, aut uetat: ut à uitio, unde mors incipit, & ab ipſa morte ad naturam ſuam, & eſſentiam ea quæ deficiunt, id eſt, ad nihilum tendunt, reducat, & firmet.

De prima hominis præuaricatione.

CCCLXXXV.

Primum animæ rationalis uitium eſt, uoluntas ea faciendi, quæ uetat ſumma, & intima ueritas. Ita homo de paradiſo in hoc ſeculum depulſus eſt, id eſt, ab æternis ad temporalia, à copioſis ad egena, à firmitate ad infirma. Non ergo à bono ſubſtantiali ad malum ſubſtantiale, quia nulla ſubſtantia malum eſt: ſed à bono æterno, ad bonum temporale: à bono ſpiritali, ad bonum carnale: à bono intelligibili, ad bonum ſenſibile: à bono ſummo, ad bonum infimum. Eſt igitur quoddam bonum, quod ſi diligit anima rationalis, peccat, quia infra illam ordinatum eſt: quare ipſum peccatum malum eſt, non ea ſubſtantia, quæ peccando diligitur. D

De magiſtra omnium artium ueritate.

CCCLXXXVI.

Lex omnium artium cùm ſit omnino incommutabilis, mens uerò humana, cui talem legem uidere conceſſum eſt, ut mutabilitatem pati poſsit erroris, ſatis apparet ſuprà mentem noſtram eſſe legem, quæ ueritas dicitur. Nec iam illud ambigendum eſt, incommutabilem naturam, quæ ſupra animam rationalem ſit, Deum eſſe: & ibi eſſe primam uitam, & primam eſſentiam, ubi eſt prima ſapientia. Nam hæc eſt illa incommutabilis ueritas, quæ lex omnium artium rectè dicitur, & ars omnipotentis artificis. Itaque cum ſe anima ſentiat, nec corporum ſpeciem motumq́ iudicare ſecundum ſeipſam, ſimul oportet cognoſcat, præſtare ſuam naturam ei naturæ, de qua iudicat: præſtare autem ſibi eam naturam, ſecundum quam iudicat, & de qua nullo modo iudicare poteſt.

Quo incitetur cor ad diſcendum.

CCCLXXXVII.

Ad diſcendum neceſſario dupliciter ducimur, autoritate, atque ratione. Tempore autoritas, re autem ratio prior eſt. Aliud eſt enim quod in agendo anteponitur, aliud quod pluris in appetendo æſtimatur. Quia ergo principium ſapientiæ timor domini, & per humilitatem ad ſublimia

gradus

A gradus est, incedat humana ignorantia per fidem, ut mereatur fides uidere, quod credit.

De diuitijs.

CCCLXXXVIII.

Diuitijs flores, & maiorum nobilitate te iactas, & exultas de patria, & pulchritudine corporis, & honoribus, qui tibi ab hominibus deferuntur: respice teipsum, quia mortalis es: & quia terra es, & in terram ibis. Circunspice eos, qui ante te similibus splendoribus fulsere. Vbi sunt quos ambiebant ciuium potentatus? Vbi insuperabiles imperatores? Vbi qui conuentus disponebant, & festa? Vbi equorum splendidi * inuectores? Exercituum duces? Satrapæ? Tyranni? Non omnia puluis? non omnia fauillæ? non in paucis ossibus eorum uitæ memoria est? Respice sepulchra, & uide quis seruus, quis dominus, quis pauper, quis diues. Discerne si potes uinctum à rege, fortem à debili, pulchrum à deformi. Memor itaque naturæ, non extollaris aliquando. Memor autem eris, si teipsum respexeris. *al. nutritores

D. PROSPERI AQVITANICI, EPISCOPI REGIENSIS, EX SENTENTIIS S. AVGVSTINI,

B

EPIGRAMMATON LIBER.

DVM sacris mentem placet exercere loquelis,
Cœlestiq; animum pascere pane iuuat:
Quosdam, ceu prato, libuit decerpere flores,
Distinctisq; ipsos texere uersiculis:
Vt proprias canerent epigrammata singula causas,
Et pars quæq; suo congrueret titulo.
Nec nostrum hoc opus est, sed ab illo sumitur hic ros,
Qui siccam rupem fundere iussit aquas.
Vt quod in affectum cordis, pietate magistra,
Venerit, hoc promat carmine læta fides.

QVAE SIT VERA INNOCENTIA. C

Innocentia uera est, quæ nec sibi, nec alteri nocet. Quoniam qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Et nemo non prius in se, quàm in alterum peccat.

Perfectè bonus est, & uerè dicitur insons,
Nec sibi, nec cuiquam, quod noceat, faciens.
Nam quicunque alium molitur lædere, primùm
Ipsum se iaculo percutiet proprio.
Et, cùm fortè animum non sit secuta facultas,
Non dubium in cordis uiscere uulnus habet.
Nec fugit infecti sceleris mens praua reatum,
Cui nimis hoc solum, quod uoluit, nocuit.

DE HOMINIBVS DILIGENDIS.

Sic diligendi sunt homines, ut eorum non diligantur errores: quia aliud est amare, quòd facti sunt: aliud est odisse, quod faciunt.

Naturæ quisquis propriæ non spernis honorem,
In quocunque hominum, quæ tua noscis, ama.
Sic tamen, ut prauos uitet concordia mores,
Nullaq; sint pacis fœdera cum uitijs.
Nanque, quod artificis summi fecit manus, unum est, D
Quæq; autore bono condita sunt, bona sunt.
Diuinum in nullo figmentum despiciatur.
Sola malis studijs addita non placeant.

DE VERA AETERNITATE.

Vera æternitas, & uera immortalitas non est, nisi in deitate Trinitatis: cui, quod est esse, perfectum est: quia natura initio carens, incremento non indigens, sicut nullum finem, ita nullam recipit mutabilitatem. Creaturæ etiam illæ, quibus Deus æternitatem dedit, uel daturus est, non penitus omnis finis alienæ sunt: quia non sunt extra commutationem, dum illis finis est, & temporalis institutio, & localis motio, & ipsa in augmentum sui facta mutatio.

Aeternus uerè est solus Deus omnicreator,
Vita in se uiuens permanet esse, quod est.
Hoc pater, hoc uerbum patris, hoc est spiritus almus,
Quorum natura est una, eademq; trium.
Non cœptum, aut auctum, non huic mutabile quicquam est,
Quod subeat leges temporis, aut numeri.
Virtus præteritis prior, ulteriorq; futuris,
Nil recipit uarium, nil habet occiduum.
Nam quas, ut uoluit, rerum sapientia fecit,

A *Multis uita quidem est præstita perpetua.*
Sed quodcunque potest sese amplius, aut minus esse,
Quodam fine ipso, quod fuerat, moritur.
Sic nihil æternum, quod commutabile factum est,
Quod cunctis superest, semper idem Deus est.

DE PATIENTIA DEI.

Patientia Dei uera est, qua parcit contemptus, parcitq; negatus: & magis uult uitam peccatoris, quàm mortem; Eruditio est pœnitudinis, & oblatio correctionis. Nec ulla ipsius opera misericordia uacant, quando homini & indulgentia consulit, & flagello.

Multa diu summi differt patientia regis,
Suspendens æqui pondera iudicij.
Et, dum plectendis parcit clementia factis,
Dat spatium, quo se crimine purget homo.
Denique committunt homines mala crimina semper,
Dat spatium, ut pereant crimina, non homines:
Verbere nonnunquam castigans corda paterno,
Ne cito consumant sæua flagella reos.
B *Sic pietate Dei terrarum non uacat orbis,*
Et nihil est, quod nos non trahat ad ueniam:
Cum rex saluandis ipsa quoque consulit ira:
Vt curet medicus uulnera uulneribus.

DE VLTIONE DEI.

Diuina bonitas ideo maximè irascitur in hoc seculo, ne irascatur in futuro: & misericorditer adhibet temporalem seueritatẽ, ne æternam iustè inferat ultionem.

Cùm Deus exerta peccantes uerberat ira,
Vt norint homines, quid mereantur, agit.
Nam, dum mortalis peraguntur tempora carnis,
Auxilium miseris ipsa flagella ferunt.
Et uindicta breuis sic noxia crimina finit,
Ne sine fine habeat debita pœna reos.

DE VERA DEI LAVDATIONE.

Vera confessio est benedicentis: cùm idem sonus est & oris, & cordis: bene autem loqui, & male uiuere, nihil est aliud, quàm sua se uoce damnare.

Laus uera in dominum depromitur ore precantis.
Si quæ uoce fluunt, intima cordis habent.

Non prodest cuiquam solis bona dicere uerbis,
Ni pia mens habeat, quod benè lingua sonat.
Nam fari rectè, miserum est, & uiuere prauè.
Damnat nota malum regula iustitiæ. C

DE VIRTVTE CHARITATIS.

Charitas Dei, & proximi, propria, & specialis uirtus est piorum, atque sanctorum: cùm cæteræ uirtutes & bonis & malis possint esse communes.

Plurima sanctorum bona sunt communia multis,
Et quiddam recti constat inesse malis.
Sed pia pars summæ tendens uirtutis ad arcem,
Omne operum meritum uincit amore Dei:
Quo pariter quemcunque hominum sic diligit, ut se,
Hoc optans alijs, quod cupit ipse sibi.
Vnde istis geminis uirtutum qui caret alis,
Cœlorum ad regnum, non habet, unde uolet.

DE DOCTRINA APOSTOLICA.

Doctrina apostolica tam salubris tamq; uitalis est, ut pro capacitate utentium neminem sui relinquat exortem. Quia siue sint paruuli, siue magni, siue infirmi, siue fortes, habent in ea & unde alantur, & unde satientur. D

Exueret Deus ut tetra caligine mundum,
Doctrinæ accendit lumen apostolicæ:
Quæ nullis animis, nullis non congruit annis,
Lacte rigans paruulos, pane cibans ualidos.
Non tempus, non sexus huic, non causa resistit.
Omnes curat, alit, iustificat, uegetat.
Sumite quæ magnæ apposuit sapientia mensæ,
Et uarijs pasci discite delitijs.
Quarum pars, totum est epulum, quo quisque iuuatur.
Inde capit uitam, quam parit una fides.

DE QVAERENDO DEVM.

Deum quærens, gaudium quærit: sic ergo quærat, ut non in se, sed in domino gaudeat. Accedendo enim ad Deum, illuminatur ignorantia, & corroboratur infirmitas, data sibi & intelligentia, qua uideat, & charitate, qua seruiat.

Scire Deum cupiens, gaudere, & uiuere quærit,
Si uerum & summum norit amare Deum,
Cui tribuat, quicquid rectè sapit, optat, agitq;,

Et sine

A *Et sine quo carnis gloria puluis erit.*
Non ergo in quoquam sua munera deserit autor,
Perq; suum dominus se manifestat opus.
Inq; illis habitat diues penetralibus hospes,
Quæ gaudent hoc se, cuncta quod ipse dedit.

DE FASTIDIO SPIRITALI.

Sicut corpori noxium est, corpoream escam non posse percipere: ita animæ periculosum est, spiritales delitias fastidire.

Vt perdunt propriam mortalia corpora uitam,
Si nequeunt escas sumere corporeas:
Sic animæ, nisi delitijs rationis alantur,
Dum uerbi æterni pane carent, pereunt.
Nam quid erit, quod dira procul fastidia pellat,
Cùm se ipso refugit mens saturare Deo?

DE MALORVM ET BONORVM FINIBVS.

Nonnunquam multi sunt, qui ad non esse tendunt. Quid enim tam obnoxium paucitati, quàm quod est debitum perditioni?

B *Esse Deo uerum, & proprium est, cui quisquis adhæret,*
Aeterni in regni lumine semper erit.
Nam, qui iustitiam spernunt, non esse laborant,
Inq; nihil tendunt, & nihil esse queunt.
Non ergo illorum poterit pars multa uideri,
Quorum in sanctorum nullus erit numero.
Sed uerè magni, & multi sine fine manebunt,
In Christo, quorum gloria perpes erit.

DE TRANQVILLITATE VLTIONIS.

Non concupiscit Deus pœnam reorum, tanquam saturari desiderans ultione. Sed quod iustum est, cum tranquillitate decernit, & recta uoluntate disponit: ut etiam mali non sint inordinati.

Nulla Deum oblectat miserorum pœna reorum,
Nec scelerum uindex ira mouet placidum.
Omnipotentis enim recta, & tranquilla uoluntas,
Quicquid decerni conuenit, hoc statuit:
Vt nullis pateat regis censura querelis,
Cum iustè accipiet debitus ordo reos.

A & retribuuntur bona: atq; ita manifestatur, quia uniuersæ uiæ domini misericordia, & ueritas. Illam autem impiorum retributionem, qua pro bonis mala restituunt, Deus nescit: qui nisi retribueret bona pro malis, non essent, quibus retribueret bona pro bonis. Psal. 24.

Iustitiæ merces gemina est, uel cùm bona rectis,
Vel prauis dignè cùm mala restituit.
Saluatrix autem cunctorum gratia Christi
Non pensans meritum, diluit omne malum:
Credentesq; omnes renouans baptismate sacro,
Dat bona, quæ propter det meliora bonis.

DE SVPERNAE PATRIAE CIVIBVS.

Omnis, qui ad supernam pertinet ciuitatem, peregrinus est mundi: & dum temporali utitur uita, in patria uiuit aliena: ubi inter multa fallacia, & multa illecebrosa Deum nosse, & amare paucorum est, quibus præceptum domini fit lucidum illuminans oculos, ut nec in Dei, nec in proximi charitate fallantur. Psal. 108.

Cœlestem ad patriam in Christo redimente uocatus,
Vitam labentis temporis hospes agit:
Dumq; ad promissam requiem non per sua tendit,
Mundanæ patitur multa pericla uiæ:
B *Quæ nunc obsessa aduersis, nunc plena secundis,*
Aut frangit trepidos, obligat aut dubios:
Inter quos laqueos currentem ad gaudia uitæ
Non capiet mundus, cui uia Christus erit.

DE CARNIS CVPIDITATE VINCENDA.

Nemo est, cuius animum corruptibile corpus, & inhabitatio terrena non aggrauet. Sed annitendum est, ut cupiditates carnis, spiritus uigore superentur: & interior homo, qui sibi semper sentit resisti, semper se diuino expectet auxilio adiuuari.

Nulla anima est, quæ non mortali carne grauetur,
Nec quæ corporea conditione gemat.
Sed confirmare inualidam, & frenare rebellem,
Legitimum, & proprium est mentis opus dominæ.
Quæ uis naturæ, ut moderamine temperet æquo,
Et subdat sceptris noxia quæq; suis,
Auxilium à domino, & uires petat, ut ualeat se
Vincere, nec sensus incitet ipsa suos.
Nam nullus famulæ poterit compescere motus,
Ni fuerit Christi semper amore potens.

DE ANGVSTA VITAE VIA. C

Angusta est uia, quæ ducit ad uitam. Et tamen per ipsam, nisi dilatato corde non curritur: quia iter uirtutum, quo gradiuntur pauperes Christi, amplum est fidelium spei, etiam si arctum sit infidelium uanitati.

Arcta uia est, ueræ quæ ducit ad atria uitæ,
Nec recipit carnis gaudia mentis iter.
Amplis incedit spatijs terrena uoluptas,
Angusto uirtus limite celsa petit.
Et tamen hi calles, quos mundi uana pauescunt,
Quædam magnificis æquora sunt animis.
Difficilisq; nimis per dura, per ardua gressus
Commendat fidei, quod tolerare iuuat.

DE PRAEMIO RELIGIONIS CHRISTIANAE.

Hoc affectu, & desyderio colendus est Deus, ut sui cultus ipse sit merces. Nam, qui Deum ideo colit, ut aliud magis, quàm ipsum, promereatur, non Deum colit, sed id quod assequi concupiscit.

Hac desyderij Deus est pietate colendus,
Iustitiæ ut merces totà sit ipse Deus.
Nam sperans alio se munere posse beari,
Non, quod poscit, amat: sed quod habere cupit. D

DE OCCVLTIS NON IVDICANDIS.

De occultis cordis alieni temere iudicare peccatum est: & eum, cuius opera non uidentur, nisi bona, reprehendere ex suspitione, iniquum est, cum eorum, quæ homini sunt incognita, solus Deus iudex sit iustus, qui & inspector est uerus.

Culpare in quoquam, quæ non sunt nota, malignum est,
Præsertim, quæ sunt cognita, si bona sunt.
Non pateant faciles sæuis rumoribus aures,
Quæ nescire iuuat, credere non libeat.
Linquantur secreta Deo: qui, si quid opertum est,
Inspicit, & nullis indiget indicijs.

DE ADIVTORIO DEI.

Diuini est muneris, cùm & recta cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & iniustitia continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur.

Non dubiè nostri Deus est & rector, & autor,
Cùm toto affectu, quæ bona sunt, gerimus.
Ex operum specie clarebunt intima cordis:

Qui'ue

A *Quiúe hominis mentem ſpiritus intus alit.*
Sanctus enim ſanctos facit: & de lumine lumen
Exoritur: nullus fit bonus abſque Deo.

DE PASSIONIBVS SANCTORVM.

Iuſto iudicio Dei datur plerunque peccatoribus optata poteſtas, qua ſanctos ipſius perſequantur, ut, qui ſpiritu Dei iuuantur, & aguntur, fiant per laborum exercitia clariores.

Quod plerunque mali in ſanctos ſæuire ſinuntur,
Quodq; bonis praui ſæpe nocere queunt,
Abſque Dei nutu non fit, qui corda ſuorum
His etiam bellis glorificanda probat.
Creſcunt uirtutum palmæ, creſcuntq; coronæ,
Mutantur mundi prælia pace Dei.

DE SCIENTIA BONI.

Non eſt uera ſcientia boni, niſi ad hoc comprehendatur, ut agatur. Non enim utiliter meditatur legem Dei, qui laborat, ut memoria teneat, quod actione non implet.

Scit legem, docteq; tenet iuſſa omnipotentis,
B *Qui, quod nouit, agens, diligit id, quod agit.*
Non ſatis eſt domini præceptum uoluere lingua,
Is meminit legis, qui memor eſt operis.

DE AMORE LEGIS.

Qui legem Dei diligit, probat ſe in omnibus iniquis id, quod contra legem eſt, odiſſe, non homines.

Legem ſpernentes odit cùm legis amator,
Non homines odit, ſed reprobat, quod agunt.

DE SCRVTANDIS MANDATIS DEI.

Mandata Dei ſcrutari, niſi quieta mens non poteſt. Vt ergo religioſum exerceatur ſtudium, abigenda ſunt iurgia malignorum.

Scrutari legem poſſunt utcunque quieti,
Si mundi à ſtrepitu libera corda uacent.
Vt mens ergo pijs ſtudijs intenta iuuetur,
Prælia diuinus carnea uincat amor.
Nam templum domini per ſacra ſilentia creſcit,
Et tacite ſtruitur non ruitura domus.

DE PROFICIENDO.

C

Nemo tam eruditus, nemo tam doctus est, qui superna illustratione non egeat. Non enim ita ulla diuinorum bonorum augmenta sufficiunt, ut non semper superfit, quod mens rationalis & intelligendum desyderet, & gerendum.

Doctrinæ domini penetralia tempore in isto
Ad plenum nulli peruia sunt homini.
Semper enim sanctis superest, quo crescere poßint,
Et perfectorum gloria principium est.
Virtutem uirtus pariat, de lumine lumen
Prodeat, atque omnis palma gradum faciat.
Nam cur non cupide mens quærat, quæ Deus offert?
Cui, danda ut rectè posceret, ipse dedit?

DE DVPLICI OPERE DEI.

Si omnes homines simul consyderemus, quorum alij misericordia salui fiunt, alij ueritate damnantur: uniuersæ uiæ domini, id est, misericordia & ueritas, suo fine distinctæ sunt. Si autem solos sanctos intueamur, non discernuntur hæ uiæ domini. Indiuidua enim ibi est & à misericordia ueritas, & à ueritate misericordia: quia beatitudo sanctorum & de munere gratiæ est, & de retributione iustitiæ.

Omnibus in rebus geminum est opus omnipotentis,
Totum iustitia est, quod gerit, aut pietas. D
Quæ simul in terris descendunt lucis ab arce,
Ne cuiquam parti desit utrunque bonum.
Et quoniam cuncti auxilio miserantis egemus,
Præcedit semper gratia iustitiam.
Damnantem elatos, saluantem iustificatos,
Quos Deus & donis auxerit, & meritis.

DE OBSERVANTIA PACIS.

Christianæ perfectionis est, pacificum esse, etiam cum pacis inimicis, spe correctionis, non consensu malignitatis: ut si nec exemplum, nec cohortationem dilectionis sequantur, causas tamen non habeant, quibus odisse nos debeant.

Moribus in sanctis pulchra est concordia pacis,
Cùm multis unum conuenit, atque placet.
* tamen hæc cohibenda modo *Sed * tantum hoc toleranda modo sunt fœdera amoris,*
Vt solis pax hæc sit tribuenda bonis.
Iniustis etiam præstetur iusta uoluntas,
Nec quenquam spernant uota benigna hominem.
Non, ut amicitiæ uitijs socientur iniquis,
Adsit: sed prauis ut medicina animis.

Quæ

A *Quæ si pace sua non sedat turbida corda,*
Nobis non poßit nostra perire quies.

DE CVSTODIA DEI.

Custodit nos dominus ab omni malo,non ut nihil patiamur aduersi,sed ut ipsis aduersitatibus anima non lædatur. Cùm enim tentatio adest, fit quidã in id,quod nos impugnat,introitus:& cum bono fine,id est,sine uulnere animæ, tentatio consumatur, ad æternam requiem de profundo temporalis laboris exitur.

Sæpe quidem dominus sic cuncta aduersa repellit,
Vt nullo attingi uulnere poßit homo.
Sed mirabilior tunc est manus omnipotentis,
Illata afflictum cùm mala non superant.
Laudetur custos, uirtutem dans toleranti,
Intima corrumpat ne furor exterior.
Nam non certanti nulla est speranda corona.
Palmam, qua capitur gloria, finis habet.

DE ADIVTORIO DEI.

Ad cœlestis Hierusalem consortium non ascendunt, nisi qui toto corde profitentur, non proprij operis, sed diuini esse muneris,quòd ascendunt.

B

Cœlestem ad patriam tendens cognosce uocantem,
Cuius proueheris, si bene curris, ope.
Nam si te uirtute tua ad cœlestia credis
Scandere, de superis pulsus ad ima cades.

DE ODIIS MVNDI IN CHRISTIANOS.

Omnes,qui in Christo uolunt piè uiuere,necesse est,ut ab impijs,& dissimilibus patiantur opprobria: & despiciantur tanquam stulti,& insani,qui præsentia bona perdant, & inuisibilia sibi, ac futura promittant. Sed hæc despectio, & hæc irrisio in ipsos retorquebitur, cùm & abundantia eorum in ægestatem, & superbia transierit in confusionem.

Impia pars mundi parti est infesta piorum,
Nec tolerare potest dißimiles animos:
Ridens nolentes opibus præsentibus uti,
Sperantesq; sibi credita posse dari.
Sed spernenda hæc sunt populis opprobria sanctis,
Quæ stultè iaciunt corda aliena Deo.
Nam spes nostra ex hoc uisu fit certior omni,
Quod spondens, quicquid credimus, hoc Deus est.

DE PATIENTIA FIDELIVM. C

Tota fidelium salus, tota patientiæ fortitudo ad eum, qui in sanctis suis est mirabilis, referenda est: quia nisi in illis Deus esset, furori impiorum fragilitas humana succumberet.

Cum constans anima aduersis non frangitur ullis,
Et fidei uirtus intemerata manet,
Norit inesse sibi dominum patientia fortis,
Inque eius donum, quo'd steterit, referat.
Nam quo'd non cecidit, proprijs si uiribus aptat,
Hoc ipso, quo se stare putat, cecidit.

DE OBSEQVIIS DEBITIS.

Ita & à plebibus principes, & à seruis domini sunt ferendi, ut sub exercitatione tolerantiæ sustineantur temporalia, sperentur æterna. Auget enim meritum uirtutis, quòd propositum non uiolat religionis.

Reddendum est, quicquid mundi bene postulat ordo,
Propositumque piæ non uiolat fidei.
Mitibus, & sanctis nulla est spernenda potestas:
Aequum seruire est regibus, & dominis:
Vt Christi famulis ad uerum prosit honorem, D
Dilexisse bonos, & tolerasse malos.

DE TOLERANDA VARIETATE MVNDANA.

Recti corde de præceptis Dei, & constitutionibus non queruntur: quia iustum est æquanimiter omnia accipi, quæ iudicaturus uoluit tolerari.

Dum mutabilium decurrunt tempora rerum,
Dumque suis mundus motibus atteritur,
Rectorum est aduersa pati, & tolerare modeste,
Nec querula in quoquam uoce mouere Deum.
Cuius iudicio nulli parcetur iniquo,
Et perpes iustos gloria suscipiet.

DE AEDIFICATIONE DOMVS DEI.

Omnis sancti ædificij status, sicut Deo cooperante proficit, ita Deo custodiente consistit. Quoniam tunc utilis propositorum custodia est, cùm spiritus Dei populo suo præsidet: & non solum greges, sed etiam ipsos dignatur custodire pastores.

Dum lapides uiui pacis compage ligantur,
Inque pares numeros conuenit una domus:
Claret opus domini, qui totam construit aulam,

Effectumque

A *Effectusq; pijs dat studijs hominum,*
Quorum perpetui decoris structura manebit,
Si perfecte autor protegat,atque regat.

DE AETERNIS.GAVDIIS.

Aeternæ ciuitatis,æterna sunt gaudia,& stantium dierum perpes infinitas: nec uariabitur,nec labetur;quia incommutabili pace potientur,quorum omnium erit bonum,quod fuerit etiam singulorum.

Semper erunt,quod sunt,æternæ gaudia uitæ,
Gaudendi quoniam causa erit ipse Deus.
Nec uarios pariet motus diuersa uoluntas.
Vnum erit in cunctis lumen,& unus amor,
Inq; bonis summis posita experientia felix,
Nec uolet augeri,nec metuet minui.

DE LEGE CHARITATIS.

Lex Christi perfectio charitatis est,qua Deus,proximusq; diligitur: & per quā dicitur conditori legis,Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.Bene enim expectat promissionem Dei, qui mandatū eius exequitur:nec frustra sperat parcendum peccatis suis,qui ignoscit alienis.

Verus amor Christi uera est custodia legis,
B *Et mandata Dei complet amans homines:*
Quorum ignoscentes culpis sua crimina soluunt,
Quodq; alijs tribuunt,hoc sibi prospiciunt.
Det peccatori ueniam peccator,& æqua
Conciliet dominum conditione sibi,
Cuius iudicium de nostro examine pendet,
Quod serimus,metimus,quod damus,accipimus.

DE IVSSIONIBVS DEI.

Nihil Deus iubet,quod sibi prosit,sed illi cui iubet.Ideo uerus est dominus, qui seruo non indiget,& quo seruus indiget.

Non ideo quicquam mandat Deus,ut sibi prosit,
Nec serui officio uerus eget dominus.
Cuius præceptis augetur,qui famulatur,
Fitq; minor,quisquis negligit imperium.
Nam Deus omnipotens,simul omnitenensq; potestas
Nil perdit proprium,nil capit occiduum.
Nunquam non habuit,quod habet,dans quicquid haberi
Proderit,& sumens non nisi,quod dederit.

DE TEMPORALI SCIENTIA. C

Id quod in tempore nouum est, non est nouum apud Deum, qui condidit tempora, & sine tempore habet omnia, quę suis quibusq; temporibus pro eorum uaria ætate distribuit.

Insolitum si quid labentia tempora promunt,
Hoc mirum mundus dicit, habetq; nouum.
Sed rerum autori nullus non cognitus ordo est,
Cernenti quicquid secula cuncta ferunt.
Quæ non incerto uoluunt magna agmina motu,
Sed sub iudicio stantq; fluuntq; Dei.
Vt nihil existat naturæ in partibus ullis,
Quod non ille suo temperet arbitrio.

DE PROVIDENTIA DEI.

Mutabilium dispositionem immutabilis ratio Dei continet, ubi sine tempore simul sunt, quæ in temporibus non simul fiunt: quia tempora non simul currunt.

Lex æterna Dei stabili regit omnia nutu,
Nec mutat uario tempore consilium.
Vt locis præsens simul est Deus omnibus unus, D
Sic rerum metas secum habet, & numeros.
Nec serum, aut properum sibi sentit in ordine rerum,
Cui cuncta assistunt acta, & agenda simul.

DE IMPVNITATE PECCANTIVM.

Nihil est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala uoluntas, uelut hostis interior, roboratur.

Qui se peccatis gaudet feliciter uti,
Infelix nimis est prosperitate sua.
Dumq; capit miseros effectus praua uoluntas,
A uera semper luce fit exterior,
Sumens pestifera de consuetudine robur,
Et sua complectens uincula mortis amor.
Deficiant potius uana oblectamina mundi,
Subdanturq; pio colla domanda iugo.
Inq; putres fibras descendat cura medentis,
Vt blandum morbum pellat amica salus.

DE LEGIS LITERA.

Legis litera, quæ dicit non esse peccandum, si spiritus uiuificans desit, occidit: scire enim

A re enim peccatum facit potius, quàm caueri. Et ideo magis augeri, quàm minui: quia malæ concupiscentiæ etiam præuaricatio legis accedit.

Index peccati lex est, plectenda uetando,
Quæ, nisi cor mundet spiritus, interimit.
Nullus enim est insons sola formidine pœnæ,
Qui sanctum & iustum non amat imperium.
Hunc tamen effectum non lex, sed gratia confert,
Quodq; iubet legis littera, uelle facit.

DE LEGE ET GRATIA.

Lex data est, ut gratia quæreretur: & gratia data est, ut lex impleretur. Neque enim suo uitio non implebatur, sed uitio prudentiæ carnis: quod uitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit.

Non seruit iussis legis prudentia carnis,
Peccati stimulos nec superare potest.
Sed quia mens anceps patitur mala corporis ægri,
Quærere diuinum cogimur auxilium.
Lex igitur facit, ut poscatur gratia Christi,
Ardua qua legis iussa queant fieri.
B *Nec iam non ualeant carnales uincere sensus,*
Quos iustæ legis conditor ipse iuuat.

DE PROMISSIONE DEI.

Hoc promittit Deus, quod ipse facit. Nō enim ipse promittit, & alius facit: quod iam non est promittere, sed prædicere. Ideo non ex operibus, sed ex uocante: ne ipsorum sit, non Dei: & merces non imputetur secundum gratiam, sed secundum debitum: atque ita gratia iam non sit gratia.

Quod Deus omnipotens promittit, perficit ipse,
Nec proprium externis uiribus implet opus.
Hinc secura fides sperat, quod credit, amatq;
Autorem, qui quod spondet, id efficiet.
Nam, si quæ dominus promittit, non operatur,
Sed solum humanum præuidet arbitrium:
Non hæc dona eius, sed sunt prædicta uocanda,
Ceu quisquam ex proprio sit bonus absque Deo.
Quod quia non recipit pietas, ueroq; repugnat,
Gratia nos reparet, gratia iustificet:
Quæ sic in cunctis implet sua dona uocatis,
Vt quorum dux est, fiat & ipsa comes.

DE FIDELIVM CVLPIS, ET INFIDELIVM BONIS. C

Sicut non impediunt ab æterna uita iustum quædam peccata uenialia, sine quibus hęc uita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficilime uita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur.

Vt quædam tenues maculæ in splendore piorum,
Maior uirtutum quas uacuat numerus,
Aeternæ donis nequeunt obsistere uitæ,
Nec merita obscurat grandia culpa leuis:
Sic aliquid plerunque boni pars impia gestat,
Magni mole mali quod facile obruitur.
Nec prodest quiddam recti sapuisse malignis,
Si uerum, & summum non coluere Deum.
Vna fides igitur, spes una est, atque amor unus,
Quo fiat iustus, sitque beatus homo.
Nam bona, quæ prauis naturæ ex dote supersunt,
Augent peccati pondera, non minuunt.

DE MALAE VOLVNTATIS EFFECTV.

Cum uoluntas mala potestatem accipit efficiẽdi, quod cupit, ex iudicio Dei uenit, apud quem non est iniquitas. Punit enim etiam isto modo, nec ideo iniustè, quia occultè. Cæterum iniquus puniri se ignorat, nisi quod manifesto supplicio senserit, nolens, quantum mali sit, quod perpetrauit uolens. D

Cum datur iniusto peccandi optata potestas,
Vt mala mens, praué quod cupit, efficiat,
Ira Dei magna est, qua multos sic quoque punit,
Vt quibus exultant, criminibus pereant.
Crescit enim occulte cum longo pœna reatu,
Ausibus illicitis si nihil obstiterit.
Et magis, erranti ne parcant flagra, timendum est,
Quam ne non fiat, quod uoluisse nocet.

DE SVPERBIA.

Omnia uitia in malefactis tantummodo ualent, sola superbia etiam in rectè factis cauenda est.

Omne genus uitij proprio tantum ualet actu,
Et peccata suam quæque gerunt speciem,
Sola est innumeris armata superbia telis,
Cui possunt uires, & bene gesta dare.

DE IMPARI VSV FORTVNAE.

Interest plurimum, qualis sit usus, uel earum rerum, quæ prospere dicuntur, uel earum, quæ dicuntur aduersæ. Nam bonus temporalibus nec bonis extollitur, nec

A tur, nec malis frangitur. Malus autem ideo huiusmodi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur.

In rebus mundi non idem est omnibus usus,
Nec cuncti paribus cuncta ferunt animis.
Namque bonos non blanda inflant, non aspera frangunt:
Sed fidei inuictæ gaudia uera iuuant.
Terræ autem, & fœni breuiter florentis amator,
Seu caret optatis, seu fruitur, miser est.

DE MORTE SANCTORVM.

Mala mors putanda non est, quam bona uita præcesserit. Non enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem. Non itaque multum curandum necessariò morituris quid accidat ut moriantur, sed moriendo quò ire cogantur.

Cuncta bonis prosunt, quos & mors ipsa beatos
Efficit, ut sumant præmia principium.
Ille igitur finis malus est, quem pœna sequetur,
Et qui perpetui porta doloris erit.
Non quo assumuntur lacrymæ, cunctique labores,
Vt ueteris pereant omnia signa mali.

DE PVRITATE QVAM NON PERDIT INVITVS.

B Ita non amittitur corporis sanctitas manente animi sanctitate, etiam corpore oppresso: sicut amittitur sanctitas corporis uiolata animi puritate, etiam corpore intacto.

Mens illæsa nihil uiolato corpore perdit,
Inuitam carnis uulnera non maculant.
Nec crimen facti recipit non mixta uoluntas,
Velle magis facinus, quàm tolerare nocet.
Sic autem ad cordis penetralia cuncta recurrunt,
Vt plerunque animus sit sine carne reus:
Dum, quod ab intacto semotum est corpore, solus
Concipit, & tectis motibus intus agit.

DE FORTITVDINE TOLERANTIAE.

Maior animus merito dicendus est, qui uitam ærumnosam magis potest ferre, quàm fugere: & humanum iudicium, maximeque uulgare, quod plerunque caligine erroris inuoluitur, pro conscientiæ luce, ac puritate contemnere.

Qui ualet aduersis oneratam ducere uitam,
Et tolerare magis uult mala, quàm fugere,
Maioris multo est animi, quàm ferre pauescens
Indocti iniustum iudicium populi.
Mens etenim recta, & puri sibi conscia cordis

Hoc plus splendescit, quo magis atteritur. C

DE HVMILITATE IVSTORVM.

Iustis quicquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non pœna est criminis, sed uirtutis examen. Nam bonus etiã si seruiat, liber est. Malus autem etiã si regnet, seruus est: nec unius domini, sed quod est grauius, tot dominorũ, quot uitiorum.

Oppreßis quoties iustis dominantur iniqui,
Non est puniti supplicium meriti.
Sed uirtus fidei sub tali examine crescit,
Nec seruile grauat libera corda iugum.
Solus peccator male seruit, qui licet amplo
Vtatur regno, fat miser est famulus:
Cum mens carnalis, nimium dominante tyranno,
Tot seruit sceptris, dedita quot uitijs.

DE OBLATIONE VOTORVM.

Nemo quicquam domino recte uoueret, nisi ab ipso acceperit, quod uoueret.

Optima uota Deo, quorum est dator ipse, uouentur.
Hoc sursum dignum est ire, quod inde uenit.

DE ESSENTIA DEITATIS. D

Omnis substãtia, quę Deus nõ est, creatura est: & quæ creatura nõ est, Deus est. Nulla igitur differẽtia est in deitate trinitatis, quoniã qđ dominus est, Deus nõ est.

Natura omnipotens una est, quæ cuncta creauit,
Et propriè quod sunt, omnibus esse dedit.
Quodq; Deo minus est, non est Deus, à patre natum
Verbum, & qui amborum spiritus est, Deus est.
Vna eademq; trium quoniam est essentia, quæ se
Nunquam uel maior, uel minor esse potest.

QVALES NOS DILIGAT DEVS.

Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono: non quales sumus nostro merito.

Tales à domino, quales formamur, amamur:
Non quales nostris extitimus meritis.
Sanctificet, doceat, plantet, riget, excolat, ornet,
Et sibi perpetuò quod placeat, faciat.
Nam nihil est hominis, quod digne poßit amari,
Perficiat proprium ni bonus autor opus.

A

DE INTEMPORALI OPERE DEI.

Ordo temporum in æterna Dei sapientia sine tempore est, nec aliqua sunt apud illum noua, qui fecit, quæ futura sunt.

Artifice in summo sine tempore temporis ordo est,
Inq́ Deo rerum non uariat series.
Aeterno autori simul adsunt omnia semper,
Cum quo in factorum est ordine, quicquid erit.

DE PRINCIPALI RERVM OMNIVM CAVSA.

Voluntas Dei est prima, & summa causa omnium corporalium, spiritualiumq́ motionum. Nihil enim fit uisibiliter ac sensibiliter, quod non de inuisibili, atq; intelligibili summi imperatoris aula, aut iubeatur, aut permittatur secundum ineffabilem iustitiam præmiorum, atq; pœnarum, gratiarum, & retributionum in ista totius creaturæ amplißima quadam, immensaq́ republica.

Principium Deus est mundi, quo cuncta mouentur,
Et quæ permittit, uel iubet, autor agit.
Hinc mutabilium rerum immutabilis ordo,
Aeterni seruit legibus artificis.
Inq́ suos fines procedit quæq; uoluntas,
Nec uarijs meritis arbiter æquus abest,
B *Corda regens, uires tribuens, peccata remittens,*
Mitis subiectis, implacidus tumidis:
Vt nec pœna malum quenquam, nec gloria iustum,
Suscipiat, nisi cum laude, & bonore Dei.

DE FINIBVS BONORVM MALORVM'QVE.

Scire uolens, in qua rerum sis parte locandus,
Discute, quid timeas, quid'ue sit id, quod amas.
Nam cuncti hoc gemino nascuntur fomite motus,
Respondentq́ suis germina principijs.
Et quod quisque bonum sibi tempore duxit in isto,
Hoc summi regis iudicio capiet.
Angelicos ciues & Christi in membra renatos,
Non trahat ad ueterem carnis origo hominem.
Multa quidem in nostros mundus bona procreat usus,
Et pleno tellus seruit opima sinu.
Sed terræ hospitibus, cœli super astra uocatis,
Virtutis palma est spernere blanda soli:
Et sic præsentis spatium percurrere uitæ,

Ipsa peregrinis ne uia sit laqueus. C
Nam declinantes pro summis ferre laborem,
Terrenorum auidos infima suscipient.

DE INEFFABILI EXCELLENTIA DEITATIS.

Excedit supereminentia deitatis non solum usitati eloquij nostri, sed etiam intelligentiæ facultatẽ. Verius enim cogitatur Deus, quàm dicitur, & uerius est, quàm cogitatur. Non paruæ autem notitiæ pars est, si antè quàm scire possumus, quid sit Deus, possumus scire quid non sit.

Nulla quidem mens est mortali in corpore uiuens,
Quæ plena uideat cognitione Deum.
Sed miris operum signis ostenditur autor,
Rectoremq́ suum condita quæq́ canunt.
Vnde licet fandi uires, animiq́ uigorem
Vincat, & excedat gloria, lausq́ Dei:
Nos tamen officio cordis gaudemus, & oris,
Et tanto oblectat succubuisse bono.
Hinc fidei uirtus, hinc flamma oriatur amoris,
Quod latet, exercet, quod superat, reparet.

DE SVPERBIA DIABOLI, ET CHRISTI HVMILITATE. D

Diabolus superbus hominem superbientem seduxit ad mortem: Christus humilis hominem obedientem reduxit ad uitam. Quia sicut ille elatus cecidit, & deiecit consentientem: sic iste humiliatus surrexit, & erexit credentem.

Letifer immodico naturæ elatus honore
Angelus, inde hominem subruit, unde ruit.
Sed Christus miserans deceptum fraude maligni,
In se illi ad uitam posse redire dedit,
Si caueat pactis hostis seruire superbi,
Sectari & studeat formam humilis domini.
Qui patris in deitate manens Deus omnicreator,
Verus de sacra uirgine natus homo est.
Sic nostrum assumens matris de corpore corpus,
Esset ut assumptæ carnis origo Deus:
In quo per lauacrum fidei uirtute renata
Cœleste accipiet gens noua principium:
Nil hominis primi retinens, sed plena secundi
Splendore in capitis glorificanda sui.

A DE VERA BEATITVDINE.

Omnes beati habent quod uolunt, quamuis non omnes qui habent, quod uolunt, continuò sint beati. Continuò autem miseri, qui uel non habent quod uolunt, uel id habent quod non rectè uolunt. Propior ergo est beatitudini uoluntas recta, etiam non adepta quæ cupit, quàm praua, etiamsi quod concupiuit obtinuit.

Non semper uerè est felix impleta uoluntas,
Cùm sæpe iniustis sint mala uota animis.
Recta igitur cupiens, etiam si non sit adeptus,
Persistendo tamen uelle bonum, bonus est.
At prauus, quod fert animo, si non habet actu,
Tam miser est, quàm si, quod cupit, obtineat.

QVID SIT ESSE CVM DEO.

Magna hominis miseria est cum illo non esse, sine quo non potest esse. In quo enim est, sine dubio sine illo non est: & tamen si eius non meminit, eumq; non intelligit, neque diligit, cum illo non est.

Maiestate Dei concluditur omne quod usquam est,
Qua sine nil rerum stare, uel esse potest.
Huic homo si rectè famulatur, proximus hæret:
Si resilit, misero degit in exilio.
B *Omnia sic dominus discriminat ordine iusto,*
Quo sint summa bonis, ima parata malis.

DE INCARNATIONE VERBI DEI.

Diuinitas uerbi æqualis patri facta est particeps mortalitatis nostræ non de suo, sed de nostro: ut & nos efficeremur participes diuinitatis eius, non de nostro, sed de ipsius.

Omnipotens genitor, natusq;, & spiritus almus
Vna in personis par tribus est deitas:
Quæ genus humanum prostratum fraude maligni
Ad uitam hac fecit posse redire uia,
Naturæ ut nostræ Christus causæq; redemptor
Mortalis fieret, non minuens, quod erat:
Perq; habitum serui, uacuaret iura tyranni,
Et letum leto uinceret * *innocuo.* *immerito
Hinc uerbum carni insertum, carnemq; receptans,
Nec se confundit corpore, nec geminat.
Sic naturam hominis uirtute augente superna,
Esset ut in uero lumine lumen homo.
Qui uires mortis per uitæ absorbuit haustum.

Factum

Factum est æternum, quod fuit occiduum. C
Quisquis consilio æterno contraria sentis,
Et uerbum in nostra carne manere negas,
Diuinæ pietatis opus dissoluere quæris,
Speq́ sua mundum dispoliare cupis.
Nam quis uentura quenquam saluabit ab ira?
Quis'ue hominis primi crimine liber erit?
Si deitas uerbi non nostræ est insita carni,
Aut Christus falsi corporis umbra fuit,
Qui genitus puer est intactæ uirginis aluo?
Quæ natura annis creuit, & aucta cibis?
In qua prole patrem mundi se credidit Abram?
Quæ'ue eius stirps est omnia sanctificans?
Quod regale genus simul est, & pontificale?
Qui'ue idem Dauid filius, & dominus?
Peccati seruis, & mortis compede uinctis
Vnam est dignatus ferre redemptor opem.
Qui nostri generis carnem cum morte receptans
Nostra, hosti, ut nobis uinceret, opposuit. D
Et carne exuta dominantem perculit hostem,
Vt caperet palmam præda uetusta nouam.

QVO ODIO ODIENDI SVNT MALI.

Perfectum odium est, quod nec iustitia, nec scientia caret: id est, ut nec propter uitia homines oderis, nec uitia propter homines diligas. Rectè ergo in malis odimus malitiam, & diligimus creaturam, ut nec propter uitium natura damnetur, nec propter naturam uitium diligatur.

Recta uolens animus sapiens, & amator honesti,
Quosdam odio dignos iudicat esse suo.
Nec tamen hos toto depellit fœdere, gnarus
Naturam errantem diuidere à uitijs.
Sic generi indulgens proprio, ut peccata recidi
Optet, & ut damnet crimina, non homines.

DE LABORE FINGENTIVM MENDACIA.

Difficilia & laboriosa sunt figmenta mendacij. Qui autem uerum uult dicere, non laborat. Quietiores enim sunt boni, quàm mali; & absolutiora sunt uerba ueridicorum, quàm commenta fallacium.

A ¶ *Fallaces curis semper torquentur amaris,*
Et mala mens nunquam gaudia pacis habet:
Lubrica dum trepido mendacia plasmate fingit,
Consumens totum tempus in arte mali.
At simplex animus, commenti & liber iniqui,
Nil amat iniustum, nil gerit implacidum.
Sectator ueri potietur luce serena,
Est quoniam mendax, noxq́, dolorq́ sibi.
¶ *Ad patriam uitæ noctis de ualle uocati*
Virtutum gradibus scandite lucis iter.
Arduus, atque arctus fert ad cœlestia callis:
Deuexa ad mortem ducit, & ampla uia:
Qua fallax tumidi incedit sapientia mundi,
Commentisq́ suis ludificata ruit.
Et mala corporei sequitur dum gaudia sensus
Exulat à uero lumine cæca procul.
Nec falsarum habitu uirtutum ornata iuuatur,
Perdit mens ueri nescia, quicquid agit.
B *Nouerit ergo Deum sapiens, totisq́ medullis*
Diligat, inq́ ipso se quoque amator amet.
Sit bonus, & iustus, sit uerax atque benignus,
Sit forma, & speculum, lux & imago Dei.
In Christo factus nouus, & iam carne uetusta
Exutus, uilem mente relinquat humum.
Vt sacri templi quacunque in parte locetur,
Magnum erit, in capitis corpore quicquid erit.

DE DIVINIS SCRIPTVRIS.

Bonæ sunt in scripturis mysteriorum Dei profunditates, quæ ob hoc teguntur, ne uilescant: ob hoc quæruntur, ut exerceant: ob hoc aperiuntur, ut pascant.

Quamuis in sacris libris, quos nosse laboras,
Plurima sint lector clausa, & opaca tibi,
Inuigilare tamen studio ne desine sancto,
Exerceant animum dona morata tuum.
Gratior est fructus, quem spes productior edit,
Vltro obiectorum uilius est pretium.

Oblectant adoperta etiam mysteria mentem,
Qui dedit, ut quæras: addet, ut inuenias. C

DE ORATIONE DOMINI.

Orans cum sudore sanguineo dominus Iesus Christus, significabat de toto corpore suo, quod est ecclesia, manaturas martyrum passiones.

Ferre parans Christus pœnam, mortemque propinquam,
Inuictamque suis ingenerare fidem.
Cum prece sanguineas fundebat corpore guttas,
Et precium mundi sudor erat domini.
Nec crucis asperitas poterat terrere uolentem,
Quæ regnaturæ gloria carnis erat.
Sed cruor ille pares sanctis spondebat honores,
Orturis toto corpore martyribus.
Nam, cum sacra seges terrarum impleuerit orbem,
Omnis ab hoc uno semine messis erit.

DE SACRAMENTORVM PERCEPTIONE.

Sacramentum pietatis in iudicium sibi sumit indignus; bene enim esse non potest, male accipienti, quod bonum est. D

Magnum præsidium est sacro libamine pasci,
Si cor participis crimina nulla premunt.
Nam geminat sibimet peccati pondera quisquis,
Quæ bona sunt, sumit, quæ mala, non refugit.

DE LAVDANDO DEVM.

Qui laudat Deum in miraculis beneficiorum, laudet etiam in terroribus ultionum. Nam & blanditur, & minatur. Si non blandiretur, nulla esset exhortatio: si non minaretur, nulla esset correctio.

Qui laudat dominum de mundi conditione,
Et rerum in speciem prædicat artificem,
Laudet & æternam mortem, flammasque minantem,
Et iusti regis iudicium metuat.
Spes de promissis nihil ambigat, omne dabit rex,
Quod parat, & meritis gratia maior erit,
Si properent sontes peccati abrumpere nodos,
Ante diem mortis, dum locus est ueniæ.

DE AC

A DE ACCELERANDA CONVERSIONE.

Remedia conuersionis ad Deum nullis sunt cunctationibus differenda, ne tempus correctionis pereat tarditate. Qui enim pœnitenti indulgentiam promisit, dissimulanti diem crastinum non spopondit.

Conuerti ad mores rectos, & uiuere sanctè
In Christo meditans, quod cupit, acceleret.
Cedant uirtuti uanarum obstacula rerum,
Ne perdat uoti tempora lenta fides.
Quid iuuat in longum causas producere morbi?
Cur dubium expectat cras hodierna salus?
Scimus correctis ueniam non esse negandam,
Sed nulli nostrum est ultima nota dies.

DE TIMORE.

Omnia, quæ timentur, rationabiliter declinantur. Deus sic timendus est, ut ab ipso ad ipsum confugiatur.

Vtile prudenti est mundana aduersa cauere,
Et quod uitandum est prospiciat fugere.
Sed cùm peccati merito, manus omnipotentis
Omnia concludens arctat ubique reum,
B *Vnum profugium tutum est Deus ipse timenti,*
A quo discedens, ne pereat, redeat.
Conuerti namque ad dominum certißima uita est,
Et pacem offensi quærere sola salus.
Qui terret, parcit: qui percutit, ipse medetur.
Viuere uis? illi subdere, quem metuis.

DE VIRGINITATE.

Virginitas carnis, corpus intactum: uirginitas animæ, fides incorrupta.

Carnis uirginitas intacto corpore habetur:
Virginitas animæ est intemerata fides:
Qua sine corporei nil prodest cura pudoris:
Sed mentis pietas auget utrunque bonum.

DE MODO HABENDI.

Multa nos in facultatibus nostris habere superflua probamur, si necessaria sola retineamus. Nam uana quærentibus nihil sufficit: & alienorum quodammodo retentor est, qui profutura pauperibus inutiliter habet.

Magnum peccatum est amor immoderatus habendi,

Et plus, quàm uitæ sufficiat, cupiens. C
Nam quod nos uestit, quod pascit, cura salutis,
Si uanis sit mens libera, non onerat.
Si qua igitur superant, quorum non indiget usus,
Debilibus prosint, atque iuuent inopes.
Quisquis enim cupidè non expedienda recondit,
Quæ nulli tribuit, pauperibus rapuit.

DE DIVITIIS.

In magna egestate sunt q de iniquitate sunt diuites, iustitiæ opes, & sapiētię thesauros nō habent. Qui aūt domino seruiūt, ea bona acquirūt, q̄ perire nō possunt.

Terrenis opibus cum diues gaudet iniquus,
Veris se miserum nescit egere bonis.
Nam quid erit, quod non momento temporis uno
Perdere mundana conditione queat?
Cui licet, aduersis cessantibus, omnia parcant,
Lege tamen mortis sit faciendus inops.
At bona iustorum nullis obnoxia damnis,
Hostes, furta, ignes, & mare non metuunt. D
Indemnis proprium seruat sapientia censum,
Nec perdunt meritum paxq; fidesq; suum.
Omnis uirtutum semper substantia salua est,
Inuitis Christi munera nemo rapit.

DE VERA BONITATE.

Non sufficit abstinere à malo, nisi fiat, quod bonum est: Et parum est nemini nocere, nisi studeas multis prodesse.

Dignus laude quidem est, uitam sine crimine ducens,
Et quæcunque sibi sunt nocitura, cauens.
Sed non hoc pietas contenta est limite claudi,
Nec iustis, uetitis abstinuisse, sat est.
Maior cura boni est, fratrum releuare labores,
Et ferre optatum tristibus auxilium.
Pascere ieiunos, nudos uestire, ligatos
Soluere, discordes conciliare sibi.
Et quæcunque homines miseri solatia quærunt,
Hoc ut poßibile est, promere corde pio:

A *Vt recti uerè cupidus, uereq; benignus,*
Quæ mala sunt, fugiat: quæ bona sunt, faciat.

DE MALI IMPVNITATE.

Peccator cum peccat, non ideo à domino nō uidetur, quia malæ agentis pœna differtur: grauius autem in eum decernitur, cui etiam ipsa correctio denegatur.

Gaudet transgressor, peccato impune potitus,
Si non infertur debita pœna reo,
Ceu nulla offendant hominum commissa Tonantem,
Aut aliqua excelsi notitiam lateant.
Sed uetitorum auidis grauior tunc ira timenda est,
Cum sese remouent uerbera iustitiæ.
Nam quid erit morbi, quod non dominabitur illi,
Cui supera auxilium iam medicina negat?

DE GAVDIO RECTO.

Non potest unquam fraudari delectationibus suis, cui Christus est gaudium. Aeterna enim exultatio est, quæ bono lætatur æterno.

Felices uerè faciunt, semperq; beatos
B *De uero, & summo gaudia nata bono.*
Nam mundi ex opibus breuis, ac peritura uolup...:
Edita perpetuæ semina mortis habet.
Non placeat uanis animum summittere rebus,
Pestiferisq; auidam mentem onerare cibis.
Cor mundum, & sapiens fructu uirtutis alatur,
Et Christi in nostro pectore regnet amor:
Quo semel impletus, nunquam uacuabitur illo:
Aeterna æterni flumina fontis erunt.

QVID HOMINEM DEO IVNGAT.

Deo, qui ubiq; est, non locis, sed actionibus aut longinqui, aut proximi sumus: quia sicut separat dissimilitudo, ita nos illi coniungit imitatio.

Ambitum mundi totum Deus implet, & ambit,
Nec præsens ulli desinit esse loco:
A quo longinquus multum est, nimiumq; remotus,
Quisquis sinceræ luce caret fidei:
Cuius si radijs depulsa nocte nitescat,
Diuino impletus lumine lumen erit.

Non igitur terrarum orbis, non æquora ponti C
Inuia, circuitu sunt obeunda uago,
Vt possit rerum dominator, & autor adiri,
Quem templo in cordis mens pia semper habet.
A' quo ut dissimilis tetra in deserta recedit,
Sic uitæ merito proximus est similis.

QVO'D TOTA INFIDELIVM VITA PECCATVM SIT.

Omnis infideliū uita peccatū est: & nihil est bonum, sine summo bono. Vbi enim deest agnitio æternæ, & incōmutabilis ueritatis, falsa uirtus est, etiā i optimis moribus.

Quamuis multa homini post uulnera prima supersint,
Quæ uitam hanc faciant laudis habere decus:
Si tamen ingenio claro, & probitatis amori
Fons desit, fidei subdita corda rigans,
Cunctarum frugum marcessit inutile germen,
Nec fruitur uero lumine falsus honor.
Ignoratus enim Deus, & non credita uirtus,
Quæ uera ad summum prouehit arte bonum,
Non sinit eniti regna ad cœlestia mentem D
Obstrictam uanis, occiduisq; grauem.
Perq; omnes calles errat sapientia mundi,
Et tenebris addit, quæ sine luce gerit.

DE SABBATO.

Malè celebrat sabbatum, qui à bonis operibus uacat: ociū autem ab iniquitate debet esse perpetuum. Quia bona conscientia non inquietum, sed trāquillum facit.

Non recto seruat legalia sabbata cultu,
Qui pietatis opus credit in his uetitum.
Nulla dies actus hominum non damnat iniquos.
Omnia conueniunt tempora iustitiæ.
Nec corrumpuntur uirtutibus ocia sancta.
Tantùm à peccatis libera corda uacent.

DE VERA LIBERTATE.

Libera semper est seruitus apud Deum: cui non necessitas seruit, sed charitas.

Libertas nulla est melior, maior'ue potestas,
Quàm seruire Deo, cui bene seruit amor.
Absque iugo posita est ditionis amica uoluntas,
Quæ uiget affectu, non gemit imperio.

A DE SVPERBIA.

Quo primum uitio superatus est homo, hoc ultimum uincit. Cum enim omnia peccata superauerit, manet periculum, ne bene sibi mens conscia, in se potius, quàm in domino glorietur.

Qua primum in morte est homo pulsus fraude maligni,
Hanc illi extremam bella peracta mouent,
Sublimes ut cùm palmas, clarasq; coronas
Sumpserit, atque hostem subdiderit pedibus,
Virtuti propriæ uelit assignare triumphum,
Non domino, cuius munus, opusq; fuit.
In quo uno semper superat, qui non superatur,
Quo dignante manum subdere, nemo cadit.
Ancipitis uitæ qui uis superare labores,
Dilige, quod semper uerus amator habet.
Instant terrenis infesta pericula rebus.
Feruent pro damnis prælia, proq; lucris.
Et nihil est inter carnalia uota quietum,
Nec pax sollicitis, nec modus est cupidis.
B *In solo est mens tuta Deo, quem linquere uolens,*
Nunquam erit æterno non opulenta bono.

DE ADVLATIONIS VITIO.

Adulantium linguæ alligant animas in peccatis. Delectat enim ea facere, in quibus non solùm non metuitur reprehensor, sed etiam laudatur auditor.

Lingua assentatrix uitium peccantis aceruat,
Et delectatum crimine laude ligat.
Nulla sit ut lapso reparandæ cura salutis,
Blanditur sonti dum malesuasus honor.
Libera sit potius uox correctoris amici,
Serpere nec fibris cæca uenena sinat.
Nec credens medici uerbis fallacibus æger,
Noxia laudatæ uulnera pestis amet.

DE MARTYRIBVS NON BAPTIZATIS.

Qui etiam non percepto regenerationis lauacro pro Christi cõfessione moriuntur, tantum eis ualet ad abolenda peccata, quantũ si abluerentur fonte baptismatis.

Si mundo moritur diuino fonte renascens,
Fitq; nouus uita, qui sepelitur aqua.

Fraudati non ſunt ſacro baptiſmate Chriſti,
Fons quibus ipſa ſui ſanguinis unda fuit.
Et quicquid ſacri fert myſtica forma lauacri, C
Id totum impleuit gloria martyrij.

DE VENIA.

Iuſtitia noſtra quamuis uera ſit propter uerum boni finem, ad quem refertur, tamen tanta eſt in hac uita, ut potius remiſsione peccatorum conſtet, quàm perfectione uirtutum.

Magna quidem in multis eſt excellentia ſanctis,
Quorum animos ſuperi gratia roris alit.
Sed dum mens quædam patitur mala corporis ægri,
Et pugnam interius exteriora mouent,
Nunquam ita perfecto capitur uictoria bello,
Vera ut ſecurus pace fruatur homo.
Inter diſcordes motus contagia ſerpunt,
Ipſaq́ uirtutum gaudia uulnus habent,
Vt faciat notum longa experientia cunctis,
Non eſſe hoc plenam tempore iuſtitiam:
Ni dominus miſerando lauet delicta ſuorum, D
Et dans uirtutum munera, det ueniam.

DE CAVSIS INCOGNITIS.

In cognitis cauſis operũ diuinorũ nõ nihil nouimus, cum ſcimus nõ ſine ratione omnipotentẽ facere, unde infirmus humanus animus rationẽ nõ poteſt reddere.

Diuinorum operum ſecretas noſcere cauſas
Humanis non eſt poßibile ingenijs.
Nec nullo tamen intuitu ſpeculatur operta,
Qui, multa ut lateant, ſcit placuiſſe Deo.
In quo mens imbuta fide ſimul omnia diſcit,
Perq́ operum ſpeciem ſuſcipit artificem,
Fingentem rebus formas, loca, tempora, motus,
Menſuris, numeris, ponderibusq́ ſuis.
Scrutari nec cura procax obſtruſa laboret,
Cui cuncta in Chriſto noſſe, & habere datur.

DE NON DESPERANDIS PECCATORIBVS.

Non eſt deſperandum de malis, ſed pro ipſis, ut boni fiant, ſtudioſius ſupplicandum. Quia numerus ſanctorum de numero ſemper eſt auctus impiorum.

A *Vt morbo oppreßis præstanda est cura medendi,*
Donec in ægroto corpore uita manet:
Sic prauis multa uitiorum mole grauatis,
Sanctarum pietas est adhibenda precum,
Vt, dum poßibile est mutari corda malorum,
Horrescat noctis deuia lucis amor.
Conuersisq́; nouam mentem det gratia Christi,
Qua fiunt homines iustificante boni.

DE QVAERENDIS PRAESIDIIS.

In tranquillitate pacis comprehendenda est doctrina sapientiæ, quæ inter tribulationum turbines difficulter agnoscitur: nec facilè inueniuntur in aduersitate præsidia, quæ non fuerint in pace quæsita.

Dum non perturbant animum discrimina mundi,
Dumq́; diem pacis prælia nulla mouent,
Exercere fidem diuinis conuenit armis,
Consilioq́; omnes anticipare minas.
Tranquillam, & curis uacuam sapientia mentem
Imbuet, & placidi pectoris hospes erit.
B *Nam, quod non fuerit conceptum corde quieto,*
Acquiri in sæuo turbine non poterit.

DE BONIS, QVAE NEMO AMITTIT INVITVS.

Potest homo inuitus amittere temporalia bona. Nunquam uerò nisi uolens perdit æterna.

Omne bonum mundo concretum, & tempore partum,
Quacunque amitti conditione potest.
Et quamuis damnis uigilanter cura resistat,
Sæpe tamen proprijs dispoliatur homo.
At bona, quæ uerè bona sunt, nec fine tenentur,
Semper habet, quisquis semper habere cupit.
Nec uim ferre potest Christo subnixa uoluntas,
In quo persistens omnia uincit amor.

DE REMEDIIS TRIBVLATIONVM.

Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus huius uitæ, & misericorditer auditur, & misericorditer non auditur. Quid enim infirmo sit utile, magis nouit medicus, quàm ægrotus. Si autem id postulat quod Deus præcipit & promittit, fiet omnino, quod poscit. Quia accipit charitas, quod parat ueritas.

Inter mundanæ mala confligantia uitæ,
Sæpe quidem domini corripitur populus.

Qui tempestatum uaria sub clade laborant,
Noscant se iusti ferre flagella Dei.
Atque ipsum toto gemitu, planctuq́ precentur,
Vt, qua scit, miseris auxilietur ope.
Non etenim proprio arbitrio curabitur æger,
Nec uero leges ipse dabit medico.
Morbida rimetur penetralia dextra salutis,
Et depressa graui uiscera peste leuet.
Absque dolore quidem nequeunt mala sueta repelli,
Sed quod læserunt dulcia, amara mouent.
Pœniteat morum, & uitijs uirtute fugatis,
Regnum peccati respuat aula Dei.
Ad ueniam tendunt iusti pia uerbera regis.
Ira breuis rectis gaudia longa dabit.
Nunquam bella bonis, nunquam discrimina desunt.
Et cum quo certet, mens pia semper habet.
Quæ carnem oblectant, sancto sunt noxia cordi.
Contra animi legem prælia corpus habet.
Pulsant exterius diuersis motibus hostes.
Intus ciuile est, & sociale malum.
Vt possit mundi illecebris, uitijsq́ resisti,
Vis est corporei mortificanda hominis.
Sed quæ mens recto famulam sub iure tenebit?
Edomitæ ut regnet carnis in officijs?
Excelso nisi quæ seruit bene subdita regi,
Vnde est facta uolens, fiat ut inde ualens?

NVLLAM MALI ESSE NATVRAM.

Omnia per uerbum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Cum itaq; uniuersæ naturæ per uerbum Dei factæ sunt, iniquitas per ipsum facta non est. Quia iniquitas nulla substantia est, & peccatum non natura est, sed uitium naturæ, id appetentis, quod non est ordinis sui.

Per uerbum omnipotens Deus omnia condidit unus,
A quo natura est nulla creata mali.
Et quod non fecit diues sapientia uerbi,
Non habet in rerum conditione locum,
Nulla igitur uitijs substantia, nullaq́ uita est,
Quæ uegetet corpus, materiamq́ suam.

Sed cum

A *Sed cum libertas discedit ab ordine recto,*
Nec seruant proprium, quæ bona sunt, modulum,
In culpa, & uitio est uagus in contraria motus,
Fitq; malum ueram deseruisse uiam.
In quam si toto properet quis corde reuerti,
Nullus neglecti limitis error erit.
Totaq; debenti peccati pœna peribit,
Condita in integrum restituente Deo.

DE PETITIONIBVS CONTRARIIS DEO.

Deus,cum aliquid male poscitur, dando irascitur, non dando miseretur.

Cùm Deus effectum precibus non præstat iniquis,
Multum concedit, quòd nocitura negat.
Errantes uoto non uult delinquere facto.
Iratus fineret, quod prohibet placidus.
Discat felici supplex gaudere repulsa:
Incipiatq; animo pellere, quod uoluit.
Parcentemq; Deum noscat sibi, cùm ruiturus
B *Non exaudiri, ne rueret, meruit.*

DE IVDICIIS DEI.

Nullo modo iudicijs hominum comparanda sunt iudicia Dei, quem non dubitandum est esse iustum, etiam quando facit, quod hominibus uidetur iniustum.

Iudicium humanum, quod falli sæpe necesse est,
Non semper recipit regula iustitiæ.
At domini in cunctis æqua est, ueraxq; potestas,
Aspectum cuius nulla remota latent.
Talis laudetur iudex, timeatur, ametur,
Qui uerè iustus permanet, atque bonus:
Aduersos reuocans, conuersis cuncta remittens,
Atque malis ueniam dando bonos faciens.
Non ergo audacter mens ueri nescia culpet,
Quod placuit summi iudicis arbitrio.
Sed subdat sese iusto ignorantia regi,
Qui nunquam, quæ sunt non bona, uelle potest.

DE COHIBENDA IRA.

Nulli irascenti ira sua uidetur iniusta: unde ab omni indignatione citò redeundum est ad mansuetudinis lenitatem. Nam pertinax motus facilè in eius odium transit, cui non celeriter ignoscitur.

Nemo

Nemo suæ mentis motus non æstimat æquos. C
Quodq́; uolunt homines, se bene uelle putant:
Vnde animus celeri pace est reuocandus ab ira,
Ne robur sæuis tempora dent odijs.
Offensas sibimet parcentia corda remittant.
Nam nemo est, qui non indigeat uenia:
Quam nostri memores, mundi inter uana uicißim
Omnibus in causis, & damus, & petimus.
¶ *Cultor iustitiæ, & diuinæ pacis amator,*
Quem uocat ad summum uita beata bonum,
Scandere constanter dextros adnitere calles,
Despiciens læuæ noxia plana uiæ.
Tutius est duros mundi tolerare labores,
Infestiq́; hostis prælia sæua pati.
Quàm uictum officijs animum submittere blandis,
Captaq́; seruili subdere colla iugo.
Tempore in occiduo non longi est usus honoris,
Et celeri lapsu gaudia falsa fluunt.
Finem igitur proprij sapiens speculabitur æui, D
Et uia, qua currit, quò ferat, aspiciet.
Nam mundo innexis pars est cum principe mundi.
At seruis Christi gloria Christus erit.
¶ *Corporeos inter sensus, moribundaq́; membra,*
Multa animus patitur carnis ab hospitio:
Quæ uitæ, de qua uiuit, contraria quærens,
Legem uult mentis soluere lege sua.
Sed prudens præsul famulam frænare rebellem
Aeterni regis discat ab imperio:
Et uerum accipiens supero de lumine lumen,
Noctem peccati cordis ab æde fuget.
Nam quæ cuncta Deus bona condidit, ipsaq́; nostri
Exilij regio est pulchra decore suo.
Auditus, uisus, gustus, contactus, odorq́;,
Præberi gaudent undique, quod placeat.
Fitq́; nocens homini præsentis temporis usus,
Si captum blandis inferiora ligant.
Mens igitur sapiens superas adnitere ad arces,

Et summis

A *Et summis fieri suesce beata bonis.*
Delitias iam nunc promissi concipe regni,
Virtute, atque fide, quod cupis esse, tene:
Ne'ue ad spem dubiam frustra te currere credas,
Naturæ in Christo prospice liba tuæ.
A quo susceptum si te non ambigis esse,
Totus homo in capitis corpore semper eris.
Tantum ut iussa uelis nutu obseruare docentis,
Qui, quod ait uerbo, præuenit auxilio.
¶ *In deitate gradus, mensura, & tempora non sunt,*
Et quod idem est, maius non habet, atque minus.
Corporeæ moles longe, formæq; recedant,
Virtus summa caret finibus, & spatijs:
Quod pater, hoc uerbum patris est, simul hoc utriusque
Spiritus, hic Deus est unus, & una fides.
Per quam uerorum spes non incerta bonorum
Sublimem ignito scandit amore uiam:
Et prægustata superi dulcedine roris,
Doctrinis pasci gaudet apostolicis.
B *Tu, qui ergo indignas non uis incurrere curas,*
Innecti uanis, occiduisq; caue.
Mortalis uitæ breuitas non multa requirit,
Paucorum exigui temporis usus eget.
¶ *Esse uolens, gaudere optans, scire abdita quærens,*
Vt te non teneant infima, summa pete.
Delectare Deo rege, in cœlestibus esto,
Et quæ spe sequeris, credita amore tene.
Nulla in te maneant hominis uestigia primi,
Nec formam ueteris gestet imago noui.
Exulta agnoscens te uerbi in carne renatum,
Cuius si pars es, pars tua Christus erit.
*Qui, ne damnandi * legeres mala gaudia mundi,* *gereres
Promissum ad regnum se tibi fecit iter.
¶ *Cum pater in uerbo sit semper, & in patre uerbum,*
Sitq; idem uerbi spiritus, atque patris,
Sic de personis tribus est tibi non dubitandum,
Vnum, ut docta fides, confiteare Deum.

Corde patris genitum creat, & regit omnia uerbum, C
Nec tamen est aliquid, quod sine patre gerat.
Vnus enim amborum motus, ratio una uolendi est.
Par uirtus, idem spiritus, unus amor,
¶ *Sic Deus est magnus, de se ualet, & manet in se,*
Cui summum & proprium est, semper id esse, quod est.
Splendet enim uerum uero de lumine lumen,
Vt genitum agnoscens nouerit ingenitum.
Vna trium deitas, una est essentia ab uno.
Idem est & uerbi spiritus, atque patris.
Nullum opus abiunctum. nulla est non æqua potestas,
In cunctis unum sunt tria principium.
¶ *Cum pia mens in laude Dei superata labores,*
Gaude, quod tantum te bene uincit opus.
Teq; aliquid superi cognosce hausisse uigoris,
Si tibi non satis est, quod cupis, atque sapis.
Quære bonum sine fine, bono & persiste reperto,
Quærere non habeant talia uota modum.
Nam qui se nullo iam munere credit egere, D
Crescere non cupiens, perdit adepta tepens.

Metrum anacreontium, quod & colopon dicitur, recipit anapestum, duos iambos, & unam syllabam, ut, ăgĕ iăm, prĕcŏr, mĕā, rum.

Agè iam precor mearum
Comes irremota rerum,
Trepidam, breuemq; uitam
Domino Deo dicemus.
Celeri uides rotatu
Rapidos dies meare,
Fragilisq; membra mundi
Minui, perire, labi.
Fugit omne, quod tenemus,
Neque fluxa habent recursum.
Cupidas, uagasq; mentes
Specie trahunt inani.
Vbi nunc imago rerum?
Vbi sunt opes potentum?

A *Quibus occupare captas*
Animas fuit uoluntas?

¶ *Qui centum quondam terram uertebat aratris,*
Aestuat, ut geminos poßit habere boues.
Vectus magnificas carpentis sæpe per urbes,
Rus uacuum feßis æger adit pedibus.
Ille decem celsis sulcans maria alta carinis,
Nunc lembum exiguum scandit, & ipse regit.
Non idem status est agris, non urbibus ullis,
Omniaq; in finem præcipitata ruunt.
Ferro, peste, fame, uinclis, algore, calore,
Mille modis miseros mors rapit una homines.
*Vndique bella fremunt, * hominis furor excitat, armis*
Incumbunt reges regibus innumeris.

*ās : omnis furor hesitat armis.

Impia confuso sæuit discordia mundo.
Pax abijt terris, ultima quæque uides.
Et si concluso superessent tempora seclo,
Vt posset longos mundus habere dies,
Nos tamen occasum nostrum obseruare deceret,
B *Et finem uitæ quemq; uidere suæ.*
Nam mihi quid prodest, quòd longo flumina cursu
Semper inexhaustis prona feruntur aquis?
Multa quòd annosæ uicerunt secula syluæ,
Quodq; suis durant florea rura locis?
Ista manent, nostri sed non mansere parentes:
Exigui uitam temporis hospes ago.
Non ergo sumus hic nequicquam in secula nati,
Quæ pereunt nobis, & quibus occidimus:
Sed uitam æternam uita ut mereamur in ista,
Vt subeat requies longa labore breui.
Et tamen iste labor sit fortè rebellibus asper,
Ac rigidas leges effera corda putent:
Non tamen hæc grauis est mansueto sarcina dorso:
Nec lædit blandum mitia colla iugum.
¶ *Tota mente Deus, tota ui cordis amari,*
Præcipitur, uigeat cura secunda hominis.
Quod sibi quis nolit fieri, non inferat ulli,

Vindictam læsus nesciat exigere. C
Contentus modicis, uitet sublimis haberi.
Sperni non timeat, spernere non libeat.
Parcus, uera loquens, & mente, & corpore castus,
Insontem uitam pacis amator agat.
*De * proprio cunctis, quos cernit egere, benignus.*
Non sua, non cupiat: quæ sua sunt, tribuat.

* als: Et proprio pascat loculo quos norit egentes

¶ *Quid rogo mandatis durum censetur in istis?*
Aut quid erit, quod non posit obire fides?
Qui credunt sacros uerum cecinisse prophetas,
Et qui non dubitant uerba manere Dei,
Qui Christum passum pœnas crucis, ultima mortis,
In toto excelsi patris honore uident,
Quiq; ipsum multa cum maiestate tremendum,
Expectant pingui lampade peruigiles,
His sordent terrena, patent cœlestia, nec se
Captiuos seruos temporis huius agunt.
Non illos fallax cepit sapientia mundi,
Nec curas steriles inseruere polis. D
Imperia, & fasces, indocti munera uulgi,
Quasq; orbis scelerum semina fecit opes,
Calcarunt sancta cœlum ambitione petentes
Suffragijs Christi, & plausibus angelicis.
Nec labor hos durus uincit, nec blanda uoluptas.
Quærere nil cupiunt, perdere nil metuunt.
¶ *Omnia non Christi, qui Christi est, odit, in illo*
Se statuens, in se qui gerere optat eum.
Ille Deus cœli, rerum, terræq; creator,
Me propter sacra uirgine natus homo est.
Flagris dorsa, alapis maxillas, ora saliuis
Præbuit, & figi se cruce non renuit.
Non ut tanta Deo quicquam patientia ferret,
Cuius nec crescunt, nec minuuntur opes:
Sed quod erat uictum in me, ut superaret in illo,
Factus sum Christi corporis, ille mei.
Me gesit moriens, me uicta morte resurgens,
Et secum ad patrem me super astra tulit.

A *Quid nam igitur tanta pro ſpe tolerare recuſem?*
Aut quid erit, quod me ſeparet à domino?
Ignem adhibe, rimare manu mea uiſcera tortor,
Effugient pœnas membra ſoluta tuas.
Carcere ſi cæco claudar, nectarq; catenis,
Liber in exceſſu mentis adibo Deum.
Si mucrone paret ceruicem abſcindere lictor,
Impauidum inueniet mors cita, pœna breuis.
Non metuo exilium, mundus domus omnibus una eſt.
Sperno famem, domini ſit mihi ſermo cibus.
Nec tamen iſta mihi de me fiducia ſurgit,
Tu das Chriſte loqui, tuq; pati tribuis.
In nobis nihil audemus, ſed fidimus in te,
Quos pugnare iubes, & ſuperare facis.
Spes igitur mea ſola Deus, quem credere uita eſt,
Qui patriæ ciuem me dedit alterius.
Sorte patrum occiduum iuſſus tranſcurrere mundum,
Sub Chriſti ſacris aduena miles eo.
B *Nec dubius me iure breui terrena tenere,*
Sic utar proprijs, ceu mea, non mea ſint.
Non mirabor opes, nullos ſectabor honores,
Pauperiem Chriſto diuite non metuam.
Qua ſtetero aduerſis, hac utar mente ſecundis:
Nec mala me uincent, nec bona me capient.
Semper agam grates Chriſto, dabo ſemper honores.
Laus domini uigeat ſemper in ore meo.
Tu modò fida comes mecum iſti accingere pugnæ,
Quam Deus infirmo præbuit auxilium.
Sollicita elatum cobibe, ſolare dolentem.
Exemplum uitæ ſimus uterque piæ.
Cuſtos eſto tui cuſtodis, mutua redde.
Erige labentem, ſurge leuantis ope.
Vt caro non eadem tantum, ſed mens quoque nobis
Vna ſit, atque duos ſpiritus unus alat.

FINIS EPIGRAMMATON
D. PROSPERI.

C

De Prouidentia diuina

D. PROSPERI OPVSCV- LVM.

PROLOGVS.

MAXIMA pars lapsis abijt iam mensibus anni,
Quo scripta est uersu pagina nulla tuo.
Quæ tam longa tibi peperere silentia causæ?
Quis'ue dolor mœstum comprimit ingenium?
Quanquàm & iam grauibus non absint carmina curis,
Et proprios habeant tristia corda modos:
Ac si te fracti perstringunt uulnera mundi,
Turbatumq; unà si rate fert pelagus,
Inuictum deceat studijs seruare uigorem:
Cur mansura pauent, si ruitura cadunt? D
O felix cui tanta Deo tribuente facultas
Contigit, ut tali tempore liber agat:
Quem non concutiat uicina strage ruina,
Intrepidum flammas inter, & inter aquas.
Nos autem tanta sub tempestate malorum
Inualidi paßim cædimur, & cadimus.
Cumq; animum patriæ subijt fumantis imago,
Et stetit ante oculos quicquid ubique perit,
Frangimur, immodicis & fletibus ora rigamus:
Dumq; pios agimus, uertimur in querulos.
Nec parcunt quidam turbatam incessere mentem,
Linguarum & iaculis saucia corda petunt.
Dic (aiunt) causas, qui rerum, hominumq; labores
Arbitrio credis stare, regiq; Dei:
Quo scelere admisso, pariter periere tot urbes:
Tot loca, tot populi, quid meruere mali?
Si totus Gallos sese effudisset in agros
Oceanus, uastis plus superesset aquis.

Quòd

A *Quòd sanè desunt pecudes, quòd semina frugum,*
Quodq; locus non est uitibus, aut oleis:
Quòd fundorum ædes uis abstulit ignis, & imbris,
Quarum stare aliquas tristius est uacuas.
Si toleranda mali labes heu cæde decenni,
Vandalicis gladijs sternimur & Geticis.
Non castella petris, non oppida montibus altis
Imposita, aut urbes amnibus æquoreis:
Barbarici superare dolos atque arma furoris
Eualuere omnes, ultima pertulimus.
Nec querar extinctam nullo discrimine plebem,
Mors quoque primorum cesset ab inuidia.
Maiores anni ne forte, & nequior ætas,
Offenso tulerint, quæ meruere Deo:
Quid pueri insontes? quid commisere puellæ?
Nulla quibus dederat crimina uita breuis.
Quare templa Dei licuit popularier igni?
Cur uiolata sacri uasa ministerij?
B *Non honor innuptas deuotæ uirginitatis,*
Nec texit uiduas relligionis amor.
Ipsi desertis qui uitam ducere in antris
Suerant laudantes nocte dieq; Deum,
Non aliam subiere necem, quàm quisque prophanus:
Idem turbo bonos sustulit, atque malos.
Nulla sacerdotes reuerentia nominis almi
Discreuit miseri supplicijs populi:
Sic duris cæsi flagris, sic igne perusti,
Inclusæ uinclis sic gemuere manus.
Tu quoque puluereus plaustra inter, & arma Getarum
Carpebas duram non sine fasce uiam.
Cùm sacer ille senex plebem, usta pulsus ab urbe,
Ceu pastor laceras duceret exul oues.
Verùm hæc sub belli sileantur turbine gesta,
Confusis quoniam non fuit ordo malis.
Forte etenim placidas res mundi, & tempora pacis,
Arbitra dignetur cernere cura Dei.
Si cunctos annos ueterum recolamus auorum,

Et quicquid potuit nostra uidere dies, C
Maximus iniustis locus inuenietur in orbe,
Oppreßis autem pars propè nulla bonis.
Qui fuerit uiolentus, atrox, uersutus, auarus,
Cuius corde fides cesserit, ore pudor,
Hunc omnes mirantur, amant, reuerentur, honorant:
Huic summi fasces, huic tribuuntur opes.
Quòd si quis iustus castam, & sine crimine uitam
Dißimili studio ducere maluerit:
Hic inhonorus, inops, odium iuuenumq́; senumq́;,
In totis mundi partibus exul agit.
Impius exultat maturis integer annis:
Carpere non cessant ulcera dira pium.
Falsa ualent in iudicijs, & uera laborant:
Insontes sequitur pœna, salusq́; reos.
Ignorata pijs illudit adultera sacris:
Blasphemus templi limina tutus adit.
Quæ si cura Dei celsa spectaret ab arce,
Resq́; ageret nostras sub ditione sua, D
Aut non effugerent ultrices crimina pœnas,
Aut uirtus terris sola reperta foret.
Talia cùm facilis uulgi spargantur in aures,
Quàm multis rudibus lingua maligna nocet?
Nec tantus dolor est Scythicis consumier armis,
Quantus ab infidis cordibus ista feri.
Prome igitur sanctis cœlestia tela pharetris,
Et medicis hostem confice uulneribus.
Forte aliqui poterunt errorum euadere noctem,
Inq́; uiam uisa luce referre pedem.
Ac ne sermo moram patiatur ab impare uersu,
Heroi numeris porrige pentametrum.

A ISTA quidem melius diuinis edita libris
Cognoscenda forent, ubi legis in æquore aperto
Promptum esset uentis dare libera uela secundis.
Sed quoniam rudibus metus est intrare profundum,
In tenui primùm discant procurrere riuo,
Quà iacet extremo tellus circundata ponto,
Et quà gens hominum diffusa est corpore mundi.
Seu nostros annos, seu tempora prisca reuoluas,
Esse omnes sensere Deum: nec defuit ulli
Autorem natura docens: & si impius error
Amisit, multis tribuens, quod debuit uni.
Innatum est cunctis, genitorem agnoscere uerum.
Hic autore carens, & tempore permanet idem
Semper, & immensum nec secula nec loca claudunt.
Hic nullis mundi causis extantibus, in se
Quicquid uellet habens, cùm uisum est omnia solus
Condidit ut uoluit, formas, numerosq́ue, modosq́ue,
Et genera, & uitas, statuens & semina rebus.
B Quicquid inest cœlo, quicquid terræq́ue mariq́ue,
Quicquid quocunque est in corpore, siue animatum
Siue expers animæ, calida, humida, frigida, sicca,
Vno extant autore Deo: qui diuite uerbo
(Quod Deus est) rerum naturas, atque elementa
Protulit, & summis opifex intentus & imis.
Quòd uerò aduersis compugnant condita causis,
Atque alijs alia obsistunt: contraria discors
Omnia motus alit: dumq́ue illi occurritur illo:
Vitalem capiunt cuncta exagitata uigorem:
Quæ uel pigra situ, uel prono lubrica lapsu,
Aut cursu instabili, stabili aut torpore perirent.
Mollia sic duris, sic raris densa resistunt,
Et liquidis solida, & tardis uelocia, claro
Obscurum obiectum, & dulci contendit amarum.
Nec mihi fas dixisse aliquid non ritè creatum:
Aut ullas ausim mundi reprendere partes:
Cum sator ille operum teneat momenta suorum,
Et carptim uarios in totum temperet usus.

Denique quicquid obest, aut causa, aut tempore uerso C
Prodest: & gemino subsistunt cuncta periclo.
Frigora perpessus, solem cupit: ustus ab æstu,
Inter Hyperboreas mauult algere pruinas.
Iniusto pluuiam metuit sub fasce uiator:
Quam poscit uotis sitienti rusticus agro.
Cæruleos angues timor isti est uisere: at illi
Intrepida excoctis oneratur mensa chelydris.
Quòd si forte lupos, lyncasque, ursosque creatos
Displicet, ad Scythiæ proceres, regesque Getarum
Respice: queis ostro contempto, & uellere Serum,
Eximius decor est tergis horrere ferarum.
Singula sectari longum est: sed munere Christi
Scire datum quod alit tellus, quod in æquore uiuit,
Quicquid in arboribus, quicquid uariatur in herbis,
In laudem autoris, certis subsistere causis:
At quæ sola nocent, eadem collata mederi.
Est igitur Deus: & bonus est: & quicquid ab illo
Effectum est, culpa penitus uacat, atque querela. D
Omnem autem hanc molem mundi qui condidit ipse,
*horum *Et regit. utque nihil non * ortum sumpsit ab illo:*
Sic nihil est quod stare queat factore remoto.
Nam qui pigra Deo dant otia, credo uerentur
Ne curæ intentum uigiles, durique labores
Conficiant: & tanta simul non explicet unus.
O mersi in tenebras, diuinique ignis inanes,
Et plus corporeis oculis, quàm mente uidentes:
Qui uestræ æternum naturæ & conditioni,
Audetis conferre Deum. cui si quid amatis
In laudem praui adijcitis, uestrisque beatum
Creditis esse bonis, aut ulla incommoda ferre.
An quia cum magnas urbes, populosque tenetis
Sub uestro imperio, miserum est insomnibus ægram
Partiri curis in multa negotia mentem?
Cumque graues trepidis incumbant undique causæ,
Non fert urgentes industria uicta labores.
Et si animis ægris depulsa est sollicitudo,

Blanda

A *Blanda uoluptatem requies creat otia nactis.*
De domino hoc sentire pium est, quem semper eundem
Nil grauat, ex toto nil occupat. effluit ætas
Ac uenit, & spectant genita & gignentia finem.
Ille manet simul acta tenens, & agenda: futuris
Vlterior, tum præteritis prior: omnibus unus
Præsens: & solus sine tempore, tempora condens.
Vtq; æui spatia ac numeros præcedit & exit,
Sic nullo immensus cohibetur fine locorum.
Nilq; adeo est magnum, quod non certus modus arcet:
Et cœlum, & terras, & totum denique mundum
Limes habet: meta est altis, & meta profundis:
Sed nusquam non esse Dei est: qui totus ubique,
Et penetrat mundi membra omnia liber, & ambit.
Hæc igitur uis sola potest moderamina rerum
Diuidere, & placidis eadem persistere curis:
Quam non effugiant cita, nec remorantia tardent:
Quæ nunquam ignara, nunquam longinqua, nec ullis
B *Translata accedens regionibus, absit ab ullis:*
Nec dignoscendis egeat manifesta doceri.
Hæc testis rerum tacita audiat, abdita cernat:
Det uitas, adimatq; datas, pereuntia saluet,
Deiecta attollat, premat ardua, proroget annos,
Et minuat, mutet corda, & peccata remittat.
Sed qui uirtutem concedunt omnipotenti,
Fortè uoluntatem demant: & magna regentem,
Curam hominis renuisse putent, in tempora nati
Exigua, & uaria sub tempestate relicti.
Quò uos sponte iuuat cadere? oblitosq; parentis
In pecudum genus, & sortem transire ferarum?
Incomperta latent naturæ exordia nostræ,
Aut spem propositam in Christo, præsentia turbant.
Parcite sublimes æternæ gentis honores
Degeneri uiolare metu: potiusq; relictum
Immortale decus, superato apprendite cœlo.
Nota uia est, Christo cunctis reserante magistro,
Qui uocat, & secum nos deducturus, & in se.

Ac ne

Ac ne uaniloqui ſpondere incerta putemur, C
Res monet à primis aperire parentibus ortum
Humani generis: cauſasq́ euoluere uitæ
Amiſſæ, & rurſus Chriſto donante receptæ.
Diſpoſitis rebus, totum iam conditor orbem
Fecerat, & pulchra uernabat origine mundus.
Iam ſol dimenſis in tempora curſibus ibat,
Lunaq́ cum ſtellis præbebat lumina nocti:
Iam pecudes tellus, iam piſces pontus alebat,
Et liquidum uolucres innabant aëra pennis:
Sed quod diuina poſſet ratione potiri,
Nondum erat in terris animal: dedit optimus autor
Hoc homini ſpeciale decus. cumq́ omnia uerbo
Conderet, hunc manibus, quò plus genitoris haberet,
Dignatur formare ſuis. ſubſtantia duplex
Iungitur, inq́ unam coëunt contraria uitam.
Nanque anima ex nullis, ut cætera, gignitur: expers
Interitus, niſi quòd domino cruciabilis uni eſt.
Et rea, ferre poteſt pœnam, ſub nomine mortis, D
Terrenamq́ illapſa domum, dat uiuere ſecum
Conſortem, & pariter diuinum haurire uaporem.
Nec quia diſsimilis rerum natura duarum eſt,
Diſpar conditio eſt: manet exitus unus utrunque,
Seu potior iuri ſubdatur poſterioris,
Seu ſe maioris uirtuti infirmior æquet.
Eſt etenim ambarum uinci, eſt & uincere poſſe:
Proficere, & minui: regnare, & perdere regnum.
Non quia plus cuiquam, minus aut in origine cauſæ
Naſcendi attulerint, aut ulla externa creatos
Vis premat, ignarosq́ agat in diſcrimina morum:
Sed quia liber homo, & ſapiens, diſcernere rectis
Praua poteſt, in ſe intus habens diſcrimina rerum,
Iusq́ uoluntatis, quo temperat arbitrium mens.
Si tamen ancipitis cæca inter prælia uitæ,
Non de ſe tumeat: ſed uotis tuta modeſtis,
Inde putet totum poſſe, unde accepit & eſſe.
Inſita ſic nobis patriæ uirtutis imago eſt,

Longo

A *Longo iuſtitiæ quæ multum exercita cultu*
Ceu ſpeculo lumen diuinum imitata referret.
Cumq; bonis poſitum tranſiſſet in artibus æuum,
Aeternam uictrix arcem manſura teneret.
Totaq; res effecta Dei, iam nulla ſubiret
Prælia, nec trepidè ſecum decerneret in ſe:
Nec uellet, quod mox nollet, uoluiſſe, timere,
Ignorare, optare, pati iam neſcia: nullis
Creſcere egens cumulis, nullisq; obnoxia damnis.
Et quò promiſsis adſit fiducia magnis,
Ac ſpes propoſitæ ſit non incerta coronæ:
Munere præſentis uitæ, documenta futuræ
Sumit homo, & dandis confidere diſcit adeptis.
Huic cœli uolucres, & cuncta animalia terræ
Subiecta: & piſces quos nutrit pontus & amnes.
Huic Solis, Lunæq; uices, & ſydera noctis
Noſſe datum: numerisq; dies comprendere & annos:
Scire poteſtates herbarum, & nomina rebus
B *Indere: & ingenium uarias augere per artes.*
Hunc potiorem unum cunctis ſpirantibus, uni
Subiectum ſeruire Deo: nec corporea ui,
Sed rationis ope, præfortibus imperitare.
Quòd ſi quis non totus homo hæc extendere uerbis
Me putat, & nondum ſeſe cognouit in iſtis:
Audiat à primis diſtare parentibus actum
Per delicta genus, multa & rubigine morum
Corrupti exiguum ſemen ſupereſſe uigoris.
Vtq; ſuæ tantum naturæ diſcat honorem,
In ſummum ſancti generis redeat caput, & ſe
Aeſtimet à manibus domini, afflatuq; regente:
Qualis Adam, nondum terram damnatus in iſtam,
Et liber culpæ paradiſi diuitis orbem
Cultarum locuples uirtutum fruge tenebat.
Cui cùm tanta Deus largitus dona fuiſſet,
Viperei populi princeps inuidit, & alta
Deiectus regione poli (quia ſumma tenere
Non niſi pura poteſt bonitas) maiora nocendi

Concepit

Concepit uerso mutatus corde uenena. C
Qui possessorem tantarum delitiarum
(Mandato exclusum quia nouerat arbore ab una)
Perpulit à uetitis pomum decerpere ramis,
Queis inerat recti & praui experientia maior
Tunc ditione hominis: quia nondum acceperat hanc uim,
Qua posset uitanda suo sine nosse periclo.
His illata dolis, hoc crimine nata subegit
Mors hominem, culpa in cunctos manante minores.
Quæ semel antiqua pulsos uirtutis ab arce,
Non uno tantum transfuso errore parentum
Implicuit: sed cum populis nascentibus aucta,
Multiplicem lata porrexit strage ruinam.
At quanquam immissa regnaret morte peremptos,
Nulla tamen placitos domino non edidit ætas:
Cunctaq́ diuersos habuerunt secula iustos.
Quos licet ob meritum uitæ bona multa manerent,
In mortem uitiata tamen natura trahebat,
Non prius à primi uinclo absoluenda parentis, D
Quàm maiestate incolumi generatus in ipsa
Destrueret leti causas & semina CHRISTVS.
Cuius perpetuam cunctis assistere curam
Promptum est exemplis ab origine nosse petitis.
Non latet hanc sanctis onerans altaria sacris
Iustus Abel, qui primitijs ouium grege lectis
Conuertit domini syncera in munera uultum.
Nec fallit specie deuota relligionis
Dona Chain reprobanda dicans. cui uirus amarum
Inuidia in fratrem succenso felle coquebat.
Nec reuocare ferum dominus sermone benigno
Abstinuit: quantumq́ nefas strueretur ab ipso
Ingessit, formamq́ dedit, qua uincere sese
Posset, & insanæ regnaret fortior iræ.
Sed concepta semel facinus crudele peregit
*Impietas, scelere immenso primordia mundi**
At nunquid placitum sibi iustum à cæde nefanda
Non potuit seruare Deus? sed finis acerbi

Occasum,

A *Occasum, potior uita, & tribuenda corona,*
Immodico æterni superabant pondere honoris.
Quid? cum uiuentem de terris transtulit Enoch,
Spernebat terrena Deus? namq; omnibus illud
Proderat exemplum, quo mortis terror abiret,
Spemq; inconcussam caperet substantia carnis.
Sic alio post multa æuo documenta minores
Propositæ in Christo meruerunt sumere uitæ,
Cum raptum ignitis per inane iugalibus Helim
Scandentem rutilo uiderunt æthera curru.
An aberat tum cura Dei? cùm effusa per omnes
Gens hominum culpas, penitus pietate relicta
Dira toris uetitis generaret monstra gigantas?
Illa quidem mundi exitium præfata futurum
Tempora larga dedit, queis in meliora deducti
Mortales, scelerum seriem uirtute piarent.
Cumq; nefas placitum toto persisteret orbe,
Nec nisi diluuio deleri crimina possent,
Sola Noë seruata domus: quæ libera cladis
B *Conclusis paribus spirantum de genere omni,*
Vnde forent uacuis reparanda animalia terris,
Illæsa mundo pereunte superfuit arca.
Non quia non alios populos Deus edere posset,
Sed multis fractus morbis, ut semine ab ipso
Idem homo in Christi corpus nascendo ueniret:
Vtq; Deo iusto meritorum iudice, partam
Nossemus requiem sanctis in clade malorum.
Non'ne etiam in nostram domini iam tum miserentis
Progeniem tendebat amor, cùm credulus Abram,
Multorum, pariente fide, genitor populorum,
Promissum genus innumeris censebat in astris?
Aut cùm in Pentapolim descenderit igneus imber,
Non'ne prius multo dilata examine uenit
Iudicis ira Dei? qui promptus pacere, nullas
Inuenit causas ueniæ: deq; omnibus unum
Dissimilem Sodomis incesta in plebe repertum
Exemit: paruiq; dedit dominum oppiduli Loth.

Cùm uero Aegyptum Chananaeaq́ regna teneret C
Dira fames, totos septem toleranda per annos,
Praestruitur certè patriarchis causa mouendis:
Et domus externos inter placitura paratur,
Quae blandè foueat populi incrementa futuri.
Mystica dum Ioseph prodentem somnia fratres
In seruum uendunt pretio, falluntq́ parentem:
Dum castum dominae petulantia carcere damnat:
Dum rex obscuri narrato aenigmate somni,
Exemptum uatem dignatur honore secũdo:
Dumq́ pijs traducta dolis Hebraea iuuentus
Gaudet adoratum uenia cognoscere fratrem:
Qui cùm multa insons ferret mala, non'ne remotum,
Resq́ hominum dedignantem, potuisset inepto
Incusare Deum questu? nisi cuncta profundis
Iudice sub iusto scisset decurrere causis?
Quae licet infidas soleant confundere mentes,
Non possunt turbare pias: quia tempore in isto
Haec posita est uirtus, ut libertate potitos
Exiguo in spatio, iusti patiantur iniquos, D
Quos Deus ipse modò dilata sustinet ira.
Sic gens chara Deo, & saeuo suspecta tyranno,
Iniustum imperium regis tolerabat acerbi:
Maestarum & matrum foetu potiore necato,
Condensas iussos lateres praebebat ad urbes,
Vt durus labor, & saeuae inclementia mortis,
Omnes terribilis populi consumeret annos.
Sed non ista Deo patribus illata remoto
Ipse docet, curamq́ sibi probat esse suorum:
Nam iubet electum Pharaoni edicere Mosen,
Vt sinat Aegypto domini discedere plebem:
Ni faciat, multis plectenda superbia plagis,
Sentiet excitam quae regni uis habet iram.
Ille quidem, quoties patitur coelestia tela,
Cedit, & obsequium simulat: sed clade remota,
Duratur parcente Deo: causas pereundi
Impius inde trahens, quò posset habere salutem.

Donec

A *Donec ui uictus laxat fera iura tyrannus.*
Ditia barbaricis & Moses agmina gazis
Promouet, insigni sulco monstrante columna
Per deserta uiam, quæ formam in tempus utrunque
Temperat, alterna ut tribuat uice commoda castris,
Luce tegens, & nocte regens, eadem ignis & umbra,
Discutiens flammis tenebras, & nube calores.
Quid loquar, & trepidis patribus cùm incumberet hostis
Diuisum pelagus, solidoq; rigore ligatas
Instar montis aquas, uacuo cessisse profundo?
Quaq; gradum illæsæ tulerant tot millia plebis,
Oppressum Ægypti populum coëuntibus undis.
Omnis enim autori seruit natura potenti,
Quæq; ad opem cedunt, eadem famulantur ad iram.
Sed mihi nec uacuum cunctas percurrere formas
Virtutum: & gestis oris non æqua facultas.
Nam quis tantarum euoluat miracula rerum?
Mannæ imbrem, & cunctos in cœli pane sapores,
B *Siccæ rupis aquam, & dulcorem fontis amari:*
Aut inter deserta actos denos quater annos,
Nec membris nocuisse æuo, nec uestibus usu.
Legis in exemplum iuuat ire, & quærere ab ipsis
Qui curam domini remouent, an tempore ab illo
Cœperit humanas in uitæ fœdera mentes
Informare Deus: nec per tot secula mundi
Permotus uitijs, tunc ius perscripserit æquum.
Ite ipsi in uestræ penetralia mentis, & intus
Incisos apices, ac scripta uolumina cordis
Inspicite, & genitam uobiscum agnoscite legem.
Nam quis erit (modo non pecus agri aut bellua ponti)
Qui uitijs adeo stolidè oblectetur apertis,
Vt quod agit, uelit ipse pati? mendacia fallax,
Furta rapax, furiosum atrox, homicida cruentum
Damnat, & in mœchum gladios distringit adulter.
Vnus enim pater est cunctorum: & semine recti
Nemo caret: similisq; omnes produxit origo.
Vnde etenim nondum descripta lege, fuerunt

Qui placidum sanctis agerent in moribus æuum: C
Nec summi patris ignari, nec iuris egeni.
Ergo omnes una in uita cum lege creati
Venimus, & fibris gerimus quæ condita libris.
Nec noua cura fuit nostri, cùm tradita Mosi
Littera præsenti damnaret crimina pœna.
Sed superadiecta est generi custodia sancto,
Qua memor in patriæ fidei perstaret honore,
Et promissorum domini succederet hæres.
Cùm tamen & quoscunque eadem sub sacra liceret
Ire, nec externos arcerent limina templi,
Cumq́; Dei monitu canerent uentura prophetæ,
Sæpe etiam ad uarias gentes sint multa locuti.
Sic regina Austri cupidis Salomonis ab ore
Auribus eloquium domini uenerata trahebat.
Sic Niniue monitis Ionæ sub tempore cladis
Credidit: & tribus in luctu ieiuna diebus
Promeruit morum excidio consistere regno.
Verùm ne longo sermone moremur in istis, D
Quæ sparsim uarieq́; suis sunt edita seclis:
Ne'ue quod in parte est, in toto quis neget esse,
Dum solidam domini diuisa negotia curam
Velant, & nulla accipitur quæ rara uidetur:
Dicite quem populum, qua mundi in parte remotum,
Quos'ue homines, cuius generis, uel conditionis
Neglexit saluare Deus? uir, fœmina, seruus,
Liber, Iudæus, Græcus, Scytha, Barbarus: omnes
In Christo sumus unum: non persona potentis,
Nec domini, regis'ue prior. distantia nulla
Luminis unius speculi, nisi discrepet usus.
Nanque uelut speculum mens est: quæ quò mage tersa est
Expoliente fide, radijsq́; intenta supernis,
Hoc mage confeßi resplendet imagine Christi:
Qui cum patre Deo semper Deus: inq́; paterna
Maiestate manens, miscetur conditioni
Humanæ: & uerbum caro fit, rerumq́; creator
Nascitur, atque annis succedit conditor æui.

A *Hoc etenim lex, hoc ueneranda uolumina uatum,*
Hoc patriarcharum spes non incerta tenebat:
Vltima cum mundi finem prope curreret ætas,
Venturum ad terrena Deum, qui morte perempta
Solueret inferni leges: longamq; ruinam
Humani generis, meliore attolleret ortu.
Sed tu qui geminam naturam hominisq; Deiq;,
Conuenisse uides angusti in tramitis ora, Contra Eutiecem.
Firma tene cautus uestigia, ne trepidantem
Alterutram in partem, propellat deuius error:
Si cernens operum miracula diuinorum
Suscipias sine carne Deum: cum'ue omnia nostri
Corporis agnoscas, hominem sine numine credas.
Nulla etenim soli uita est mihi: morsq; subactum
Detinet, & non est quo uictus uincere poßim,
Si non uera Dei uirtus mihi consociata est,
Aut me non uera saluator carne recepit:
Cuius maiestas stabilis non hoc uiolatur,
B *Quo redimor: neque se minor est, dum mutor in illo:*
Sed mortale meum subit: ut quia morte teneri
Vita nequit, pereat mihi mors: & non ego iam in me
Viuam, sed Christus, qui se mihi miscuit in se.
Victus enim terrenus Adam, transfudit in omnes
Mortem homines, quoniam cuncti nascuntur ab illo,
Et transgressoris decurrit causa parentis.
Sed nouus è cœlis per sacræ uirginis aluum
Natus homo est: aliudq; bonus mortalibus in se
Fecit principium, carnemq; refusus in omnem,
Et uita functos naturam participando
Edidit, & uiuos uitam mutando creauit.
Vtq; illos ueterum complexa est gratia solos,
Qui Christum uidêre fide: sic tempore nostro
Non renouat quemquam Christus, nisi corde receptus.
En homo quanta tibi est gratis collata potestas?
Filius esse Dei, si uis, potes: omnipotens te
Spiritus umbratum uerbi uirtute creauit.
Nec te corporeo patrum de semine natum

Iam reputes: pereant captiua exordia carnis. C
Nil ueteris coniunge nouo: non hic tibi mundus,
Non hæc uita data est: nulla hic tua, nec cuius ipse es.
Emptus enim es, pretiumq́; tui resoluere fas est,
*als : Qua *Quo * potes, ut soluens sis ditior: & tibi crescant*
Quæ dederis, cedatq́; tibi pars ipse redemptor.
Nec te difficilis nunc obseruantia legis
Sub durum iubet ire iugum: mens libera sanctum
Obsequium ratione ferat, quam spiritus almus
In tabulis cordis describat sanguine Christi.
Qui nobis quicquid sermonibus insinuauit,
Condidit, exemplo factis præcepta coæquans:
Rex ille, & rerum dominus: sed pauperis egit
In specie, nec ueste nitens, nec honore superbus.
Infirmis fortis, rex seruis, diues egenis:
Iustitia iniustis cedit, sapientia brutis.
Sacrilegis manibus percussus, non parat ictum
Reddere: nulla refert auidæ conuitia linguæ.
Damnatur iudex, uerbum tacet: inspuitur lux. D
Ipse ministerium sibi pœnæ est: felq́; & acetum
Dulcius ille fauis haurit: sanctus maledictum
Fit crucis, & moritur Christus, uiuente Barabba.
Impia gens, tantum ausa nefas, sentis'ne furorem
Iam mundo damnante tuum? sol fugit ab orbe,
Et medio nox facta die est: concussaq́; tellus
Intremuit: mortemq́; Deo subeunte, sepulchris
Excita sanctorum sumpserunt corpora uitam.
Velum etiam templi discissum est, ne quid opertum
In sacris aditis, iam plebs indigna teneret:
Sanctaq́; pontifices fugerent offensa cruentos.
Te uerò extinctæ calcantem spicula mortis,
Et de carne nouum referentem carne trophæum,
Tertia discipulis Iesu dedit attonitis lux.
Nec dubijs dominum licuit cognoscere signis,
Cùm documenta fides caperet, uisuq́; manuq́;
Rimans clauorum uestigia, uulnus & hastæ.
Cumq́; quater denis firmans promissa diebus,

Conspicuus

A *Conspicuus multis, sæpe & tractabilis esset.*
Hactenus in nostris te, Iesu, nouimus : ex hinc
In tua nostra abeunt : nec iam diuersa, sed unum
Sunt duo: dum uita in uita est, in lumine lumen,
Augmento, non fine hominis : quo glorificato
Sic homo, sic Deus es, ut non sis alter & alter: Contra Nestorium.
Nosq; ad te ire iubes sursum, tecumq; potiri
Luce tua : si calle tamen curramus eodem,
Edocti, non posse capi nisi de cruce cœlum.
Iam'ne Dei compertus amor? diffusaq; in omnes
Cura patet? notum & cunctis astare salutem?
Et tamen, heu, rursus querulis homo garrula uerbis
Bella moues, iaculisq; tuis tua uiscera figis.
Cur non sum bonus? hoc non uis. cur sum malus? hoc uis.
Cur uolo, quæ mala sunt? & cur quæ sunt bona nolo?
Libere sed cùm recta queas discernere prauis,
Deteriora legis, placitisq; improuidus hæres:
Erro, ais, & uellem non posse errare. duobus
B *Subiacet hæc uotis sententia : nam penitus te*
Aut esse exanimum cupis, aut rationis egenum.
Error enim est eius, qui cessit limite recti,
Quiq; potest ad iter Christo ducente reuerti.
At quem nulla uiæ suscepit linea, nusquam
Declinat : nullumq; timent non stantia casum.
Nunquid cura Deo de bobus? nunquid ad ullas
Fit uerbum domini uolucres? num lege tenentur
Monstra maris? quæ cum faciunt iussa omnipotentis,
Ignorant sese facere : affectumq; uolendi
Sumunt, & quod agunt alijs sibi cedere credunt.
Sic etiam quæ non spirant sunt semper in illo,
In quo sunt formata modo : non plana tumescunt
Collibus, aut celsi sternuntur in æquora montes:
Non ueniunt alpes in pontum, aut pontus in agros:
Saxa iacent, amnes decurrunt, stantq; paludes:
Et tamen his nihil est mercedis, quæ sine sensu
Dispositos in se præbent uiuentibus usus.
Quo'd si horum præstare tibi natura uidetur,

Iam boue mutari uelles, uel rupe, uel amne. C
Deterior nollem fieri: potior uoluissem.
Nunquid qui domino placuerunt moribus almis,
Displicuere sibi? nunquid non semine ab uno
Venimus, aut alia est hominum natura bonorum?
Non aliter diues quàm pauper nascitur: unum est
Principium seruis & regibus: optimus ille
Non plus accepit, quàm pessimus: aequa creantis
Mensura est, uno qui lumine luminat omnes.
Sed mundum ingressi uarijs rerum speciebus
Suscipimur, mentemq; adeunt quaecunque uidentur,
Iudicio censenda hominis: stant undique formae
Innumerae, possuntq; omnes spectando probari.
Quaedam etiam patulas intrant stipata per aures,
Errores ueterum studiorum, & uana parentum
Dogmata, cum quodam fuco ostentantia ueri.
Haec modulata sono ueniunt, haec laeuia tactu,
Haec blandis latè funduntur odoribus, illa
Conciliant uarias in mille saporibus escas. D
Magno ergo haec homini sunt discernenda periclo:
Ne nimium trepidus nullum procedat in aequor:
Neu uagus effusis sine lege feratur habenis.
Est etenim sanctus rerum usus, quem cohibentes
Intra modum numeri, & momentum ponderis aequi,
Pro cunctis soli domino reddemus honorem.
Omnia quae fecit bona ualde, ut non uitiorum
Incentiua, sed ut superas caperemus in illis
Hic decertato uirtutis agone coronas.
An tibi coelestes illi, quos protulit orbis,
Fertq; uiri, non haec eadem tolerasse uidentur,
Quae patimur? motus animi, affectusq; rebelles,
Et circumiectis uitia oppugnantia castris?
Sed gladio uerbi fideiq; umbone potenti
Vincebant arcus tenebrarum, & spicula mortis:
Cumq; opus hoc mundi magnum pulchrumq; uiderent,
Non mare, non coelum, non ignem, aut sydera coeli
(Quae numero subiecta sibi, uisuq; tenebant)

Suspexere

A *Suspexere Deos: unum, ratione magistra,*
Autorem, & dominum rerum, non facta, colentes.
At tu nobilius qui factum te uoluisses,
Nunquid in angelico satus ordine, non quarereris?
Nam cum ille excelso deiectus Lucifer axe
Conciderit, rueritq; illo pars tertia pulso
Astrorum, quæro in quanam tunc parte fuisses?
Clara Dei semper bonitatis imago maneres,
An castra inuidiæ sequereris & agmina noctis?
Sed quò te præceps rapit orbita? uis bonus esse
Absque labore tuo? credis hoc cedere posse,
Si tibi mutentur natalia sydera. quorum
Te prauum decursus agit. quid uana uetusti Contra μάντεις.
Perfugia erroris Chaldæis quæris in astris?
Quamuis sollicitis adeas cœlestia curis,
Et penitus causas rerum scruteris apertas,
Non renuis mage nosse Deum, quam cuique elemento
Naturam dederit: qua pontum lege moueri
B *Iusserit: aut teneris quam uim conseuerit auris:*
Sydereosq; ignes in quæ momenta crearit.
Qui cùm syncerus sit fons æquiq; boniq;,
Immitem iussis legem præscripsit iniquis,
Si prius ipse hominum mores constrinxerat astris.
Nanque aduersa sibi sunt hæc, nimiumq; repugnant,
Exigere insontes actus: delictaq; pœnis
Afficere, & cunctos eadem ad promissa uocare:
Contrà autem natis uiolentum affigere sydus,
Quod nec uelle homini cedat, nec posse: sed omnes
Desuper ignaros & uirtus ducat, & error.
Ergo aut æthereis nullum est ius ignibus in nos,
Aut si quid nostri retinent, amittere possunt:
Cum mihi progenito ad uitam, mandata salutis
Et cordi insinuet bonus autor & auribus, ac me
Currentem mercede uocet, terrore morantem.
Solum, inquit, uenerare Deum, soliq; memento
Seruire? externas & despice relligiones.
Hoc operis sectare boni, hoc fuge cautus iniqui.

Vita beata

Vita beata isto paritur, mors editur illo. C
Coràm adsunt aqua seruatrix, populator & ignis:
Ad quod uis extende manum, patet æqua facultas.
Quod legis monitus, & uatum scripta piorum,
Et Deus ipse suo nequicquam promeret ore,
Arbitrium nostrum si uis externa teneret.
Verùm si quid obest uirtuti, animosq; retardat,
Non superi pariunt ignes, nec ab æthere manat,
Sed nostris oritur de cordibus: ipsaq; bellum
Libertas mouet, & quatimur ciuilibus armis:
Otia cum mollis complexa ignaua uoluptas,
Difficili negat ire uia, brauioq; potitos
Ardua quæq; piget pro spe tentare latenti.
Cumq; hæc intus agi prospexit callidus hostis,
De studijs uestris uires capit: utq; parentis
Auertat ueri cultum, persuadet ab astris
Fata feri, frustraq; homines contendere diuis:
Hinc uario uitæ dominos mercantur honore.
Error abi, procul error abi, satis agnita prisci D
Sunt commenta doli: monitos quibus omnipotens nos
Elaqueat, cultusq; docet uitare profanos.
Scimus enim quanta steterit mercede quibusdam
Sydus adoratum Rempham: uenerataq; cœli
Militia: & cultus Soli Lunæq; dicatus.
Nec latet hæc uerbis hominis subsistere iussa
Ad uocem seruisse mora: noctisq; repulsæ
Temporibus creuisse diem: cum lux famulata
Nesciret nisi quem faceret uictoria finem.
Nouimus & cœlo præscriptas conditiones
Arbitrio quondam sancti mansisse prophetæ:
Cùm positum ad tempus clausos sitientibus agris
Non licuit rorare polos: ipsumq; uocata
Partibus è superis in sancta altaria flamma,
Quem dederat sacris, ignem immisisse profanis.
Cuius uis etiam Christi delapsa fuisset
Discipulis, pœnam hospitij exactura negati,
Ni patiens dominus uenia præuerteret iram.

Nullum

A *Nullum ergo in nos permissum est ius elementis,*
In quae ius hominis: nec possunt condere legem,
Quae legem accipiunt. solus Deus omnipotens rex,
Omnia qui nostrae dispensat tempora uitae,
Nec seruire astris uult, quos super astra locauit.
Nam quoscunque sacro renouauit spiritus amne,
In Christo genitos mortali ex stirpe recisos
Iam sedes coelestis habet, nec terrea nectit
Progenies, templum in domini corpusque redactos.
Quod si quis cursu astrorum effectuque notato,
Contendit naturam hominis uitamque uideri:
Quaero quid hac trepidis mortalibus afferat arte?
Hic (inquit) felix, miser hic erit, hunc rapiet mors
Impubem, hic senio transcendet Nestoris annos.
Falsum hoc, aut uerum est? si stant praedicta canentis,
Nec misero superest spes, nec formido beato.
Et quae syderibus danda est reuerentia fixis?
Si quae ferre queunt, nequeunt decreta mouere,
B *Dent sese scelerum potius torrentibus omnes:*
Fallant, diripiant, iugulent, fas omne nefasque
Confundant: persistet enim nihilominus astrum.
Cuius ab effectu firmato cardine rerum,
Vt mala non poterunt sancta probitate repelli,
Sic bona non fugient peruersos debita mores.
At si praedictae sortis mutabilis ordo est,
Et declinari possunt uentura, soluta est
Omnis ab ancipiti casu uis pendula fati.
Scrutatis igitur stellarum motibus, hoc est
Artis opus, totam subuertere relligionem:
Dum nullum curare Deum mortalia suadet:
Aut dum posse docet uotis elementa moueri,
Innumeram miseris plebem insinuare Deorum.
Sed quia detectis laqueis iam fraudis opertae, Contra Epicureos.
Quo captos uanis studijs deduceret error
Compertum: superest nunc respondere querelis,
Quae mundi rebus diuinam absistere curam
Obijciunt, dum saepe bonos labor anxius urget,

Et tranquilla

Et tranquilla fluit laborum uita malorum. C
Dic age, qui nullis domini moderantis habenis
Humanas res ire putas, quid ab ordine cessat
Naturæ? quæ bella mouent elementa? quid usquam
Dißidet à prisco diuisum fœdere rerum?
Sic interiecta Solis reuocatur in ortum
Nocte dies: idem est Lunæ astrorumq́; recursus:
Et relegunt notas subeuntia tempora metas.
Non aliter uenti spirant: ita nubibus imber.
Læta negant seruantq́; genus trudentia flores
Semina quæq́; suum: nec abest ab origine rerum
Ordo manens, iisdem subsistunt omnia causis.
Quæ nisi perpetui solers prudentia regis
Astrueret, molemq́; omnem spirando foueret:
Conciderent subita in nihilum redigenda ruina.
Et cùm hæc peruigili cura omnipotentis agantur,
Quæ certum ad finem deuexo limite uergunt:
Quis neget in nostram gentem specialius æquum
Partiri sua iura Deum? cui perpetis æui D
Spem tribuit, propriæ largitus imaginis instar.
At qui nec pœnam iniustis, nec præmia sanctis
Restitui ad præsens quereris: uelles'ne per omnes
Vltricem culpas descendere iudicis iram?
Et quo magnanimi clemens patientia regis
Distaret sæua immitis feritate tyranni?
Aut quæ pars hominum peccati nescia mundum
Possessura foret? uel sanctæ quis locus esset
Virtuti in terris? cui si præsentia dona
Affluerent, cœlo potius sublata maneret.
Sic mundi meta abruptis properata fuisset
Temporibus: neque in sobolem generanda ueniret
Posteritas, pariter cum iustos atque nocentes
Aut promissus bonos, aut pœna auferret ab orbe.
Nunc uerò & generis nostri profunda propago
Tenditur: ac duplici succedit origine pubes
Nata patrum membris, & Christi fonte renata.
Et pia dum populis domini patientia parcit,

A *In lucem multos de tetra nocte reuersos*
Ac posita claros peccati labe uidemus.
Ille per innumeros uultus, & mille per aras
Barbatos, læuesq; Deos, iuuenesq;, senesq;,
Vt quondam fecere, colens, iam errore parentum
Abiecto, solum unigenam summissus adorat.
Hic sophicas artes Græcorum, & uana secutus
Dogmata, iam Christo sapere, & brutescere mundo,
Gaudet apostolico doctus cœlestia ludo,
Quàm multos procul à portu rationis in altum
Dedecorum turbo abstulerat, quos æquore toto
Iactatos, nimiumq; uagis erroribus actos
Nunc reduces iuuat excipere, amplexuq; paterno
Confotos nusquam statione abscedere uitæ:
Quos si multa inter morum delicta priorum
Plectisset properè rigor implacabilis iræ,
Intercepta forent melioris tempora uitæ,
Nec standi uires licuisset sumere lapsis.
Mortem (inquit dominus) peccantis nolo, nec ullum
B *De pereunte lucrum est: redeat magis, inq; relictum*
Mutatus referatur iter, uitaq; fruatur.
Et quia uirtutum similes uult esse suarum
Quos genuit, Vindictam (inquit) mihi cedite: reddam
Iudicio quæ digna meo: detur locus iræ.
Sic dum multorum differtur pœna malorum,
Nonnulli plerunque probos reuocantur in actus,
Ac fit quisque sibi iudex, ultorq; seuerus,
Quòd fuerat prius interimens, alinsq; resurgens.
At qui persistunt errori incumbere longo,
Quamuis in multis uitijs impune senescant,
In sæuum finem uenient: ibi non erit ulla
Spes ueniæ, minimo ad pœnam quadrante uocando.
Nos etenim quoties causa quacunque mouemur,
Vindictam celerem cupimus. quia rara facultas
Non patitur, læsis tempus transire nocendi.
At uero æternum nil effugit, omniaq; adsunt
Salua Deo: nihil est illi tardumúe, citumúe:

Nec dilata unquam, nec festinata putemus: C
Quæ ueniunt nostris mutantur tempora rebus.
Nam quod ubique agitur, quod gestum est, quodq; gerendum est,
Ante oculos domini puncto subsistit in uno.
Vna dies cui semper adest, cras, atque here nostrum.
Sed quanquam examen Deus omnia seruet in illud,
Quo, quæ nunc occulta latent, reserata patebunt:
Multa tamen mundum per secula cuncta regentis
Iustitiæ documenta dedit: dum maxima bellis
Regna quatit, dum sæpe urbes, populosq; potentes
Exhaurit morbis, cremat ignibus, obruit undis:
Dumq; inopes ditat, deiectos eleuat, auctos
Imminuit, soluit uinctos, subigitq; superbos.
Nec uerò hoc nisi cum magna ratione putandum est
Accidere, ut quoties iram experiuntur iniqui,
Supplicia insontes uideantur obire nocentum.
Multa quidem semper mundo communia in isto
Indignos dignosq; manent: sol omnibus idem est,
Idem imber: pariter subeuntur frigora & æstus. D
Vtque indiscreta est cunctis aqua, lumen, & aura,
Sic iniustorum iustos mala ferre necesse est:
Vt dum multa malis insontes compatiuntur,
Sint quorum merito populis parcatur iniquis,
Et qui conuersos uirtutis imagine ducant.
Sed cùm perpendis, indemutabilis instat
Finis: non eadem incumbit sententia sanctis.
Sunt quos diluuium mundi non obruat, & quos
Arsuris liceat Sodomis euadere. norat
Angelus Aegypti uastator limina signo
Scripta crucis, sacro remouens à sanguine plagam:
Nec rutilo mulier decepta est uellere, cuius
Sola domus tanta pereunte superfuit urbe.
Fit mare per tumidum sanctis uia, fitq; per amnem:
Et per inane pijs gradus est: cibus alite serua
Suggeritur, perditq; auidus sua fercula messor.
Vtque Dei seruis nihil obsit, uertitur ordo
Naturæ, uinctos labentia uincula soluunt:

Carcer

A *Carcer sponte patet, sera non tenet obijce ualuas:*
Deficit humor aquas, ignes calor, ira leones.
Non autem dubium est, in magnæ turbine cladis
Inuolui teneros annos, & in ore parentum
Criminis expertes aliena occumbere culpa.
Nam cum homines pontus tegeret, deleta per orbem
Multa puellarum, & puerorum milia notum est.
Nec tamen iniustè terris exempta uidetur
Progenies auctura malos: cui multus in ipso
Exitio est collatus honos, quòd crimine patrum
Occidit antè, sua caderet quàm noxia culpa.
Quòd si & iustum aliquem complexa est pœna malorum,
Ne dubites placuisse Deo: nec enim mala mors est
Vlla bonis, quibus è uario longoq; labore
Quilibet in requiem patet exitus, aspera uitam
Dat uia, nec campo capitur sed fine corona.
Verùm nos blandis capti, offensiq; seueris,
Nec bona iudicio spectamus, nec mala uero:
B *Dum non nostrarum curanda negotia rerum*
Suscipimus, proprijsq; iuuant aliena relictis.
Nec quemquam uitijs miserum, aut uirtute beatum
Censentes, frustra externis culpamq;, decusq;
Iungimus, & cœlo ascripti, terrena fouemus.
Felices dici mos est, quos blanda potestas
In summos apices tumidorum euexit honorum:
Quos magni quæstus ditarunt, & quibus amplos
Congessit reditus totum res fusa per orbem.
Laudantur uestes pretiosæ, & pulchra supellex,
Magnæ ædes, famuli innumeri, uigilesq; clientes,
Et quicquid non est nostrum: quodq; ut dare quiuit
Vna dies, sic una potest auferre: nec illud
Quod speciale bonum est hominis, nullamq; timet uim,
Amplexi, miseros, quibus hæc perdentia desunt,
Et per mille modos pereuntia, credimus, ac si
Iustitiam durus labor urgeat, & dolor ægri
Corporis, & mortes natorum, & turpis egestas:
Non quantas pariat constans tolerantia palmas,

Nec quò pugna breuis sit processura uidemus: C
Sed calicem crucis ac uitæ libare uerentes,
Vipereum obducto potamus melle uenenum.
Dulcia sunt etenim gustu, speciesq; decora,
Quæ morbos mortemq; animæ generantq;, fouentq;,
Canceris & ritu languentia uiscera carpunt.
Cumq; Deus medicam cœlo demittere curam
Dignatur, penitusq; putres abscindere fibras,
Incusamus opem teneri, & tabescere morbo
Malumus, antidoti quàm uim tolerare seueri.
Non igitur mala sunt, quæ nos mala ducimus: & cùm
Vlceribus diris non parcit dextra medentis,
Amplectenda salus, non exacuenda querela est.
Iam quos peccantes Deus arguit, hos etiam nunc
Diligit, & patrio uult emendare flagello.
Meq; istis potius societ, quàm congreget illis,
Quos iam summoto permisit uerbere cursu
Ire uoluntatis, propriaq; libidine ferri.
Hi sunt uerò illi, quos inter crimina tutos D
Et scelerum dites fructu, impunita senectus
Extremæ turpis uitæ producit in oras:
Hi iustum iniustis odijs pressere: per istos
Bella excita pijs, & flagra medentia tardis.
Namque eadem cunctos exercent tela fideles,
Sub duplici causa: dum quo torquentur iniqui,
Hoc sancti crescunt: & quod pœnam attulit illis
Pro culpa, hoc isti dat pro uirtute coronam.
Denique si quicquid mundanis rebus acerbum
Accidit, excutias, totum iam sponte uidebis
Anticipasse Dei famulos. gemit ille talentis
Argenti atqui auri amissis: hunc rapta supellex,
Perq; nurus Geticas diuisa monilia torquent:
Hunc pecus abductum, domus ustæ, potaq; uina
Afficiunt, tristes nati, obscœniq; ministri.
Sed sapiens Christi seruus, nil perdidit horum,
Quæ spreuit, cœloq; prius translata locauit.
Ac si quid mundi sub tempestate laborum

A *Incidit, intrepidè subijt: manifestus honoris*
Promissi, & cupidus uicto certamine solui.
At tu, qui squalidos agros, desertaq; defles
Atria, & exustæ proscenia diruta uillæ,
Non'ne magis proprijs posses lachrymas dare damnis,
Si potius uastata tui penetralia cordis
Inspiceres? multaq; obtectum sorde decorem?
Grassantesq; hostes captiuæ mentis in arce?
Quæ nisi per cunctas patuisset dedita portas,
Inq; suam cladem facibus fomenta dedisset,
Hæc etiam quæ facta manu speciosa fuerunt,
Deuoti meritum populi testata manerent.
Sed cùm deformi iaceant prostrata ruina,
Obijciunt nobis casus nostrosq; suosq;.
Hos igitur cineres templorum, hæc busta potentum,
Quæ congesta iacent, populati cordis in aula
Plangamus captiua manus. nos splendida quondam
Vasa Dei, nos almæ aræ, & sacraria Christi.
B *In quibus argentum eloquij, uirtutis & aurum,*
Et sceptrum captum est crucis, & diadema decoris.
Nec rabidis iustam moueamus questubus iram,
Iudicium culpando Dei. quod mentis & oris
Officium, multa transcendit maius abysso.
Quamuis exiguo hoc fugientis tempore uitæ
Iniusti tumeant, & tuta pace suorum
Lætentur scelerum: nonq; illos uinea fallat,
Non ager: & noceant illæsi, & crimine crescant:
Nos, quibus in Christo sunt omnia, non capiant res
Occiduæ: quas nec nobiscum inueximus orti,
Nec discessuri mundo exportabimus isto.
Sed si quis superest animi uigor, excutiamus
Peccati seruile iugum: ruptisq; catenis
In libertatem, & patriæ redeamus honorem.
Impia non oberunt cum sæuo pacta tyranno
Captiua conscripta manu. resolubile Christo est
Hoc fœdus, quod iure potest subuertere iusto:
Auersos reuocans, & suscipiens conuersos:

 Sanguine

Sanguine quos proprio quæsiuit, prodigus emptor. C
Si tamen assertoris opem festina uoluntas
Præueniat, fletu dominum motura fideli.
Nam ut nemo inuitus, somno'ue quietus in alto
Fit saluus, nec ui petitur qui sponte recessit,
Sic pulsata patent redeuntibus atria uitæ,
Et recipit cœli seruatos curia ciues.
Cuius spem ueniæ firmato corde fouentes,
Implorate Deum, pugnasq; relinquite fratres
Verborum, & lites de prauis sensibus ortas.
Nec quia procidimus fusi certamine primo,
Stare & conflictum uereamur inire secundum.
Cuncta licet uarijs terroribus impleat hostis,
Et uigili clausas obsidat milite portas:
Cum uicto tamen est bellum, si carne uetusta
Exuti, in Christi renouemur corpus, & omnem
Vincendi nobis uim de uictore petamus.
Qui dum nostra suis sociat, iunxit sua nostris:
Vt non humanis fidens homo, totus in illum D
Se referat: sine quo non stant, qui stare uidentur:
Et per quem sparsi coëunt, stratiq; resurgunt.
Hæc sat erit paruo rudibus scripsisse libello:
Qui cum syncerum uiuo de fonte liquorem
Gustarint, ipsi profundent flumina ab aluo
Cordis, & irriguas præbebunt fratribus urnas.

FINIS LIBRI DE PROVI-
DENTIA DEI.

IN OBTRECTATOREM, AVGVSTINI EPISCOPI.

CONTRA Augustinum narratur serpere quidam
Scriptor, quem dudum liuor adussit edax:
Qui caput obscuris contectum utcunque cauernis,
Tollere humo miserum perpulit anguiculum.
Aut hunc fruge sua æquorei pauere Britanni:
Aut huic cum spano gramine corda tument.

Quæ

A *Quæ concepta fouet, promat: quæ parturit, edat:*
Seu uetere armatur dogmate, siue nouo:
In quoscunque sinus, spirarum torqueat orbes,
Et fallax multa contegat arte caput.
Currentem attritos super aspidas & basiliscos
Declinare senem uipera non poterit.

ITEM IN EVNDEM.

Quidam doctiloqui libros senis Augustini
Carpere, & aduersum condere fertur opus.
Vsque adeo'ne bonum ingenium, & facundia diues
Ostentare artem non aliter potuit?
In noua prostratas acies nisi bella cieret,
Impiaq; extinctis hostibus arma daret?
Hæc pugna, incentor, mors est tua: te stylus iste
Conficit, & uerbis perderis ipse tuis.
Dumq; doces quantum ualeat mens libera, monstras
Velle tuum tibimet sufficere ut pereas.
B *Verte gradum, fuge perniciem: stratosq; rebelles*
Oris apostolici fulmine ubique uide.
Nec te mutato defendi nomine credas:
Si pastorem ouium lædere uis, lupus es.

EPITAPHIVM NESTORIANI ET PELAGIANI.

NESTORIANA lues successi Pelagianæ,
Quæ tamen est utero prægenerata meo.
Infelix miseræ genitrix & filia natæ,
Prodiui ex ipso germine quod peperi.
Nam fundare arcem meritis prior orsa superbis,
De capite ad corpus ducere opus uolui.
Sed mea dum proles in summa armatur ab imis,
Congrua bellandi tempora non habui:
Et consanguineæ post tristia uulnera fraudis,
Aspera conserui prælia fine pari.
Me tamen una dedit uictam sententia leto,

Illa uolens iterum surgere, bis cecidit. C
Mecum oritur, mecum moritur, mecumq; sepulchrum
Intrat, & inferni carceris ima subit.
Quò nos præcipites insana superbia mersit,
Exutas donis, & tumidas meritis.
Nam Christum pietate operum & mercede, uolentes
Esse Deum, in capitis fœdere non stetimus:
Sperantesq; animi de libertate coronam,
Perdidimus quam dat gratia iustitiam.
Quisq; igitur geminæ miseraris busta ruinæ,
Ne nostro exitio consociare caue.
Nam si quæ domini data munera sero fatemur,
Hæc homini credis debita, noster eris.

Præfatio in librum
DE INGRATIS.

VNDE uoluntatis sanctæ subsistat origo, D
Vnde animis pietas insit, & unde fides:
Aduersum ingratos, falsa & uirtute superbos,
Centenis decies uersibus excolui.
Quos si tranquilla studeas cognoscere cura,
Tutus ab aduerso turbine lector eris.
Nec libertate arbitrij rapiere rebellis,
Vlla nec audebis dona negare Dei.
Sed bona quæ tibi sunt operante fatebere Christo,
Non esse ex merito sumpta, sed ad meritum.

ΠΕΡΙ ΑΧΑΡΙΣΤΩΝ

HOC EST,

DE INGRATIS CONTRA PELAGIANOS D. PROSPERI LIBER.

CONGENITAE in Christo gentis mihi castus ab alto
Insinuatus amor proprias excedere uires
Me iubet, atque pias accendere carmine mentes:
Ne post conceptum celebris uictoria bellum,
Securos animos incauta pace resoluat:
Ceu metus eliso iam nullus ab hoste supersit:
Nec caput attriti uirosum palpitet anguis.
Vnde igitur commenta mali sopita resurgant,
B *Quem'ue ipso de fine dolum noua promat origo,*
Da fari pater omnipotens, artemq́; malignam
Pandere, prostratus qua rursum nititur error.
Dogma quod antiqui satiatum felle draconis,
Pestifero uomuit coluber sermone Britannus:
Hac primos homines cretos ditione ferebat,
Vt seu præscriptum mandatum transgrederentur,
Siue inculpati seruata lege manerent,
Mortem istam prorsus, qua carnem uita relinquit,
Oppeterent: quæ non peccato parta, sed ipso
Instituente Deo comes esset fixa creatis.
Progenitos igitur nullum traxisse reatum
De patribus: neque dissimiles nunc nascier illo
Ortu primorum, qui libertate male usi
Peccarunt, forma nocui non semine proli:
Posse autem insontes omnes uirtutis in arce
Vitam agere, & menti ingenitum seruare decorem.
Arbitrio quoniam subsistat recta uolentis
Naturalis honos, lexq́; insita cordibus intus
Hoc moneat, quod scripta foris: cui gratia Christi

Addita, perfugium lapsis generaliter in se C
Condiderit, sacro si uellent fonte nouari:
Vt sponte attractum uenia soluente reatum,
Sponte sua in uires proprias natura rediret:
Quoq; per errores esset spoliata uigore,
Hunc seruare semel posset purgata receptum.
Tam diues uerò hoc donum baptismatis esset,
Et tam multa homini conferri fœdere in isto,
Vt paruis, etiam uitioq; carentibus omni
Congruat, ut qui sunt geniti bene, sint meliores,
Naturæq; bonum adiecto illustretur honore.
Nullum autem ex cunctis exortem muneris huius,
Iudicio genitum esse Dei: sed quemq; mereri
Libertate sua, ut capiat promissa uocantis:
Quæ sint auersis indebita, debita rectis.
Talia cum demens latè diffunderet error,
Commentisq; rudes traheret letalibus aures,
Adfuit exhortante Deo prouisa per orbem
Sanctorum pia cura patrum, non dispare motu D
Conficiens diros iaculis cœlestibus hostes.
Hisdem nanque simul decretis, spiritus unus
Intonuit, pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri: quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis,
Relligione tenet. non segnior inde Orientis
Rectorum cura emicuit: captumq; nefandi
Dogmatis autorem constrinxit lege benigna
Commentum damnare suum: nisi corpore Christi
Abiungi, & sancto mallet grege dissociari.
Lene quidem hoc, nimiumq; malos tolerasse uidetur
Iudicium, sed sancta fides examine in illo
Vicit oborturam diro de semine prolem.
Prospectum nanque est, diuino & munere cautum,
Vt licet instantem declinans bestia pœnam,
Perfidiæ secum sensus tenuisset eosdem:
Ipsa tamen proprium germen damnando necaret:
Ore malam extinguens sobolem, quam protulit ore.

Tunc

A *Tunc etiam Bethlei præclari nominis hospes,*
Hebræo simul & Graio, Latioq; uenustus
Eloquio, morum exemplum, mundiq; magister
Hieronymus libris ualde excellentibus hostem
Dissecuit: nosciq; dedit, quo turbine ueram
Vellent exortæ lucem obscurare tenebræ.
Quid loquar & curam magna quam gessit in urbe
Constantinopoli, docto bonus ore sacerdos
Atticus, antiqua legatos hæreticorum
Confutando fide? de qua tunc impia corda
Quamuis se obducto tegerent uelamine forma,
Iudicij & tacitæ tulerint tormenta repulsæ.
Prætereo quanto fuerit bene mota tumultu
Clara Ephesos, non passa suis consistere tectis
Vasa iræ, & morbi flatus, & semina mortis:
Quaq; fide tellus etiam Trinacria feruens,
Agmen uipereum proprijs exegerit oris.
Tu causam fidei flagrantius Africa nostræ
B *Exequeris: tecumq; suum iungente uigorem*
Iuris apostolici solio, fera uiscera belli
Conficis, & lato prosternis limite uictos.
Conuenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoq; senum celeberrima cœtu,
Decernis quod Roma probet, quod regna sequantur.
Nec sola est illic synodorum exerta potestas,
Ceu quos non possent ratione euincere nostri,
Vi premerent: discussæ artes, uirusq; retectum est
Hæretici sensus: nullumq; omnino relictum,
Docta fides quod non dissolueret argumentum.
Condita sunt, & scripta manent, quæ de cataractis
Aeterni fontis fluxere undante meatu,
Et tercentenis procerum sunt edita linguis.
Sic moderante suam legem bonitate seuera,
Vt qui damnato uellent de errore reuerti,
Acciperent pacem, pulsis quæ praua tenerent.
An alium in finem posset procedere sanctum
Concilium, cui dux Aurelius ingeniumq;

Augustinus erat: quem Christi gratia cornu C
Vberiore rigans, nostro lumen dedit æuo,
Accensum uero de lumine: nam cibus illi,
Et uita, & requies, Deus est: omnisq; uoluptas
Vnus amor Christi est, unus Christi est honor illi:
Et dum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia: & in sancto regnat sapientia templo.
Istius ergo inter cunctos, qui de grege sancto
Insanas pepulere feras, industria maior:
Maius opus, totum præstantius imbuit orbem.
Nam quocunque gradum conuertit callidus hostis,
Quaq; per ambages anceps iter egit opertas,
Huius ab occursu est præuentus, mille uiarum
Insidijs, aditum non reperientibus ullum.
Cumq; foris rabies auidorum exclusa luporum
Frenderet, inq; omnes mendacia uerteret artes,
Ne mentes ullarum ouium corrumpere posset,
Neu dubia obliquis turbaret corda querelis,
Istius ore uiri fecit Deus: istius ore
Flumina librorum mundum effluxere per omnem, D
Quæ mites humilesq; bibunt, campisq; animorum
Certant uitalis doctrinæ immittere riuos.
Iamq; procellosæ disiecto turbine noctis,
Heu noua bella, noui partus oriuntur in ipso
Securæ matris gremio: quæ crescere natis
Visa sibi, discors horret consurgere germen,
Degeneres pauitans inimico ex semine fœtus.
In quibus antè diu, specie fallente, benignus
Errarat genitricis amor: cum obducta decoris
Moribus, externæ stirpis tegeretur origo.
Sic ueris subeunt falsa, & discrimine cæco
Fronte placent, quæ fine latent. sic laudis amore,
Virtutum studium corrumpitur: atque ab honesto
Principio in uitium exitur plerunque tumoris:
Quo quidam inflantur nunc turpiter, atque perempti
Dogmatis extinctas tentant animare fauillas:
Dum libertatem arbitrij, affectumq; uolendi

In naturalis

A *In naturalis motus uirtute locantes,*
Tam bona quemque docent sectari posse suopte
Ingenio, quàm posse subest cuique in mala ferri.
*Quod qui confirmas, * qui non distabis ab illis,* *in
Qui dicunt nullo peccati uulnere læsum
Naturale bonum, cumq; illo lumine nasci
Nunc omnes homines, quod primis ingeneratum est.
An uerò excerpis quædam, quæ parte recisa
Suscipias, cordisq; sinu purgata recondas?
Dic igitur quidnam inde probes, quid uerò refutes,
Et de damnatis quid sit, quod crimine soluas.
An dextram pacis palàm dare te pudet hosti?
Nec tutum est ulla pulsos ex parte tueri
Simpliciter: quos non dubitas excludere templo,
Pelle animo: noua te discordia diuidit abs te:
Corde foues, quod ore promis: coniungere amicis
Mentibus, & tecum cupidis componere fœdus.
Lege tua iam parce nimis & congrue pactis.
Ecce pererratis terrarum finibus adsunt,
B *Implentesq; tuas lachrymosis questubus aures*
Incipiunt: pulsi mundo, nullaq; recepti
Sede uagi, tandem fama exhortante redimus,
Quæq; placent uobis amplectimur: edita nobis
Doctrinæ uestræ est pietas, nihil inficiando
Discutimus, liceat uobiscum iungere sensum.
Immortalem hominem factum si creditis, & nos
Credimus: inciderit mortem peccando, suamq;
Progeniem culpa & leto deuinxerit omnem,
Nullus non egeat sacro baptismate Christi,
Infantesq; etiam purgentur fonte lauacri:
Dum nostri decus arbitrij, lumenq; creatum
Principio, quod sponte potest insistere rectis
Manserit illæsum: nec uiribus absit ab illis,
Quas condente Deo generaliter, omnis in Adam
Suscepit natura hominis, nec suppetat ulli
De non accepta arbitrij uirtute querela:
Cùm sine delectu seu lex seu gratia Christi

Omnem hominem saluare uelit: donumq; uocantis C
Sic sit propositum, ut nullus non poßit ad illud
Libertate sua proprioq; uigore uenire:
Sitq; salus dignis saluari ex fonte uolendi:
Hæc si uestra fides, uestra est doctrina, remotis
Quæ uestro exemplo reiecimus, addite sanctis
Nos gregibus, tandemq; bonis defendite uestros.
Talia submissus si defleat hostis apud te
Quid referes? quo te affectu comperta mouebunt?
Consultas, trepidas, nutas, cunctaris, & hæres:
Quo'ue anceps se præcipitet sententia uoluis.
Iniustum est animis cognatis non dare pacem:
Et quos una fides, eadem sapientia nectit,
His communem aditum sanctorum ad sancta negare:
Iungere sed fœdus cum talibus, & uiolare
Sanctorum decreta patrum, regumq; piorum:
Scripta lege Dei leges contemnere, multum
Hostile est, nimiumq; audax & perniciosum.
Ergo Petri solum Romam & Carthaginis altæ D
Concilium repetant humiles: eademq; perorent,
Quæ frustra hic trepido sunt deplorata fauori.
Sed cùm mille senum prudentia peruigil olim,
Perspectum notumq; tenens, quòd tota nefandæ
Hæreseos summa, exigua sub parte tegatur:
De qua plena mali labes renouetur, & omne
Commenti corpus per singula membra resurgat:
Antiquas adhibentem artes reiecerit hostem,
Limitibusq; suis steterit censura salubris:
Nunquid non iustus poterit dolor abdita cordis
Rumpere, & in tales miseros exire querelas?
Vt dicant, Quænam ista patres in cordibus almis
Iustitia est? quo fine graues, quo fine seueri,
Claudere terrarum nobis persistitis orbem?
Nos'ne sumus toto mundo, quorum undiq; uobis
Sit suspecta fides? quos non tolerare queatis?
Si nostra à uestro uel syllaba dissonet ore,
Non uerbis iam nos argumentis'ue tuemur,

Iudicium

A *Iudicium extemplo petimus,quod pace manente*
Libera multorum uox adstruit,hoc sine bello
Cedatur nobis: non nostra inuenta fouemus,
Nec primis studijs insistimus. ecce recisum est,
Vnde olim certamen erat: uestrisq; reuersi
Cedimus,& quæcunque illis placuere probamus.
Quid superest culpæ,quo nos decet usque repelli?
Si uerò hæc etiam,quæ nos pia ducimus,absunt
A ueris,& uestra illis benè cura repugnat,
Cur extra inuidiam,pœnamq; erroris habentur
Quidam? nata docent,& per clara oppida tuti
His magnos implent populos,quæ nos perhibentes
Plectimur,& nulla sinimur consistere terra.
Hæc in pontificum sancto deprompta senatu,
Quam curam exigerent,& quæ decreta mouerent,
Perspicis: an quoniam culpa securus operta
Non premeris synodo,nec te pœnæ metus urget?
Spernis propositi speciem terroris,& isthæc,
B *Plena uelut uanis simulachris somnia,rides.*
Ergo gerendorum euentu,& fine remoto,
Hæc tantum in medium quæ iam sunt gesta uocemus:
Vt facilè ex illis,quale hoc sit discutiatur,
Quod disceptantes dudum in diuersa mouemur.
Inter multa suis quæ tradidit hæresiarches,
Quòd cognoscis,ait,naturam quæ bona facta est,
Nullis cum uitijs in quoquam omnino creari:
Nec cuiquam primi culpam nocuisse parentis.
Et quoniam tales nascantur,nunc quoque qualis
Ille fuit nostri generis pater ante reatum:
Posse hominem sine peccato decurrere uitam,
Si uelit,ut potuit nullo delinquere primus
Libertate sua. nempe hæc damnata fateris
Concilijs,mundiq; manu. connectit & illud
Idem autor,quòd lex ita sanctos miserit olim
Cœlorum in regnum,sicut nunc gratia mittit.
Hoc quoque iudicio sancto scis esse peremptum.
Obiectum est aliud ipsum dixisse magistrum,

Quod meritis hominum tribuatur gratia Christi, C
Quantum quisque Dei donis se fecerit aptum.
Sed nimis aduersum hoc fidei, nimiumque repugnans
Esse uidens, dixit se non ita credere: & illos
Damnari dignos quorum mens ista teneret.
Quo cernis cum iudicibus damnantibus ista
Consensisse reum: nec quenquam hæc posse tueri:
Quæ tamen ipse suis rursum excoluisse libellis
Detegitur, reprobum in sensum fallendo reuersus.
Nunc igitur, quoniam quid nostris displicuisset
Ostensum est, quàm sana fides sit uestra patescat.
Gratia qua Christi populus sumus, hoc cohibetur
Limite nobiscum: & formam hanc adscribitis illi:
Vt cunctos uocet illa quidem, inuitetque: nec ullum
Præteriens, studeat communem adferre salutem
Omnibus, & totum peccato absoluere mundum.
Sed proprio quenque arbitrio parere uocanti,
Iudicioque suo, mota se extendere mente
Ad lucem oblatam, quæ se non subtrahat illi: D
Sed cupidos recti iuuet illustretque uolentes.
Hinc adiutoris domini bonitate magistra
Crescere uirtutum studia, ut quod quisque petendum
Mandatis didicit, iugi sectetur amore.
Esse autem edoctis istam communiter æquam
Libertatem animis, ut cursum explere beatum
Persistendo queant: finem, effectumque petitum
Dante Deo, ingenijs qui nunquam desit honestis.
Sed quia non idem est cunctis uigor, & uariarum
Illecebris rerum trahitur dispersa uoluntas:
Sponte aliquos uitijs succumbere, qui potuissent
A lapsu reuocare pedem, stabilesque manere.
Iam quia summatim, ut potuit, sententia uestra
Decursa est: Dic unde probes, quòd gratia Christi
Nullum omnino hominem de cunctis qui generantur
Prætereat, cui non regnum uitamque beatam
Impertire uelit? nec enim uel tempore nostro
Omnibus in terris iam certum est insinuatum

Christi

A *Christi Euangelium: ne dicam exordia doni*
Non potuisse simul toto decurrere mundo.
Illa quidem ad cunctos ferri sunt iussa: sed uno
Tempore non agitur, quod tempore dicitur uno.
Dumq; suis aditus domino pandente ministris
Crescunt primitiæ, fuerint omnino necesse est
Quædam terrarum partes, ubi gratia nondum
Corda hominum tenebris absorpserat impietatis:
Et dira innumeri demersi nocte peribant,
Cum multæ accepto fulgerent lumine mentes.
*An bonitas diuina quidem *non destitit omnes* *tum
Velle uocare homines? sed non simul apta fuerunt
Corda, quibus possent conferri dona salutis:
Dum morum obsistit feritas truculenta magistris:
Difficilesq; aditu transcurrit gratia gentes.
Ut quoniam lucem offerri uoluisset, & ipsis
Demonstrare Deus: sua quemque aduersa uoluntas
Arguat, & culpa obstringat. quia lumine primo
B *Per uitia oppresso, sit facta indigna secundo:*
Quod si firmatur, nequicquam plectimus illos,
*Qui nullum * illatum uitium nascentibus aiunt,* *innatum
Incolumiq; omnes cum libertate creari,
Gratia quos Christi meritorum examine iusto
Eligat, & dignos uita uocet, accipiatq;.
Namque utrunque simul sapitis qui dicitis, omnes
Omnibus oblatum potuisse apprendere munus:
Naturæ quoniam non sit detracta facultas.
Nec sine iustitia pereant, qui mentis honorem
Sordibus obruerint uitiorum: ut lumen ab alto
Emissum, indigna nollet requiescere sede:
Sic quod nascendo est unum, distare uolendo:
Ut meritum ad paucos, natura spectet ad omnes.
Sed tamen hæc aliqua si uis ratione tueri,
Et credi tam stulta cupis: iam pande quid hoc sit,
Quod bonus, omnipotensq; Deus, non omnia subdit
Corda sibi, pariterq; omnes iubet esse fideles.
Nam si nemo usquam est, quem non uelit esse redemptum:

Haud dubie impletur quicquid uult summa potestas. C
Non omnes autem saluantur, magnaq́; pars est,
Quæ sedet in tenebris mortis, nec uiuificatur:
An uarij motus animorum talia gignunt?
Libertasq́; facit causam non omnibus unam?
Ergo hominis ualida arbitrio diuina uoluntas,
Aut etiam inualida est, operis cui finis in illo est.
Quem frustra iuuisse uelit, nisi præferat ille
Affectum, cuius comitetur gratia cursum.
At si dimota certandi nube, serenis
Quæ sunt uera oculis mecum intueare modeste:
Et uetera exemplis manifestis plena uidebis
Secula, & in nostro cognosces tempore multa,
Quæ doceant uirtute Dei conuersa malorum
Corda: quibus recti nihil unquam insederat, & quæ
Nullum iustitiæ signum sensum'ue gerebant.
Namque ut nunc sæuas gentes, & barbara regna,
Ignoti prius, aut spreti noua gratia Christi
Attrahit, & terra templum sibi condit in omni: D
Sic prius immites populos, urbesq́; rebelles
Vincente obstantes animos pietate, subegit:
Non hoc consilio tantum, hortatuq́; benigno
Suadens atque docens, quasi normam legis haberet
Gratia: sed mutans intus mentem, atque reformans,
Vasq́; nouum ex fracto fingens, uirtute creandi.
Non istud monitus legis, non uerba prophetæ,
Non præstata sibi præstat natura: sed unus
Quod fecit reficit. Percurrat apostolus orbem,
Prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet,
Quaq́; uiam uerbo reseratam inuenerit, intret:
Vt tamen his studijs auditor promoueatur,
Non doctor, neque discipulus, sed gratia sola
Efficit: inq́; graues adolet plantaria fructus.
Hæc semen fidei radicem adfigere menti,
Eq́; sinu cordis ualidum iubet edere germen.
Hæc maturandam segetem seruatq́;, fouetq́;,
Ne lolium, & tribuli, & uanæ dominentur auenæ:

Ne uentus

A *Ne uentus frangat, torrens trahat, æstus adurat:*
Neu cùm se nimium læta, & præfortis in altum
Extulerit, turpi procumbat strata ruina.
Et nos ista, inquit, sentimus de bonitate,
Ac uirtute Dei: quæ ni foueatq; regatq;
Quos uocat, & tutos peccato præstet ab omni,
Non sua seruabit quenquam prudentia, nec se
Perficiet solis naturæ uiribus ullus.
Sed quia iam in nobis & uelle, & nolle creatum est,
Arbitrijq; sui quò uult intendere motus
Libertas accita potest, patuitq; per aurem
Iudicio cordis, quo mundum proposuisset
Consilio seruare Deus: mens excita longum
Excutiat somnum, seq; illi subdat & aptet,
Qui cupidam & fidam promissa in gaudia ducat.
Hoc est nobiscum quod te sentire ferebas?
Hæc syncera fides, hæc Christi gratia tecum est?
Cuius opus fixo distinctum limite totum,
B *Extra hominem statuis, clausæ penitus fore mentis,*
Vixq; Deum sensus carnis permittis adire,
Per quos sumpta foris, animus dijudicet intus:
Seq; ferat, quoquo librata examina pondus
Presserit arbitrij. ueluti cum uoce loquentis,
Aut rerum actarum species quas uidimus, aut quas
Legimus, exoritur secreta cordis in aula
Nunc amor aut odium, nunc spes, metus, ira, dolorq;:
Nec tamen hos motus scriptor, narrator, & autor,
Inseuêre animo: quamuis fortè hoc quoque uellent.
Sed de perceptis mens iudex sponte mouetur,
Et pro more suo, quantum se exercuit istis,
Transit in affectum quem confirmauerit ex se,
Illa uolendo sequens, istis nolendo resistens.
At uerò omnipotens hominem cum gratia saluat,
Ipsa suum consummat opus: cui tempus agendi
Semper adest quæ gesta uelit, non moribus illi
Fit mora, non caussis anceps suspenditur ullis.
Nec quod sola potest, cura officioq; ministri

Exequitur: famulis'ue uicem committit agendi. C
Qui quamuis multa admoueant mandata uocantis,
Pulsant, non intrant animas. Deus ergo sepultos
Suscitat, & soluit peccati compede uinctos.
Ille obscuratis dat cordibus intellectum:
Ille ex iniustis iustos facit, indit amorem
Quo redametur amans: & amor quem conferit, ipse est.
Hunc itaque affectum, quo sumunt mortua uitam,
Quo tenebræ fiunt lumen, quo immunda nitescunt,
Quo stulti sapere incipiunt, ægriq; ualescunt:
Nemo alij dat, nemo sibi. non littera legis,
Nec naturalis sapientia, quæ semel acta
In præceps, labi nouit, consurgere nescit.
Et licet eximias studeat pollere per artes,
Ingeniumq; bonum generosis moribus ornet:
Cæca tamen finem ad mortis per deuia currit,
Nec uitæ æternæ ueros acquirere fructus
De falsa uirtute potest: unamq; decoris
Occidui speciem, mortali perdit in æuo. D
Omne etenim probitatis opus, nisi semine ueræ
Exoritur fidei, peccatum est, inq; reatum
Vertitur, & sterilis cumulat sibi gloria pœnam.
Vsque adeò donum est quod credimus: & data gratis
Gratia, non merita ditat mercede uocatos:
Nec iustorum operum discernit facta, sed omnes
Sola ex immundis mundos facit: utq; legentem
Lectus amet, non hoc studio, sed munere sumit.
Nam si spectatrix meritorum est gratia, & illis
Se tribuit, quorum est animus purgatior, & quos
Per libertatem arbitrij sibi repperit aptos:
Insontes tantum iustosq; adsumere solos
Debuit, & ueri cupidos, ac recta uolentes.
Peruersos autem, & scelerum assuetudine turpes,
Deturbare procul: lucemq; negare tenebris.
Atqui saluator mundi non præmia iustis
Soluere, nec sanis uenit conferre medelam:
Sed quod dispersum exciderat, fractum atque iacebat,

Quærere:

A *Quærere: & inuentum reparare, ac reddere curæ.*
Denique ne quisquam ex morum splendore putetur
Censeri, aut fidei merito ad bona summa uocari,
Ceu non diuino sit munere mentibus ipsa
Inspirata fides. recole innumerabile uulgus
Retro senum, & iuuenum, qui cæca turpiter usi
Libertate animi, per cultus dæmoniorum,
Per magicas artes, per amorem rapta tenendi,
Per stupra, per cædes uitam duxere nefandam:
Et tamen incumbente obitu, iam limite in ipso
Extremi flatus, miserantem nocte remota
Cognouere Deum: purgatorisq; lauacri
Munere, nulla mali linquentis signa prioris,
Exempti mundo mutarunt tartara cælo.
Quæ merita hic numeras, si præcedentia cernas?
Impia, si quæris, post addita nulla fuerunt.
Si uerò merito ascribis, uoluisse renasci,
Nempe utero fidei parta est tam recta uoluntas.
B *Porrò fidem quis dat, nisi gratia? sic bene uelle*
Gratia dat, tribuendo fidem, quæ credita poscat,
Quæq; uoluntatis meritum creet, ipsaq; solo
Nascatur spirante Deo, mentemq; reformans,
De cinere algenti sopitum suscitet ignem.
Ergo uoluntatis genitrix, operumq; creatrix
Non est ex merito: quoniam quod non fit ab illa,
Non bene fit. quem non recto uia limite ducit,
Quanto plus graditur, tanto longinquius errat.
Siue igitur meritum, credens existere posse
Ante fidem, donas uirtutibus impietatis:
Siue illam uis esse tuam, non munere dantis
Sumptam, sed genitam de libertate uolendi:
Nullam habet in uobis saluatrix gratia sedem,
Inflato exclusa arbitrio, quod fronte superba
Erigitis, spatio ut grauius maiore ruatis.
Diuinorum operum quòd ponitis in redimendis
Principium: mandata Dei facere ante lauacrum,
Nosse & amare Deum, promissis credere Christi,

Quærere

Quærere, pulsare, & petere, proprium omnibus esse C
Asseritis, qui se studeant aptare uocanti.
An'ne ab aquis diuina manus renouare receptos
Incipit? & uitæ causa est sua cuique uoluntas?
Vt merces operum sit gratia, iudiciumque
De pretio, quo, quod donum perhibetur, ematur?
An uerò auxilium uerbo Deus incboat, & se
Voce ministrorum mundo declarat in omni?
Vt pulsante aures sermone, illecta uoluntas
Iudicio præcurrat opem, nec gratia iam sit
Gratia: quæ legis fungens uice, iure monentis
Solùm agat: atque agro cum plantatore ministret,
Terraque seminibus det, non Deus, incrementum:
Vbere seu glebæ subsistat, & arte colentis
Exortura seges: neque quicquam cordis in aruo
Præsulcet diuina manus, quo temperet æquor
Edomitum, faciatque satis gaudere nouales.
Talibus adsumptis inimico ex dogmate, non'ne
Perspicuum est, quantum damnatos confoueatis, D
Dum cuique ad ueræ capienda exordia uitæ
Naturam affectum fidei conferre docetis?
Dumque aliud non est uobiscum gratia, quàm lex,
Quamque propheta monens, & quàm doctrina ministri.
Scilicet ut tale arbitrium generaliter insit
Semine damnato genitis in corpore mortis:
Quale habuit, nondum peccati lege subactus,
Primus homo: & nullum in prolem de uulnere uulnus
Transierit, nisi corpoream per conditionem:
Quæ sic exterius respondeat, ut nihil intus
Imminuat, teneatque suum substantia mentis
Splendorem, & nulla pœnali nocte prematur.
Addite quod superest tumidi, ruituraque uani
Congerite, & caussis causas aptate sequentes.
Et quia nil primæ perijt uirtutis apud uos,
Dicite ab illæsis animis procedere ueram
Iustitiam, regno dignam cœloque locandam:
Et frustra Christus sit mortuus edite, multos

A *Arte & sponte sua sanctos ab origine mundi*
Absque Deo placuisse Deo: decretaq; legis
Tunc data, cùm peior mos, & corruptior ætas
Terrore instanti, & formidine mortis egeret.
Dicite plectentes apices, mortisq; ministros
Hoc explesse operis, quod gratia uiuificatrix.
Nunc agite, & quoniam fuerit sine lege uoluntas
Libera, quam scripti munibat pagina cordis:
Sic uitam æternam adquiri potuisse, uacante
Hac ope, quæ legem supereminet: ut sine lege
Ex naturali potuit uirtute capeßi?
Nunc autem studijs uergentibus in mala multa
Creuisse auxilium: non quo cessante salutem
Non caperet per difficiles natura labores:
Sed quo conatus operum, effectusq; iuuante,
Propositam citius ferret mens libera palmam.
Dicite, cùm infantes reuouantur, non renouari
Insontes animas: & sola carne renasci
B *Exterius lotos, non existentibus illis*
Interius maculis. quoniam licet edere rectæ
Signa uoluntatis nequeant: tamen hoc magis omni
Sorde uacent, super autoris quòd conditionem
De proprio nihil addiderint, quod fons aboleret.
Hæc si non uestris spirant de cordibus, & uos
Non cum damnatis eadem ratis extulit alto
Mergendos pelago, summittite uela tumoris,
Nobiscumq; humiles placido consistite portu.
Edite constanter naturæ uulnera uictæ,
Exutam uirtute animam, cæcataq; cordis
Lumina, & in pœnam propriam iaculis superatis* *superantis
Armatum arbitrium nunquam consurgere posse:
Inq; nouos lapsus semper nitendo reuolui:
Cui sua sit laqueus sapientia, morsq; subactum
Detineat: nisi uera salus ex munere Christi
Adsit, & oppressam dignetur gratia mentem.
An uestrum sublimem animum pudet ista fateri,
Ne sub tam multis morbis sit uilior æger?

Cum

Addita, perfugium lapsis generaliter in se C
Condiderit, sacro si uellent fonte nouari:
Vt sponte attractum uenia soluente reatum,
Sponte sua in uires proprias natura rediret:
Quoq; per errores esset spoliata uigore,
Hunc seruare semel posset purgata receptum.
Tam diues uerò hoc donum baptismatis esset,
Et tam multa homini conferri fœdere in isto,
Vt paruis, etiam uitioq; carentibus omni
Congruat, ut qui sunt geniti bene, sint meliores,
Naturæq; bonum adiecto illustretur honore.
Nullum autem ex cunctis exortem muneris huius,
Iudicio genitum esse Dei: sed quemq; mereri
Libertate sua, ut capiat promissa uocantis:
Quæ sint auersis indebita, debita rectis.
Talia cum demens latè diffunderet error,
Commentisq; rudes traheret letalibus aures,
Adfuit exhortante Deo prouisa per orbem
Sanctorum pia cura patrum, non dispare motu D
Conficiens diros iaculis cœlestibus hostes.
Hisdem nanque simul decretis, spiritus unus
Intonuit, pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri: quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non poßidet armis,
Relligione tenet. non segnior inde Orientis
Rectorum cura emicuit: captumq; nefandi
Dogmatis autorem constrinxit lege benigna
Commentum damnare suum: nisi corpore Christi
Abiungi, & sancto mallet grege dissociari.
Lene quidem hoc, nimiumq; malos tolerasse uidetur
Iudicium, sed sancta fides examine in illo
Vicit oborturam diro de semine prolem.
Prospectum nanque est, diuino & munere cautum,
Vt licet instantem declinans bestia pœnam,
Perfidiæ secum sensus tenuisset eosdem:
Ipsa tamen proprium germen damnando necaret:
Ore malam extinguens sobolem, quam protulit ore.

Tunc

A *Tunc etiam Bethlei præclari nominis hoſpes,*
Hebræo ſimul & Graio, Latioq; uenuſtus
Eloquio, morum exemplum, mundiq; magiſter
Hieronymus libris ualde excellentibus hoſtem
Diſſecuit: noſciq; dedit, quo turbine ueram
Vellent exortæ lucem obſcurare tenebræ.
Quid loquar & curam magna quam geſsit in urbe
Conſtantinopoli, docto bonus ore ſacerdos
Atticus, antiqua legatos hæreticorum
Confutando fide? de qua tunc impia corda
Quamuis ſe obducto tegerent uelamine forma,
Iudicij & tacitæ tulerint tormenta repulſæ.
Prætereo quanto fuerit bene mota tumultu
Clara Epheſos, non paſſa ſuis conſiſtere tectis
Vaſa iræ, & morbi flatus, & ſemina mortis:
Quaq; fide tellus etiam Trinacria feruens,
Agmen uipereum proprijs exegerit oris.
Tu cauſam fidei flagrantius Africa noſtræ
B *Exequeris: tecumq; ſuum iungente uigorem*
Iuris apoſtolici ſolio, fera uiſcera belli
Conficis, & lato proſternis limite uictos.
Conuenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoq; ſenum celeberrima cœtu,
Decernis quod Roma probet, quod regna ſequantur.
Nec ſola eſt illic ſynodorum exerta poteſtas,
Ceu quos non poſſent ratione euincere noſtri,
Vi premerent: diſcuſſæ artes, uiruſq; retectum eſt
Hæretici ſenſus: nullumq; omnino relictum,
Docta fides quod non diſſolueret argumentum.
Condita ſunt, & ſcripta manent, quæ de cataractis
Aeterni fontis fluxere undante meatu,
Et tercentenis procerum ſunt edita linguis.
Sic moderante ſuam legem bonitate ſeuera,
Vt qui damnato uellent de errore reuerti,
Acciperent pacem, pulſis quæ praua tenerent.
An alium in finem poſſet procedere ſanctum
Concilium, cui dux Aurelius ingeniumq;

Anguſtinus

Augustinus erat: quem Christi gratia cornu C
Vberiore rigans, nostro lumen dedit æuo,
Accensum uero de lumine: nam cibus illi,
Et uita, & requies, Deus est: omnisq; uoluptas
Vnus amor Christi est, unus Christi est honor illi:
Et dum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia: & in sancto regnat sapientia templo.
Istius ergo inter cunctos, qui de grege sancto
Insanas pepulere feras, industria maior:
Maius opus, totum præstantius imbuit orbem.
Nam quocunque gradum conuertit callidus hostis,
Quaq; per ambages anceps iter egit opertas,
Huius ab occursu est præuentus, mille uiarum
Insidijs, aditum non reperientibus ullum.
Cumq; foris rabies auidorum exclusa luporum
Frenderet, inq; omnes mendacia uerteret artes,
Ne mentes ullarum ouium corrumpere posset,
Neu dubia obliquis turbaret corda querelis,
Istius ore uiri fecit Deus: istius ore
Flumina librorum mundum effluxere per omnem, D
Quæ mites humilesq; bibunt, campisq; animorum
Certant uitalis doctrinæ immittere riuos.
Iamq; procellosæ disiecto turbine noctis,
Heu noua bella, noui partus oriuntur in ipso
Securæ matris gremio: quæ crescere natis
Visa sibi, discors horret consurgere germen,
Degeneres pauitans inimico ex semine fœtus.
In quibus antè diu, specie fallente, benignus
Errarat genitricis amor: cum obducta decoris
Moribus, externæ stirpis tegeretur origo.
Sic ueris subeunt falsa, & discrimine cæco
Fronte placent, quæ fine latent. sic laudis amore,
Virtutum studium corrumpitur: atque ab honesto
Principio in uitium exitur plerunque tumoris:
Quo quidam inflantur nunc turpiter, atque perempti
Dogmatis extinctas tentant animare fauillas:
Dum libertatem arbitrij, affectumq; uolendi

In naturalis

A *In naturalis motus uirtute locantes,*
Tam bona quemque docent sectari posse suopte
Ingenio, quàm posse subest cuique in mala ferri.
*Quod qui confirmas, * qui non distabis ab illis,* *tu
Qui dicunt nullo peccati uulnere læsum
Naturale bonum, cumq; illo lumine nasci
Nunc omnes homines, quod primis ingeneratum est.
An uerò excerpis quædam, quæ parte recisa
Suscipias, cordisq; sinu purgata recondas?
Dic igitur quidnam inde probes, quid uerò refutes,
Et de damnatis quid sit, quod crimine soluas.
An dextram pacis palàm dare te pudet hosti?
Nec tutum est ulla pulsos ex parte tueri
Simpliciter: quos non dubitas excludere templo,
Pelle animo: noua te discordia diuidit abs te:
Corde foues, quod ore premis: coniungere amicis
Mentibus, & tecum cupidis componere fœdus.
Lege tua iam parce nimis & congrue pactis.
Ecce pererratis terrarum finibus adsunt,
B *Implentesq; tuas lachrymosis questubus aures*
Incipiunt: pulsi mundo, nullaq; recepti
Sede uagi, tandem fama exhortante redimus,
Quæq; placent uobis amplectimur: edita nobis
Doctrinæ uestræ est pietas, nihil inficiando
Discutimus, liceat uobiscum iungere sensum.
Immortalem hominem factum si creditis, & nos
Credimus: inciderit mortem peccando, suamq;
Progeniem culpa & leto deuinxerit omnem,
Nullus non egeat sacro baptismate Christi,
Infantesq; etiam purgentur fonte lauacri:
Dum nostri decus arbitrij, lumenq; creatum
Principio, quod sponte potest insistere rectis
Manserit illæsum: nec uiribus absit ab illis,
Quas condente Deo generaliter, omnis in Adam
Suscepit natura hominis, nec suppetat ulli
De non accepta arbitrij uirtute querela:
Cùm sine delectu seu lex seu gratia Christi

Omnem hominem saluare uelit: donumq; uocantis C
Sic sit propositum, ut nullus non posit ad illud
Libertate sua proprioq; uigore uenire:
Sitq; salus dignis saluari ex fonte uolendi:
Hæc si uestra fides, uestra est doctrina, remotis
Quæ uestro exemplo reiecimus, addite sanctis
Nos gregibus, tandemq; bonis defendite uestros.
Talia submissus si defleat hostis apud te
Quid referes? quo te affectu comperta mouebunt?
Consultas, trepidas, nutas, cunctaris, & hæres:
Quo'ue anceps se præcipitet sententia uoluis.
Iniustum est animis cognatis non dare pacem:
Et quos una fides, eadem sapientia nectit,
His communem aditum sanctorum ad sancta negare:
Iungere sed fœdus cum talibus, & uiolare
Sanctorum decreta patrum, regumq; piorum:
Scripta lege Dei leges contemnere, multum
Hostile est, nimiumq; audax & perniciosum.
Ergo Petri solum Romam & Carthaginis altæ D
Concilium repetant humiles: eademq; perorent,
Quæ frustra hic trepido sunt deplorata fauori.
Sed cùm mille senum prudentia peruigil olim,
Perspectum notumq; tenens, quòd tota nefandæ
Hæreseos summa, exigua sub parte tegatur:
De qua plena mali labes renouetur, & omne
Commenti corpus per singula membra resurgat:
Antiquas adhibentem artes reiecerit hostem,
Limitibusq; suis steterit censura salubris:
Nunquid non iustus poterit dolor abdita cordis
Rumpere, & in tales miseros exire querelas?
Vt dicant, Quænam ista patres in cordibus almis
Iustitia est? quo fine graues, quo fine seueri,
Claudere terrarum nobis persistitis orbem?
Nos'ne sumus toto mundo, quorum undiq; uobis
Sit suspecta fides? quos non tolerare queatis?
Si nostra à uestro uel syllaba dissonet ore,
Non uerbis iam nos argumentis'ue tuemur,

Iudicium

A *Iudicium extemplo petimus, quod pace manente*
Libera multorum uox adstruit, hoc sine bello
Cedatur nobis: non nostra inuenta fouemus,
Nec primis studijs insistimus. ecce recisum est,
Vnde olim certamen erat: uestrisq́ reuersi
Cedimus, & quæcunque illis placuere probamus.
Quid superest culpæ, quo nos decet usque repelli?
Si uerò hæc etiam, quæ nos pia ducimus, absunt
A ueris, & uestra illis benè cura repugnat,
Cur extra inuidiam, pœnamq́ erroris habentur
Quidam? nata docent, & per clara oppida tuti
His magnos implent populos, quæ nos perhibentes
Plectimur, & nulla sinimur consistere terra.
Hæc in pontificum sancto deprompta senatu,
Quam curam exigerent, & quæ decreta mouerent,
Perspicis: an quoniam culpa securus operta
Non premeris synodo, nec te pœnæ metus urget?
Spernis propositi speciem terroris, & istbæc,
B *Plena uelut uanis simulacbris somnia, rides.*
Ergo gerendorum euentu, & fine remoto,
Hæc tantum in medium quæ iam sunt gesta uocemus:
Vt facilè ex illis, quale hoc sit discutiatur,
Quod disceptantes dudum in diuersa mouemur.
Inter multa suis quæ tradidit hæresiarches,
Quòd cognoscis, ait, naturam quæ bona facta est,
Nullis cum uitijs in quoquam omnino creari:
Nec cuiquam primi culpam nocuisse parentis.
Et quoniam tales nascantur, nunc quoque qualis
Ille fuit nostri generis pater ante reatum:
Posse hominem sine peccato decurrere uitam,
Si uelit, ut potuit nullo delinquere primus
Libertate sua. nempe hæc damnata fateris
Concilijs, mundiq́ manu. connectit & illud
Idem autor, quòd lex ita sanctos miserit olim
Cœlorum in regnum, sicut nunc gratia mittit.
Hoc quoque iudicio sancto scis esse peremptum.
Obiectum est aliud ipsum dixisse magistrum,

 Quòd

A *Christi Euangelium: ne dicam exordia doni*
Non potuisse simul toto decurrere mundo.
Illa quidem ad cunctos ferri sunt iussa: sed uno
Tempore non agitur, quod tempore dicitur uno.
Dumq; suis aditus domino pandente ministris
Crescunt primitiæ, fuerint omnino necesse est
Quædam terrarum partes, ubi gratia nondum
Corda hominum tenebris absorpserat impietatis:
Et dira innumeri demersi nocte peribant,
Cum multæ accepto fulgerent lumine mentes.
*An bonitas diuina quidem *non destitit omnes* *tum
Velle uocare homines? sed non simul apta fuerunt
Corda, quibus possent conferri dona salutis:
Dum morum obsistit feritas truculenta magistris:
Difficilesq; aditu transcurrit gratia gentes.
Vt quoniam lucem offerri uoluisset, & ipsis
Demonstrare Deus: sua quemque aduersa uoluntas
Arguat, & culpa obstringat. quia lumine primo
B *Per uitia oppresso, sit facta indigna secundo:*
Quod si firmatur, nequicquam plectimus illos,
*Qui nullum * illatum uitium nascentibus aiunt,* *innatum
Incolumiq; omnes cum libertate creari,
Gratia quos Christi meritorum examine iusto
Eligat, & dignos uita uocet, accipiatq;.
Namque utrunque simul sapitis qui dicitis, omnes
Omnibus oblatum potuisse apprendere munus:
Naturæ quoniam non sit detracta facultas.
Nec sine iustitia pereant, qui mentis honorem
Sordibus obruerint uitiorum: ut lumen ab alto
Emissum, indigna nollet requiescere sede:
Sic quod uascendo est unum, distare uolendo:
Vt meritum ad paucos, natura spectet ad omnes.
Sed tamen hæc aliqua si uis ratione tueri,
Et credi tam stulta cupis: iam pande quid hoc sit,
Quod bonus, omnipotensq; Deus, non omnia subdit
Corda sibi, pariterq; omnes iubet esse fideles.
Nam si nemo usquam est, quem non uelit esse redemptum:

Haud dubie impletur quicquid uult summa potestas. C
Non omnes autem saluantur, magnaq; pars est,
Quae sedet in tenebris mortis, nec uiuificatur:
An uarij motus animorum talia gignunt?
Libertasq; facit causam non omnibus unam?
Ergo hominis ualida arbitrio diuina uoluntas,
Aut etiam inualida est, operis cui finis in illo est.
Quem frustra iuuisse uelit, nisi praeferat ille
Affectum, cuius comitetur gratia cursum.
At si dimota certandi nube, serenis
Quae sunt uera oculis mecum intueare modeste:
Et uetera exemplis manifestis plena uidebis
Secula, & in nostro cognosces tempore multa,
Quae doceant uirtute Dei conuersa malorum
Corda: quibus recti nihil unquam insederat, & quae
Nullum iustitiae signum sensum'ue gerebant.
Namque ut nunc saeuas gentes, & barbara regna,
Ignoti prius, aut spreti noua gratia Christi
Attrahit, & terra templum sibi condit in omni: D
Sic prius immites populos, urbesq; rebelles
Vincente obstantes animos pietate, subegit:
Non hoc consilio tantum, hortatuq; benigno
Suadens atque docens, quasi normam legis haberet
Gratia: sed mutans intus mentem, atque reformans,
Vasq; nouum ex fracto fingens, uirtute creandi.
Non istud monitus legis, non uerba prophetae,
Non praestata sibi praestat natura: sed unus
Quod fecit reficit. Percurrat apostolus orbem,
Praedicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet,
Quaq; uiam uerbo reseratam inuenerit, intret:
Vt tamen his studijs auditor promoueatur,
Non doctor, neque discipulus, sed gratia sola
Efficit: inq; graues adolet plantaria fructus.
Haec semen fidei radicem adfigere menti,
Eq; sinu cordis ualidum iubet edere germen.
Haec maturandam segetem seruatq; fouetq;,
Ne lolium, & tribuli, & uanae dominentur auenae:

Ne uentus

A *Ne uentus frangat, torrens trahat, æstus adurat:*
Neu cùm se nimium læta, & præfortis in altum
Extulerit, turpi procumbat strata ruina.
Et nos ista, inquit, sentimus de bonitate,
Ac uirtute Dei: quæ ni foueatq; regatq;
Quos uocat, & tutos peccato præstet ab omni,
Non sua seruabit quenquam prudentia, nec se
Perficiet solis naturæ uiribus ullus.
Sed quia iam in nobis & uelle, & nolle creatum est,
Arbitrijq; sui quò uult intendere motus
Libertas accita potest, patuitq; per aurem
Iudicio cordis, quo mundum proposuisset
Consilio seruare Deus: mens excita longum
Excutiat somnum, seq; illi subdat & aptet,
Qui cupidam & fidam promissa in gaudia ducat.
Hoc est nobiscum quod te sentire ferebas?
Hæc syncera fides, hæc Christi gratia tecum est?
Cuius opus fixo distinctum limite totum,
B *Extra hominem statuis, clausæ penitus fore mentis,*
Vixq; Deum sensus carnis permittis adire,
Per quos sumpta foris, animus dijudicet intus:
Seq; ferat, quoquo librata examina pondus
Presserit arbitrij. ueluti cum uoce loquentis,
Aut rerum actarum species quas uidimus, aut quas
Legimus, exoritur secreta cordis in aula
Nunc amor aut odium, nunc spes, metus, ira, dolorq;:
Nec tamen hos motus scriptor, narrator, & autor,
Inseuêre animo: quamuis fortè hoc quoque uellent.
Sed de perceptis mens iudex sponte mouetur,
Et pro more suo, quantum se exercuit istis,
Transit in affectum quem confirmauerit ex se,
Illa uolendo sequens, istis nolendo resistens.
At uerò omnipotens hominem cum gratia saluat,
Ipsa suum consummat opus: cui tempus agendi
Semper adest quæ gesta uelit, non moribus illi
Fit mora, non causis anceps suspenditur ullis.
Nec quod sola potest, cura officioq; ministri

 Exequitur:

Exequitur: famulis'ue uicem committit agendi. C
Qui quamuis multa admoueant mandata uocantis,
Pulsant, non intrant animas. Deus ergo sepultos
Suscitat, & soluit peccati compede uinctos.
Ille obscuratis dat cordibus intellectum:
Ille ex iniustis iustos facit, indit amorem
Quo redametur amans: & amor quem conserit, ipse est.
Hunc itaque affectum, quo sumunt mortua uitam,
Quo tenebræ fiunt lumen, quo immunda nitescunt,
Quo stulti sapere incipiunt, ægriq; ualescunt:
Nemo alij dat, nemo sibi. non littera legis,
Nec naturalis sapientia, quæ semel acta
In præceps, labi nouit, consurgere nescit.
Et licet eximias studeat pollere per artes,
Ingeniumq; bonum generosis moribus ornet:
Cæca tamen finem ad mortis per deuia currit,
Nec uitæ æternæ ueros acquirere fructus
De falsa uirtute potest: unamq; decoris
Occidui speciem, mortali perdit in æuo. D
Omne etenim probitatis opus, nisi semine ueræ
Exoritur fidei, peccatum est, inq; reatum
Vertitur, & sterilis cumulat sibi gloria pœnam.
Vsque adeò donum est quod credimus: & data gratis
Gratia, non merita ditat mercede uocatos:
Nec iustorum operum discernit facta, sed omnes
Sola ex immundis mundos facit: utq; legentem
Lectus amet, non hoc studio, sed munere sumit.
Nam si spectatrix meritorum est gratia, & illis
Se tribuit, quorum est animus purgatior, & quos
Per libertatem arbitrij sibi repperit aptos:
Insontes tantum iustosq; adsumere solos
Debuit, & ueri cupidos, ac recta uolentes.
Peruersos autem, & scelerum assuetudine turpes,
Deturbare procul: lucemq; negare tenebris.
Atqui saluator mundi non præmia iustis
Soluere, nec sanis uenit conferre medelam:
Sed quod dispersum exciderat, fractum atque iacebat,

Quærere:

A *Quærere: & inuentum reparare, ac reddere curæ.*
Denique ne quisquam ex morum splendore putetur
Censeri, aut fidei merito ad bona summa uocari,
Ceu non diuino sit munere mentibus ipsa
Inspirata fides. recole innumerabile uulgus
Retro senum, & iuuenum, qui cæca turpiter usi
Libertate animi, per cultus dæmoniorum,
Per magicas artes, per amorem rapta tenendi,
Per stupra, per cædes uitam duxere nefandam:
Et tamen incumbente obitu, iam limite in ipso
Extremi flatus, miserantem nocte remota
Cognouere Deum: purgatorisq; lauacri
Munere, nulla mali linquentis signa prioris,
Exempti mundo mutarunt tartara cælo.
Quæ merita hic numeras, si præcedentia cernas?
Impia, si quæris, post addita nulla fuerunt.
Si uero merito ascribis, uoluisse renasci,
Nempe utero fidei parta est tam recta uoluntas.
B *Porro fidem quis dat, nisi gratia? sic bene uelle*
Gratia dat, tribuendo fidem, quæ credita poscat,
Quæq; uoluntatis meritum creet, ipsaq; solo
Nascatur spirante Deo, mentemq; reformans,
De cinere algenti sopitum suscitet ignem.
Ergo uoluntatis genitrix, operumq; creatrix
Non est ex merito: quoniam quod non fit ab illa,
Non bene fit. quem non recto uia limite ducit,
Quanto plus graditur, tanto longinquius errat.
Siue igitur meritum, credens existere posse
Ante fidem, donas uirtutibus impietatis:
Siue illam uis esse tuam, non munere dantis
Sumptam, sed genitam de libertate uolendi:
Nullam habet in uobis saluatrix gratia sedem,
Inflato exclusa arbitrio, quod fronte superba
Erigitis, spatio ut grauius maiore ruatis.
Diuinorum operum quod ponitis in redimendis
Principium: mandata Dei facere ante lauacrum,
Nosse & amare Deum, promissis credere Christi,

Quærere

Quærere, pulsare, & petere, proprium omnibus esse C
Asseritis, qui se studeant aptare uocanti.
An'ne ab aquis diuina manus renouare receptos
Incipit? & uitæ causa est sua cuiq; uoluntas?
Vt merces operum sit gratia, iudiciumq;
De pretio, quo, quod donum perhibetur, ematur?
An uerò auxilium uerbo Deus incboat, & se
Voce ministrorum mundo declarat in omni?
Vt pulsante aures sermone, illecta uoluntas
Iudicio præcurrat opem, nec gratia iam sit
Gratia: quæ legis fungens uice, iure monentis
Solùm agat: atque agro cum plantatore ministret,
Terraq; seminibus det, non Deus, incrementum:
Vbere seu glebæ subsistat, & arte colentis
Exortura seges: neque quicquam cordis in aruo
Præsulcet diuina manus, quo temperet æquor
Edomitum, faciatq; satis gaudere nouales.
Talibus adsumptis inimico ex dogmate, non'ne
Perspicuum est, quantum damnatos confoueatis, D
Dum cuique ad ueræ capienda exordia uitæ
Naturam affectum fidei conferre docetis?
Dumq; aliud non est uobiscum gratia, quàm lex,
Quamq; propheta monens, & quàm doctrina ministri.
Scilicet ut tale arbitrium generaliter insit
Semine damnato genitis in corpore mortis:
Quale habuit, nondum peccati lege subactus,
Primus homo: & nullum in prolem de uulnere uulnus
Transierit, nisi corpoream per conditionem:
Quæ sic exterius respondeat, ut nihil intus
Imminuat, teneatq; suum substantia mentis
Splendorem, & nulla pœnali nocte prematur.
Addite quod superest tumidi, ruituraq; uani
Congerite, & causis causas aptate sequentes.
Et quia nil primæ perijt uirtutis apud uos,
Dicite ab illæsis animis procedere ueram
Iustitiam, regno dignam cœloq; locandam:
Et frustra Christus sit mortuus edite, multos

A *Arte & sponte sua sanctos ab origine mundi*
Absque Deo placuisse Deo: decretaq; legis
Tunc data, cùm peior mos, & corruptior ætas
Terrore instanti, & formidine mortis egeret.
Dicite plectentes apices, mortisq; ministros
Hoc explesse operis, quod gratia uiuificatrix.
Nunc agite, & quoniam fuerit sine lege uoluntas
Libera, quam scripti munibat pagina cordis:
Sic uitam æternam adquiri potuisse, uacante
Hac ope, quæ legem supereminet: ut sine lege
Ex naturali potuit uirtute capeßi?
Nunc autem studijs uergentibus in mala multa
Creuisse auxilium: non quo cessante salutem
Non caperet per difficiles natura labores:
Sed quo conatus operum, effectusq; iuuante,
Propositam citius ferret mens libera palmam.
Dicite, cùm infantes renouantur, non renouari
Insontes animas: & sola carne renasci
B *Exterius lotos, non existentibus illis*
Interius maculis. quoniam licet edere rectæ
Signa uoluntatis nequeant: tamen hoc magis omni
Sorde uacent, super autoris quòd conditionem
De proprio nihil addiderint, quod fons aboleret.
Hæc si non uestris spirant de cordibus, & uos
Non cum damnatis eadem ratis extulit alto
Mergendos pelago, summittite uela tumoris,
Nobiscumq; humiles placido consistite portu.
Edite constanter naturæ uulnera uictæ,
Exutam uirtute animam, cæcataq; cordis
Lumina, & in pœnam propriam iaculis superatis* *superantis
Armatum arbitrium nunquam consurgere posse:
Inq; nouos lapsus semper nitendo reuolui:
Cui sua sit laqueus sapientia, morsq; subactum
Detineat: nisi uera salus ex munere Christi
Adsit, & oppressam dignetur gratia mentem.
An uestrum sublimem animum pudet ista fateri,
Ne sub tam multis morbis sit uilior æger?

Cum

Cum nihil ex omni maiorum dote superfit, C
Quo medici mereatur opem, & mercede ualescat.
Ergo in castra gradum reuocate hostilia, & illis
Addite uos, quorum ingenio & fallacibus armis
Luditis, eiusdem uibrantes spicula linguæ.
Exultate bonis naturæ, & mentis honorem
*illæsum Omnibus à seclis * illapsum stare docete.
Neu uos in totum retegatis dogmate nudo,
Corporeo tantum decurrere tramite pœnam
Peccati perhibete animis, nihil imminuentem:
Vulnere transfixos absoluite, crimine & ipsam
Iustitiam accusate Dei, transire fluentis
Supplicium, quo non ultis transire reatum.
Sed non iniustus Deus est, manifestaq; Pauli
Vox docet, uno omnes homines cecidisse ruente:
In quo tota simul series prostrata nepotum
Deperijt, nec habet quisquam quo surgere posit
Ad uitam, sacro nisi rursum nascitur ortu.
Quotquot enim summo iustos numeratis ab æuo, D
Hac ope non dubium est saluatos: quam modo toto
Latius omnipotens exercet gratia mundo.
Hæc, sicut dictum est, non iudex est meritorum:
Quæ nisi plena malis non inuenit: & nisi donet
Quæ bona sunt, nihil efficiet bene cæca uoluntas.
Hæc ut cuiusquam studio affectuq; petatur,
Ipsa agit, & cunctis dux est uenientibus ad se:
Perq; ipsam nisi curratur, non itur ad ipsam.
Ergo ad iter pariter ferimur. sine lumine lumen
Nemo uidet: uitam sine uita inquirere mors est.
Hic uanam insano profertis corde querelam,
Omne opus arbitrij sublatum uociferantes,
Currere currentum, si non & uelle uolentum est,
Nec uitijs pœnam deberi, aut præmia laudi,
Si uel naturam obstrictam mala uelle necesse est,
Vel nostro ascribi nequeunt bene gesta labori.
Nunquid non eadem sapiunt, eademq; perorant
Vestri illi quorum ructatis uerba magistri?

Sed quia

A *Sed quia consimili cognata superbia questu*
Prosilit, & uobis nunc respondetur, & illis:
Inuiolata Dei quondam & sublimis imago,
In primo cuncti fuimus patre: dum nemore almo
Degit, & edicto parens cauet arbore ab una.
At postquam rupta mandati lege, superbum
Consilium mixtum inuidiæ de fonte recepit,
Corruit: & cuncti simul in genitore cadente
Corruimus, transcurrit enim uirosa per omnes
Peccati ebrietas, corrupti & cordis in aluo
Persistit, cruda feruet carbunculus esca.
Hinc animi uigor obtusus, caligine tetra
Induitur, nec fert diuinæ fulgura lucis
Lumen iners, hinc arbitrium per deuia lapsum
Claudicat, & cæcis conatibus inq; ligatis
Motus inest: non error abest. manet ergo uoluntas
Semper amans aliquid quo se ferat: & labyrintho
Fallitur, ambages dubiarum ingressa uiarum.
Vana cupit, uanis tumet & timet: omnimodaq;
B *Mobilitate ruens, in uulnera uulnere surgit.*
Hoc itaque arbitrium cum sanat gratia, tolli
Dicitis: & perimi uita aspirante putatis.
Quid mirum rabido si corde phreneticus æger
Morbum amat, & pellit medicum? cognoscite tandem
Antiqui commenta doli: & desuescite captas
Aures uipereo rursum præbere susurro.
Parcite de fractis præcerpere noxia poma
Arbitrij ramis. non hæc uos esca reformat,
Nec speciem angelici nutrit cibus iste decoris:
Sed uetitorum auidos, & tetra bile tumentes,
De fastiditæ procul abripit arbore uitæ:
Huius ope & fructu uescendum est, ut reualescens
Languida mens, etiam proprijs benè uiribus uti
Possit: & in Christo inueniat, quod perdidit in se.
Non igitur, quisquis terreni ueste parentis
Exueris, priscum naturæ perdis honorem,
Sed recipis: sic adquirens quibus antè carebas,

Vt tua sint, si collatis utare modeste, C
Et quod habes, hoc te acceptum fatearis habere.
Fons igitur meriti est, lucis pater: inde quod in nos
Fluxerit, hoc nobis maiorum est causa bonorum,
Dum largitori sua reddimus: eq; relatis
Augemur, nostrumq; bonum fit gloria dantis.
Sed qui iudicium arbitrij, meritumq; tueris:
Quiq; hominum studijs ascribis dona uocantis,
Infantum discerne animos, & differe quales
Affectus, qualesq; habeant hæc pectora motus.
Da teneris mores, & libertate uolendi
Instrue, uix auræ tenuis lactisq; capaces.
Nulla tibi arbitrij respondent signa, nec ullis
Dissociare pares meritis potes: omnibus una est
Natura, & pariter nequeunt bona uel mala uelle.
Et tamen ex istis miseratrix gratia quosdam
Eligit, & rursum genitos baptismate, transfert
In regnum æternum, multis in morte relictis.
Quorum causa fuit similis de uulnere eodem. D
Nec meritis istud poteris aptare parentum:
Ceu pia profuerit redimendis cura bonorum,
Abstuleritq; alijs aliena ignauia uitam:
Cùm uideas multos sanctis genitoribus ortos,
Nullo saluari studio potuisse suorum.
Expositisq; alijs ob turpia crimina matrum,
Missam externorum curam: quæ stercore raptos
Per fontem uitæ, cœlesti traderet aulæ.
Quid si diuersum hunc finem, quo gratia Christi
Vnum, alio pereunte, legit, donatq; salute,
In geminis etiam uideas? quòd diuidis uno
Tempore conceptos, atque uno tempore natos:
Non ullos potes arbitrij prætendere motus.
Cessat opus, cessat meritum, nihil editur impar.
Sed Deus & tales discernit, quò mage Christi
Excellat bonitas: quæ sola est causa uocatis,
Et fidei & meriti. quoniam sapientia diues
Hoc etiam tribuit multis, ut sancta operatis,

A *In finem uitæ, fieret de munere merces.*
Non autem rectè, nec uere dicitur illos,
Qui sunt exortes diuini muneris, & quos
Gratia neglexit, degentes mortis in umbra,
Peccati non esse reos, quia recta gerendi
Non data sit uirtus naturæ. compede uinctos
Procubuisse negant, nec ab uno germine credunt
Omnigenam prolem cum pœna & crimine nasci.
Quod qui non renuit, uidet huius pondera culpæ
Tam ualida pariter miseris incumbere mole,
Vt si nulla etiam cumulent mala, sit tamen unum hoc
Sufficiens scelus, ad mortem nascendo luendam.
Hanc igitur legem, quam per se nemo resoluit,
Si merito & iustè positam, impositamq; fatemur:
Cur querimur, quòd non omnes saluantur ab illa?
Cùm si progeniem super omnem irrupta maneret,
De cunctis iustè damnatis non quereremur?
An quod de toto ferretur, non toleratur
De parte? & melius foret omnia debita cogi,
B *Quàm summa ex solida, clementer multa remitti?*
Quis uerò exemptus squallenti carcere, pulset
Inuidia miserantis opem? quia non simul omnes,
In lucem ueram tenebris eduxerit iisdem?
Cùm pœnam qua mersus erat, non experiatur:
Quam misere ferat addictus, nisi liber ab illa.
Denique tunc illum socialem mente benigna
*Concipit affectum, quo * cum summa prece Christum* *summissa
Conciliet miseris: sueta qui nocte grauati
Nulla gerunt uota effugij. tantum nocet error
Vt iuuet errare: & ueteris contagia morbi
Tam blande obrepunt, ut quo languetur ametur.
Vnde ergo hæc oritur querimonia, non mouet illos
Talis cura: quibus necdum est sua pœna dolori,
Et qui se nulla credunt à luce relictos.
Qui uerò tenebris exempti in lumine uiuunt,
Gaudent: & quantum sibi sit bonitate uocantis
Dimissum, ex illis discunt, qui debita soluunt.

Vos igitur soli queruli, soliq; superbi: C
Vos soli ingrati quos urit gratia: cuius
Omne opus arbitrio uultis subsistere uestro:
Et quo'd non cuncti mortales atria uitæ
Ingrediuntur, ita ex ipsis pendere putatis,
Vt tam ex iudicio constet cuiusque, quo'd intrat,
Qua'm quo'd non intrat: ceu par in utrunque facultas
Suppetat: ut tam sit proprium bona, qua'm mala uelle.
I procul insana impietas, artesq; malignas
Aufer, & autorem comitare exclusa Britannum:
Nos humiles tenuesq; sumus, grex paruus, & altis
Inniti metuens: quia sufficientia nostra
Ex Christo est. si quid recti sapimus uolumusq;
Illi debemus, qui uincula nostra resoluit:
Proq; malis bona restituit: non inueniendo
Quod merito legeret, sed donans quo legeretur:
Vt de perceptis prodiret causa merendi:
Deq; datis in danda gradus, industria crescens
Scanderet, atque bonum fieret Deus omnibus unum. D
Cur uero' humani generis de germine toto
Pars quædam in Christo rursum generanda legatur,
Pars pereat: cu'm causa eadem simul implicet omnes:
Nec discernantur merito, qui munere distant:
Non satis audemus scrutari: nec per opertas
Ire uias, callesq; gradu pulsare remotos.
Multa etenim bene tecta latent, nescitaq; prosunt:
Dum mansueta fides quædam dilata modestè
Sustinet, & nullo ignorat non edita damno.
Sic quando electum ex cunctis populum Deus unum
Lege, sacris, templo, unguento, signisq; fouebat
(Quod fuit occultum, mundiq; in fine retectum est)
Non oberat nescire omnes, quandoq; uocandas
In regnum æternum gentes: totumq; per orbem
Donandum, quod spes paruæ tunc plebis habebat.
Sic postrema dies qua mundi clauditur ætas,
Notitiæ nostræ non est data. nec tamen huius
Secreti impatiens, sanctorum turba laborat.

Ipsa

A *Ipsa quoque humani generis carnalis origo,*
Quàm multas uario circuntegit ordine causas?
Cumq; omnes de fermento producat eodem
Vna manus, nec diuersis elementa parentum
Principijs coëant, limo procedat ab uno
Dispar opus, mutat numeros per uascula fictor,
Materiamq; unam discernit iure creantis.
Ergo eadem natura animæ, naturaq; carnis
Diuersis mundum sub conditionibus intrat.
His regnare datum est: illos seruire necesse est:
Hos decor, & uires ualidæ, uiridisq; senectus
Suscipit: hos species inhonora, & debile corpus:
His uiget ingenium præclaris artibus aptum:
Horum tarda premit gelidus præcordia sanguis.
Quosdam nec licitus calor incitat ad generandum:
Ast alij insanum nequeunt frænare furorem.
Hunc mitem & placidum tranquilla modestia comit.
His & mille modis semen uariantibus unum,
B *Impariles subeunt distincta exordia formas.*
Nec tamen hæc inter tam compugnantia quisquam
Arguit autorem, qui secum continet huius
Legem operis, dum iudicio placita explicat æquo,
Et rerum causas obscurat iusta potestas.
Si terrenum igitur figmentum, addictaq; morti
Progenies, ita dissimili producitur ortu,
Vt cùm operis species pateat, tamen edita non sit
Norma uoluntatis, de qua uenit hic modus impar:
Quid mirum si consilijs super omnia magni
Arcanum latet, & placito subducitur alto?
Quod dum uana fluunt mundi, dum in corpore mortis
Viuitur, & positi expletur certamen agonis,
Non cognoscendum texit Deus: utiliusq;
Duxit, ad examen quædam uelare piorum.
Non ergo instamus clausis, nec operta procaci
Vrgemus cura: satis est opera omnipotentis
Cernere, & autorem cunctorum nosse bonorum:
Quo sine nil rectum mens inchoat. audeat amens

Impietas tumido arbitrio subnectere causas C
Diuinorum operum: nos cum manifesta uidemus
Dona Dei, quorum est fons unus, summa uoluntas,
Cum Paulo tremuisse iuuat, stupidumq́ modestè
Inuictum ad solium Christi suspendere nutum.
Cuius iudicium sic inscrutabile, & altum
Dicimus, ut uerax prorsus fateamur & æquum.
Nam meritum ad mortem subeundam sufficit unum:
Ad uitam, nisi quod donarit gratia, nullum.
Tu uerò ô noua gens, ueteris quæ stirpe oleastri
Velleris, & sacræ ramis inolescis oliuæ,
Quærere formatæ sentis te frondis honorem
Non studio cœpisse tuo: sed iure potentis
Agricolæ insertam fœcundo uiuere ligno.
Vince superborum flatus, & uana furentum:
Turbinibus stabili fortis pietate resiste:
Nec tibi fallacis subrepat imago decoris.
Nullum ex his errare putes: licet in cruce uitam
Ducant, & iugi afficiant sua corpora morte, D
Abstineant opibus, sint casti, sintq́ benigni,
Terrenisq́ ferant animum super astra relictis:
Si tamen hæc propria uirtute capescere quemquam
Posse putant, sit'ue ut dignus labor iste iuuari,
Ingenium meruisse aiunt bona uera petentis:
Crescere quo cupiunt, minuuntur: proficiendo,
Deficiunt: surgendo, cadunt: currendo recedunt.
Vnde etenim uarij frustra splendescere quærunt,
Inde obscurantur. quoniam sua, laudis amore,
Non quæ sunt Christi, quærunt: nec fit Deus illis
Principium: & capiti non dant in corpore regnum.
Non horum templo est Christus petra fundamentum:
Sed super instabilem arbitrij nutantis arenam
Assurgunt, fœda lapsuri mole tumoris,
Isti, quem quidam reprobarunt ædificantes,
Nunc etiam reprobant lapidem: pariesq́ sine ipso
Tertius esse uolunt, quem nullo fœdere nectat
Angulus, & quem nulla habeat compago ligatum:

A *Hi thalamum ad sponsi non perducuntur, & intrant*
Libertate sua. quæ Christi gratia confert,
Non acceperunt, & habent: non attrahit illos
Vis patris ad uerbum, sed sponte & præpete cursu
Præueniunt cessantis opem: nec ad omne gerendum
Eius egent, sine quo sibi plurima posse uidentur.
Quid prodest uerbis commentum Pelagianum
Respuere? & sola damnatos plectere uoce?
Cùm paucis squalida sublatis de cute neruis,
Intima uiperei foueantur uiscera sensus?
O bene quòd diri erroris malus ille magister
Nullo præleuit letalia pocula melle.
Sed non ambigua infectum feritate uenenum
Protulit, & gustu uirus detexit amaro.
Nam si argumenti primordia non onerasset
His, quæ discipuli dempserunt callidiores,
Innumeras dubio cepisset plasmate mentes:
Quæ dum multa uident informia limine in ipso,
B *Horrida terrificæ declinant atria mortis.*
Nec tam illis possunt attriti illudere fures:
Quorum quò tendant artes, atque unde oriantur,
Non dubijs promptum est cuiuis cognoscere signis.
Non igitur cum damnatis sentire uidentur,
Cum dicunt mortem in cunctos transisse per unum
Primum hominem, cuius crimen respersit omnes.
Nec quenquam in uitam æternam, nisi fonte renatum
Venturum: infantesq́ reos hoc munere solui,
Quos prima ad mortem generaliter edat origo.
Sed cum damnatis sapiunt, damnataq́ promunt,
Cum dicunt, nihil esse animis per uulnus auitum
Detractum decoris: splendoremq́ omnibus illum
Nunc talem innasci, qualis fuit ante ruinam.
Hinc libertatem arbitrij discernere sano
Posse oculo cordis, quicquid sit ritè gerendum.
Nec solùm ad uitæ præsentis commoda solers
Sufficere ingenium, quo se tueatur & ornet:
Sed summis etiam mentem aptam percipiendis,

 Aeternisq́

Aeternisq; bonis, sponte ad cœlestia ferri: C
Perq; uiam ad Christum, quam fecerit ipsa, uenire.
Hinc hominem multa recti assuetudine firmum
Posse repugnare aduersis, nec cedere pœnis,
Quas superandæ animæ per carnem admouerit hostis,
Auxilio abscedente Dei: qui deserat apte,
Viliterq; suos, ut de certamine agonis
Quæsitas referant palmas: ne nulla piorum
Sint merita, & ueræ priuentur laudis honore:
Sicut naturæ sensum noluntq; uoluntq;,
Præceptisq; tenent legalibus insinuatum,
Diuini auxilij manus hoc operetur in illis:
Ceu solis Christi famulis uirtute carere
Sit dignum: & non posse probos apprendere mores,
Quos plerunque habeant etiam simulachra colentes.
Talia lingua procax cùm uerbis fundit ineptis,
Effuge tu noua gens, hostiles effuge sensus,
Et procul à laqueis sapiens abiungere mortis.
Christus enim tua iustitia est: quo te duce oportet D
Currere: ne cursus, Christo sine, sit uagus error.
Nemo etenim nemo est, qui non cum uulnere primi
Sit patris genitus: quo uulnere mens prius intus
Percussa est, quàm membra foris: quod mente receptum est,
Quod regione poli disiecta superbia suasit.
Sic animus cui lumen erat de lumine summo,
Arbitrium inuoluit tenebris: & luce relicta
Consilio legit terræ nigrescere noctis.
Nec iam captiuos oculos extollere in altum
Sponte potest: quoniam hoc etiam spoliante tyranno
Perdidit, ut quanto iaceat sub uulnere norit.
Si quid enim de principijs felicibus illi
Et uita exilij superest prudenter agenda,
Hoc sanum, & quo nil fuerit sublimius in se
Credit: amatq; suum mundi sapientia sensum.
Innumeras sese claram mirata per artes,
Quòd coniecturis sublimibus abdita quærit:
Quòd meminit recte: sapit acriter: æstimat apte:

Quòd

A *Quód studium fandi excoluit: quód legibus urbes*
Instituit: moresq́ue feros ratione recidit,
Vt pœnæ metus officio certarit amoris.
Iam cum exercetur numeris, ad sydera cœli
Per cursus noscenda suos: & scire uidetur
Defectus Solis uarios, Lunæq́ue labores,
Quàm speciosa sibi est? & quàm uanescit in ipsis?
Quæ licet ex primo naturæ habeantur honore,
Non tamen ad ueram possunt perducere uitam.
Denique ab his præceps in multas relligiones
Decidit, & factis hæsit factore relicto.
Nam si nunc etiam illæsis uigor ille maneret,
In quo insons natura fuit: sua quenque uoluntas
Conciliare Deo, pœnaq́ue absoluere posset:
*Nequicquam Christus mortem moriendo * piaret:* *ligaret
Peccatum & mundi sanguis non tolleret agni:
Nec genus humanum generari rursus egeret
Conditione noua. quoniam sapientia sana,
B *Sana fides, sanum arbitrium, mens libera morbo,*
Vitam agerent dignam summorum participatu.
Sed prostrata semel, quanto natura profundo
Immersa, & quantæ sit mole oppressa ruinæ.
Verbum homo fit, rerumq́ue sator sub conditione
Seruilis formæ dignatur uirgine nasci:
Inq́ue infirmorum cunctos descendere sensus.
Vexatur uirtus, sapientia ludificatur:
Iustitia iniustos tolerat, clementia sæuos:
Gloria contemptum subit, & tormenta potestas:
Inq́ue crucis pœnam nulli uiolabilis usquam
Vita agitur: cuius perimatur morte peremptor,
Iusto ut pro iniustis effuso sanguine, sit mors
Vnius insontis multorum uita reorum.
Hoc igitur pretio captiui cum redimuntur,
Agnoscant quali conclusi carcere, quóue
Obsessi fuerint morbo: quibus eripiendis
Succurri haud aliter potuit, quàm morte medentis.
Et quia de magnis opibus nonnulla supersunt,

Quæ decorent nudos, & quæ solentur egenos: C
Non ita pro summis oblectent ultima lapsos,
Vt de supplicio tumeant: atque ordine uerso
Quo sunt effecti miseri, sint inde superbi.
Aut cùm hebetes uisus, longa ex caligine tandem,
Naturæ hoc potius libertatiq; uolendi,
Quàm Christo tribuant: ne scilicet euacuetur
Arbitrij uirtus, si desit recta legendi.
Hoc patribus primis mortis sator insinuatus
Consilio est: hac arte omnes prostrauit in uno:
Dum suadet multo præstantius esse, quod ipsis
(Non tribuente licet domino) sponderet habendum,
Prudens libertas, uetitoq; instructa cupido,
Quæ nunc per ueteris serpens uestigia fraudis,
Deceptos simili studet inflammare furore.
Vt quoniam pulchrum est ueris impendere curam,
Iustitiæq; auidos bona nosse, & uelle, salubre est:
Suadeat ingenio cuiusque hoc lucis inesse,
Vt naturali mens uiuida mobilitate, D
Non spirante Deo, Christi exardescat amore.
Vtq; ita saluatrix nil gratia conferat istis,
Sed referat: pretioq; bonos, non munere ditet.
His de seminibus multo iam plura oriuntur,
Et frumenta inter primo turgentia lacte,
Spinis fulta subit seges horrida zizaniorum.
Sed nos qui domini semen sumus, agricolæq;
Stamus ope: & supera perflati uiuimus aura:
Viperei calicis gustum procul excutiamus:
Diuiniq; operis constanter confiteamur
Figmentum nos esse nouum: quod prorsus ab illa
Stirpe uetustatis discretum est, atque recisum.
Et iam sit penitus carnalis originis exors,
Qui membrum est Christi, capitisq; in corpore uiuit:
A quo subiectos uigor omnis manat in artus:
Et sic quæq; suo uegetantur in ordine partes,
Vt quod agunt, & dispositis quod motibus explent,
Ex illo possint, qui summa atque ultima pacans,

Vt nos

A *Vt nos insereret summis, se miscuit imis.*
Conticeant igitur, qui dicunt esse cauendum,
Ne desit sanctis sumendæ causa coronæ,
Si non ipsorum bona repperiantur in illis.
Hoc etenim tumida nimis impietate docentes,
Quid nisi iustitia nos, & uirtute, Deoq;
Dispoliare uolunt? ne lux in nocte coruscet,
Languida ne in uires redeant, ne mortua uiuant.
Sed nobis summo uerorum à fonte bonorum
Haurire hæc, supero & semper splendore nitere,
Gloria sit: non spes in fœni flore caduco.
Sicut enim palmes nullos ualet edere fructus
Non in uite manens, quæ de radice ministra
Succum agat in frondes, & musto compleat uuas:
Sic infœcundi uirtutum, & fruge carentes
Perpetui cibus ignis erunt: qui uite relicta
Audent effusa de libertate comarum
Fidere, ne Christi sint ubertate feraces:
B *Et mage se credunt proprijs excellere posse,*
Quàm si uirtutum placitarum sit Deus autor.
Viles ergo putent se, deformesq; futuros,
Cum transformatis fiet Deus unica sanctis
Gloria. corporei nec iam pressura laboris
Conteret incertos: sed in omnibus omnia semper
Christus erit. quod si pulchrum, & super omnia magnum est:
Cur pudet hac etiam fletus in ualle potentes
Esse Deo? nimiumq; operis mortalis habere?
Quod non est nisi peccatum, quo discrucietur
Libertas: ad quam solam male gesta recurrunt.
Et tamen in sanctos animum cùm intendimus actus,
Cùm desiderijs carnis mens casta repugnat,
Cùm tentatori non cedimus, & per acerbas
Vexati pœnas, illæso corde manemus,
Libertate agimus: sed libertate redempta
Cui Deus est rector, summoq; ex lumine lumen,
Vita, salus, uirtus, sapientia: gratia Christi est,
Qua currit, gaudet, tolerat, cauet, eligit, instat,

Credit,

Credit, sperat, amat, mundatur, iustificatur. C
Si quid enim recti gerimus, domino auxiliante
Te gerimus: tu corda moues: tu uota petentis,
Quæ dare uis, tribuis: seruans largita creansq;
De meritis merita, & cumulans tua dona coronis.
Non autem hoc curam minui, studiumq; resolui
Virtutum, aut opus ingenij torpore putandum est,
Quòd bona sanctorum tua sunt: & quicquid in illis
Aut sanum, aut ualidum est, de te uiget: ut uideatur
Nil actura hominis, te cuncta gerente, uoluntas.
Quæ sine te quid agit? nisi quò procul exulet à te:
Præcipites semper calles, & deuia motu
Ingressura suo: nisi fessam tu bone & ægram
Suscipias, referas, foueas, tuearis, honestes.
Tunc fiet cursus uelox, oculiq; uidentes,
Libera libertas, sapiens sapientia, iustum
Iudicium, & fortis uirtus, & sana facultas.
Huius opis semper pater indigeamus, ab ipsa
Prodeat arbitrium nostrum. nihil, hac sine, sensus D
Corporei possunt, opus ut seruile quiescat.
Et tua dum in nobis agitur, non nostra uoluntas,
Legitima in sanctis ducamus sabbata festis.

FINIS.

D. PROSPERI AQVItanici Psalmorum à centesimo usque ad CL. expositio.

PSALMVS C.

MIsericordiam, & iudicium cantabo tibi domine:

PSALMVS iste de primo uersu toto intelligendus est corpore, & confitendum Deo, quoniam uniuersæ
B uiæ eius misericordia & ueritas: ut quælibet se nostris cogitationibus de rerum ueritate ingerant causæ, non in aliquam moueamur querelam: sed misericordiam, & iudicium domino pia confessione cantemus. Ad resoluendas enim uniuersas quæstiones, quas contra prouidentiam Dei exercere audet mundi huius stulta sapientia, inuictissima est ratio, per quam intelligitur, inter præsentis uitæ inæqualitates nec à iustitia Dei misericordiam, nec à misericordia abesse iustitiam, donec peractis temporalibus iusto iudicio fiant utraque perpetua, cum pro qualitate gestorum dextros gloria, sinistros pœna susceperit.

Psallam, & intelligam in uia immaculata: quando uenies ad me.

In hac, inquit, confessione boni intellectus ero, & per immaculatam conuersationis meæ uiam ad me uenire te sentiam: cùm enim sine te bonus esse non possim, si recta sunt quæ ago, te mihi inesse non dubito.

Deambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.

Innocentia uera est, quæ nec sibi, nec alteri nocet: Quoniam qui diligit *Psal. 10.*
iniquitatem, odit animam suam. Deambulare in latitudine animæ suæ, id est, in habitaculo cordis sui, non potest, quem angustat reatus, & uita

illicitæ actionis accusat. Pia autem, & impolluta conscientia liberis intra C se utitur spatijs: & quæ integros habet suæ ædificationis recessus, in appetitus non euagatur alienos.

Non proponebam ante oculos meos rem malam.

Ante oculos habemus, quæ diliguntur: & in quibus delectatur animus, in his moratur aspectus. A' re ergo mala oculos auertere, est quicquid Deo displicet non amare.

Facientes præuaricationes odio habui.

Diligendi sunt homines, ut odio habeantur præuaricationes: quia aliud est amare quod facti sunt, aliud odisse, quod faciunt.

Non adhæsit mihi cor prauum: declinantem à me malignum non agnoscebam.

Prauo, inquit, cordi consensum non præbui: & ab immaculata uia declinantem malignum non cognoscebam: hoc est, propter dissimilitudinem non probabam.

Detrahentem proximo suo occultè, hunc persequebar.

Bona persecutio, quæ non hominem, sed peccatum hominis insectatur. D

Superbo oculo & insatiabili corde, cum hoc simul non edebam.

Superbia fomes inuidiæ est, quæ nunquam, nisi maligna est, & malis non satiatur alienis. Cum his igitur, qui tali delectabantur ueneno, non cõuescebar: quia cibum iniquitatis ipsorum, quo incessabiliter replebantur, horrebam. Beati enim, qui esuriunt iustitiam: quoniam saturabũtur. Matth. 5.

Oculi mei super fideles terræ, ut simul considerent hi mecum.

Vox domini dicentis imitatoribus suis, Sedebitis super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israël.

Ambulans in uia immaculata, hic mihi ministrabat.

Mihi ait, non sibi: multi enim non synceri prædicatores Euangelij, sibi ministrant, sua quærentes, non quæ IESV Christi.

Non habitauit in medio domus meæ faciens superbiam.

Non habitauit in corde iusti, quæ est domus eius, iniustus: quia semper à se dissimilitudo longinqua est.

Loquens

A *Loquens iniqua non direxit in conspectu oculorum meorum.*

Iniquorum iter non est directum: & diuersum longè est ab illa uia, cui oculi domini præsident,& per quam ad suos uenit.

In matutinis interficiebam omnes peccatores terræ:ut disperderem de ciuitate domini omnes operantes iniquitatem.

Diem iudicij sui denuntiat dominus, qui loquitur in propheta: quoniam secundum ueritatem in principio Psalmi dictum est, Misericordiā & iudicium cantabo tibi domine. Nam quia tempus huius seculi tempus est noctis,& ignorantiæ,& tribulationis:nec cuiquam patet,in quem finem sit quisque uenturus: dat locum pœnitentiæ misericordia Dei, & diuersis modis agit,ut proficiant iusti,ut erigantur lapsi, ut conuertantur auersi.Sed hæc patientia manente adhuc nocte prēstatur. Vbi autem illuxerit dies,& omnia occulta fuerint reuelata,discretis impijs à societate iustorum,non ultrà parcetur malis,sed interficientur omnes peccatores terræ; in illo mane,quo declarabitur,quid quisque mereatur.

PSALMVS CI.

B PSALMI huius titulus est, oratio inopis cùm angeretur, & in conspectu domini effundit precem suā. Iste ergo pauper CHRISTVS est, qui formam serui accipiens, nostra indutus est paupertate: & cùm sit mediator Dei & hominum, homo Christus IESVS, idem est in humilitate corporis,qui est in gloria patris: ut quorum suscepit naturam,exequatur & causam.

EXaudi domine orationem meam, & clamor meus ad te perueniat.
Ne auertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

QVOD est, Exaudi orationem meam: hoc idem est, & clamor meus ad te perueniat. Sed geminata petitio ostendit petentis affectum. Ne auertas, autem, faciem tuam à me, dicit, pro humilitate membrorum. Nam quando pater à filio,quando Deus auerteretur à Christo? Et ideo petit se, in quacunque die tribularetur,exaudiri: quia pietas capitis cum omni corporis portione compatitur:& labor omnium,qui & locis,& temporibus uariatur, nunquam sine illo est,qui omnium miseretur.

In quacunque die inuocauero te, uelociter exaudi me. C

Cito obtinentur, quæ bono desiderio postulantur: nec differuntur preces, quæ hoc petunt, quod uult ille, qui petitur. Velox itaque exauditio est, cùm ipsa primitus exauditur oratio; nec tardat auxilium, qui dedit uotum.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei:

Dies primi hominis, quem suscepit secundus, fumo in sua elatione deficienti aptißime comparantur. Et quia nemo in nouitatem Christi, nisi ex Adæ uetustate transfertur, gemit in his, quos reparat ipse reparator.

Et ossa mea sicut in frictoriolo confrixa sunt.

Ossa dicuntur hi, qui sunt in Christi corpore fortiores, quorum firmitate omnium compago membrorum munitur: dicente osse fortißimo
2. Corint. 11. Paulo, Quis scandalizatur, & ego non uror?

Percussum est sicut fœnum, & aruit cor meum.

Omne humanum genus in Adam, à quo est uniuersalis propago, percussum est: & de illius uulnere gemunt, qui spe saluantur in Christo, non sine miserijs mortalitatis inde contractæ. D

Quoniam oblitus sum manducare panem meum.

Acceperat primus homo panem uerbi in lege mandati: sed uetitum cibum sumens, panis illius, de quo uiuebat, oblitus est, & ob hoc sicut percussum fœnum cor eius exaruit. Modo ergo reuiuiscat, & edat pa-
Ioan. 6. nem, quem fuerat oblitus, qui iam in corpore est dicentis, Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi.

A uoce gemitus mei adhæserunt ossa mea carni meæ:

A uoce, inquit, gemitus mei, non à uoce gemitus illorum, de quibus gemo, quòd non rectè gemunt, quòd carnalia cupiunt, quòd corporalia concupiscunt. Sed quia non desunt ualidiora membra, quæ curam habeant infirmorum, nec ab affectu capitis discrepent, uoce gemitus mei erudiuntur ossa: id est, fortiora corporis, ut adhæreant carni meæ, id est,
Rom. 15. infirmioribus meis, secundum quod scriptum est, Debemus enim nos firmi infirmitatem infirmorum portare.

Similis

A *Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in parietinis.*
Vigilaui, & factus sum sicut passer singularis in tecto.

Omnis strenuus, & deuotus Euangelij prædicator his tribus, quæ commemoratæ sunt, auibus comparabilis inuenitur, secundum eorum formam, quibus uerbum ueritatis adnuntiat. Si enim infidelibus loquitur, in solitudine est, tanquam pellicanus: nec fastidit deserta, & inculta: quia etiam in talibus facit sibi spiritus sanctus habitaculum. Si autem his prædicat, qui acceptam gratiam perdiderunt, fit quodammodo nycticorax in parietinis, non deserens eos qui corruunt, ut ædificij benè fundati & stabilitatem recipiant, & decorem. Si uerò eos cohortatur, qui cùm uideantur fideles, tepidi tamen sunt, atque carnales, fit sub tecto positis, id est, sub carnis infirmitate uiuentibus, quidam passer, increpans eos, atque incitans, ut in tecto sint potius, quàm sub tecto: hoc est, ut subiectam sibi carnem habeant, non ut ipsi ei subijciantur. Qui enim in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo. Et quod in aure audistis, prædicate super tecta. Sed harum affectionum sedulitatem nemo magis, quàm dominus IESVS Christus, uoluntarius pauper, exequitur: qui ueniens peccatores saluos facere, omnium labores infirmitatesq; suscepit. Quia Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi: ut Matth. 10. 2. Cor. 5.
B & solitudo gentilis acciperet notitiam ueritatis: & obcæcatis Iudæis, ac sua præuaricatione ruinosis, & lux & stabilitas præstaretur: dum ille qui tenebrarum illuminator est, per Apostolum dicit, Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Idem uerò à tenebris, quas dilexit, occisus uigilauit: id est, surrexit, & factus est sicut passer singularis in tecto: id est, in cœlo, quò adhuc nemo ascendit, nisi qui de cœlo descendit, qui est primitiæ dormientium, & primogenitus ex mortuis. Ephes. 5.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, aduersum me iurabant.

Ea significantur, quæ in tempore passionis gesta sunt. Exprobratur domino, quòd qui alios saluat, seipsum supplicio eruere non possit: & qui fuerant falsi laudatores, in occisione ipsius conspirabant.

Quoniam cinerem sicut panem manducabam: & potum meum cum lachrymis miscebam.

Ostenditur sacramentum misericordię saluatoris, qui etiam eos membra sua facit, quibus talis congruit medicina: & personæ suæ eorum co-

pulat causam, in quibus se cinerem dicit sicut panem manducasse, & po- C
tum cum lachrymis miscuisse: quod quidem infideles obprobrio deputant, dicentes spem remissionis fomitem esse peccandi.

A facie iræ tuæ, & indignationis tuæ, quoniam eleuans allisisti me.

Ipsa est ira, quam Adam meruit, & in qua omnes nati sumus, secun-
Ephes. 2. dum quam dicit Apostolus, Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri, non ex conditione Dei, sed ex iudicio. Et ideo natura filij iræ dicimur, quia ita ipsis nostris principijs insedit, ut ab illa, præter dominum nostrum IESVM Christum, nullius hominis natura sit libera. Eleuatus est autem homo, quia rationalis & ad imaginem Dei factus est. Elisus uerò
Psal. 48. est, quia suæ dignitatis oblitus est, sicut scriptum est, Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus.

Dies mei sicut umbra declinauerunt: & ego sicut fœnum exarui.

Recessi ab æterno die per peccatum, & in dies transitorios decidi per iudicium: & quia sicut fœnum arui, per eum, qui inter mortuos liber est,
1. Cor. 15. spe saluus fio. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo D
omnes uiuificabuntur.

Tu autem domine inæternum permanes, & memoriale tuum in generatione & generationem.

Temporalem, inquit, seruet æternus: non enim quia cecidi, tu senuisti: qui eras ad me humiliandum, ipse es ad me liberandum: & promissionum tuarum non obliuisceris.

Tu exurgens misereberis Sion: quia tempus ut miserearis eius.

Gal. 4. Quod tempus, nisi de quo dicitur, Cum autem uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret?

Quoniam beneplacitum habuerunt serui tui lapides eius, & pulueris eius miserebuntur.

In Sion

A In Sion multi sunt lapides, & plerique sunt puluis. In lapidibus gaudium sanctorum est, in puluere miseratio. De Sion sancti patriarchæ, sancti apostoli, & prædicatores euangelij: hi omnes lapides electi, & probati: Cæteri autem, qui istis non sunt connexi puluis sunt, quos auferet uentus à facie terræ, nisi agnoscant se, & dicant, Memento domine quòd puluis sumus.

Et timebunt gentes nomen tuum domine, & omnes reges terræ gloriam tuam.

Hoc fundamento posito in Sion, & hac misericordia pulueri eius impensa, ueniet etiam de gentibus alius paries, qui angulari lapidi coaptetur, & duo in uno condantur, qui facit utraque unum.

Quoniam ædificauit dominus Sion: & uidebitur in gloria sua.

Crescit quotidie ecclesia in templum Dei, & ab ipso capite totum corpus extruitur. Et apparebit IESVS Christus in gloria sua, cùm uenerit iudicare mundum, à dextris & sinistris, alios assumpturus in regnum, alios in supplicium detrusurus.

Respexit in orationem humilium dominus: & non despexit pre-
B *ces eorum.*

Hæc est ædificatio Sion, & structura eius: sic uiui lapides instruuntur: quia ad compagem decoris eius non nisi per humilitatem & orationem per gemitus & lachrymas peruenitur; ne perfecta & dedicata domo frustra pulset, qui secus aduenerit.

Scribantur hæc in generatione altera: & populus, qui creabitur, laudabit dominum.

• Scribuntur hæc in ueteri testamento per prophetiam pertinentem ad noui testamenti generationem, hoc est, ad populum, qui creandus erat in Christo, de quo Apostolus dicit, Si qua igitur in Christo noua creatura, uetera transierunt, ecce facta sunt noua. Omnia autem ex Deo, hoc est, uetera & noua: quoniam per unam fidem uterque populus accepit iustificationem. 2. Cor. 5.

Quoniam prospexit ex alto sancto suo, dominus de cœlò in terram prospexit. •

Vt uideret gemitus compeditorum: ut solueret filios mortificatorum.

Ee 4 Prospic

Prospiciente in terram Deo: hoc est, misericordiam suam hominibus C tribuente, tam fortia facta sunt uincula charitatis, ut ea non potuerit uincere uiolentia persecutionis: per timorem enim Dei superauerunt martyres timorem mundi: & compedes fidei continuerunt eos ab excessu transgresionis: qui labor perseuerantiæ transijt in libertatem gloriæ: ut gemitus uerterentur in gaudia, & compedes in coronas. Soluuntur autem etiam filij mortificatorum, id est, martyrum, qui eadem inflammati fide secularium cupiditatum uinculis liberati possunt dicere, Disrupisti uincula mea; tibi sacrificabo hostiam laudis. Psalm. 115.

Vt adnuncietur in Sion nomen domini: & laus eius in Hierusalem.

Vt solutis uinculis peccatorum, libera charitas seruiat Deo, & laus domini multiplicetur in Sion, id est, in specula, quæ est ecclesia, quæ non præsentia diligens, sed futura prospiciens, in spe promisionum lætatur.

In conueniendo populos in unum, & regna ut seruiant domino.

D

Factum est sanguine martyrum & gemitibus compeditorum, ut exauditis illis qui erant in gemitibus, & pressura, hanc nostris temporibus haberet ecclesia libertatem, qua omnium gentium populi in fidei coëant unitatem; & regna, quæ persequebantur Christianos, iugo Christi subiecta sint.

Respondit ei in uia fortitudinis suæ:

Siue Sion siue Hierusalem, quæ est ecclesia, in qua laus domini celebratur, respondit ei, quem per fidem laudat, per spem, per charitatem. Nam uocationi eius respondere, est credere, atque obedire, & in præceptis ipsius ambulare. In uia fortitudinis; quia ab ipso est, ut perseueretur inter omnes illecebras & labores.

Exiguitatem dierum meorum adnuncia mihi.

Exiguum est omne quod finitur, & transit: uita enim temporalis in comparatione æternitatis exigua est: cuius dies ideo sibi adnunciare ecclesia postulat, ut nouerit se usque in finem seculi esse mansuram, donec ueniant illi dies, qui nec numerum poterunt habere, * nec terminum.

* al: nec inueniunt

Ne reu

A *Ne reuoces me in dimidium dierum meorum:*

Non imminuantur, inquit, dies mei, quousque in consummationem seculi spopondisti, donec plenitudo gentium introëat, & omnis Israël saluus fiat. Rom. 11.

In generatione & generationem anni tui.

Ab initio usque ad consummationem sanctos Dei diuersa secula alios & alios protulerant: quorum iustificatio non est, nisi in Christo, per quem omnium generationum una generatio est, quam Deus æternitatis facit esse participem: ut absque commutatione sit omnia in omnibus.

Principio domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli:
Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut uestimentum ueterascent.
Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Vera æternitas, & uera immortalitas non est, nisi in deitate trinitatis:
B cui quod est esse, perpetuum est: & neque per initium, neque per incrementum, neque per defectum, ullam recipit mutabilitatem. Creaturæ autem, etiam illæ quibus æternitatem creator dedit, uel daturus est, non penitus carebunt fine, dum illis finis est ipsa in augmentum facta mutatio. Et terra ergo, quam tu domine fundasti, & cœli, qui opera sunt manuum tuarum, sicut uestimentum, & opertorium ueterascent, & peribunt. Non ut non sint, sed ut aliter sint: nouatione scilicet substantiæ, non defectione naturæ. Tu autem idem ipse es, nec ab alio in aliud transis: quia tu es qui uerè es, & qui in gloria tua nec minor potes esse, nec maior: dans filijs seruorum tuorum, ut ad non deficientes annos tuos ualeant peruenire.

Filij seruorum tuorum inhabitabunt, & semen eorum in seculum dirigetur.

Filij seruorum Dei, sunt filij iustorum, filij patriarcharum, prophetarum, apostolorum, & martyrum: filij postremò totius ecclesiæ, quæ corpus est Christi, & quæ mater est omnium patrum, omniumque filiorum. Hi ergo in æternitate annorum Dei habitabunt, & semen eorum in æternum dirigetur. Semen autem eorum rectè intelligitur, opus iustitiæ ipsorum, quod debet unumquemque præcedere: quoniam sterilem, & infructuosum illa æternitatis beatitudo non recipit.

PSAL

PSALMVS CII. C

Benedic anima mea dominum: & omnia interiora mea nomen sanctum eius.

TOTA ecclesia cum suo capite, quod est Christus, unus est homo: cuius proprium officium est in omni tempore benedicere dominum: seq; in laudem eius, quem ex tota uirtute sua diligit, cohortari. Interiora autem eius sunt ratio intelligētiæ, spes fidei, humilitas timoris, fortitudo charitatis: & si quæ sunt aliæ affectiones, quibus mens in admirationem sui autoris erigitur.

Benedic anima mea dominum: & noli obliuisci omnes retributiones eius.

Iterata cohortatio docet, nunquam à Dei benedictione cessandum. Erit autem perseuerās benedictio, si retributionū eius nulla unquam subrepat obliuio: quæ retributiones non secundū merita humana sunt factæ. Nam damnatio peccatoribus debebatur: sed gratia præstita est malis, & salus
Luc.19. perditis: Quoniam filius hominis uenit quærere, & saluare quod perierat: & non uenit uocare iustos, sed peccatores. Benedicēdus ergo est, qui nō solùm non plectit malos, sed etiam bona pro malis reddit, & bonos facit. D

Qui propitius fuit omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes languores tuos.

Qui redimet de corruptione uitam tuam: qui coronat te in miseratione & misericordia.

Qui satiat in bonis desiderium tuum: renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua.

Enumeratio retributionum Dei. Ostendit per quos gradus gratiæ anima humana saluetur. Qui propitius fit, inquit, omnibus iniquitatibus tuis. Non ait, Omnibus uirtutibus tuis: quæ utique nullæ ei inessent, nisi fieret remissio peccatorum. Quæ ne rursus exurgant, Sanat, inquit, omnes languores tuos. Qui autem sunt isti languores, nisi concupiscentiæ malæ, desyderia carnalia, & morbi omnium uanitatum: de qua corruptione redimitur uita infirmorū: quia corpus mortis nostræ corpus factum est ipsius uitæ, ut coronaret nos in miseratione & misericordia: sicut scri-
Rom.9. ptum est, Miserebor, cui misertus ero: & misericordiam præstabo, cui misericordiam præstitero. Vt intelligamus, per eandem misericordiam dari coronas meritorum, per quam data sunt merita coronarum. Deinde additur: Qui satiat in bonis desiderium tuum. His enim curationibus perducta est anima ad desyderia bona, ut spretis, & abiectis carnalibus, atq; terrenis,

A renis, ſpiritalia, & cœleſtia concupiſcat. Quoniam beati qui eſuriunt iuſtitiam, quia ipſi ſatiabuntur. Renouabitur ergo ſicut aquilæ iuuentus tua: hoc eſt, à uetuſtate in nouitatem, & in iuuentam à ſenectute mutaberis, ad ſimilitudinem aquilæ, quæ depoſitis alis, roſtroq́ mutato in nouas uires rediuiuo uigore iuueneſcit. Matth. 5.

Faciens miſericordias dominus, & iudicium his, qui iniuriam accipiunt.

Nouit dominus, quòd in hac uita ſerui ipſius laboribus, iniurijsq́ ſubiecti ſunt: ſed uult eos eſſe mites, eſſe patientes: quia ſicut miſericors eſt ad liberandum, ita etiam iuſtus ad iudicandum. Dicens enim omnibus iniuriam accipientibus, Mihi uindictam, & ego retribuam: non denegat opem, qui denunciat ultionem. Facit ergo dominus miſericordiam: facit & iudicium. Sed perfectorum eſt, etiam his, qui iniuriam fecerint, miſericordiam magis, quàm optare uindictam. Rom. 12.

Notas fecit uias ſuas Moyſi, filijs Iſraël uoluntates ſuas.

Magnum, mirandumq́ myſterium eſt, ideo datam legem, ut creſcente peccato humiliarentur ſuperbi, humiliati confiterentur, confeſſi ſanarentur. Iſtæ ſunt uiæ occultæ quas notas fecit Moyſi, per quem legem dedit:
B quia peccatum non haberet, ut ſuperabundaret gratia: quam utique uiri Iſraëlitæ intellexerunt, & à Deo reuelante uiderunt, quæ ratio diſpoſitionum, quod conſilium diuinarum fuerit uoluntatum.

Miſerator & miſericors dominus: longanimis, & multæ miſericordiæ.

Quid tam longanimum, quid tam abundans, quàm Deus, qui in miſericordia pluit ſuper iuſtos & iniuſtos: & ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos? Parcit contemptus, parcit negatus: & mauult uitam peccatoris, quàm mortem. Quoniam omnis longitudo patientiæ eius eruditio eſt pœnitudinis, & oblatio correctionis: nec ulla opera ipſius miſericordia uacant: Quando homini & manſuetudine conſulit, & flagello.

Non in finem iraſcetur: neque in æternum indignabitur.

Diuina bonitas ideo iraſcitur, ne iraſcatur: & miſericorditer adhibet temporalem ſeueritatem, ne æternam referat ultionem.

Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis: neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis.

Quoniam

Quoniam ſecundum altitudinem cœli à terra confirmauit dominus miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. C

Sicut cœlum, inquit, protegit terram, ſic timentes ſe protegit Deus.

Quantum diſtat Oriens ab Occidente, longè fecit à nobis peccata noſtra.

Regenerationis hæc uirtus eſt, quæ homines exuit peccatis: & gratiæ induit donis: ut uetuſtas occidat, & ueritas oriatur. Facta enim mutatione ſtatus, innocentia conſtituitur in oriente, peccata remanent in occaſum.

Sicut miſeretur pater filiorum, ita miſertus eſt dominus timentium ſe. Quia ipſe cognouit figmentum noſtrum: memento quòd puluis ſumus.

Qui perſonam ſuſcipere dignatus eſt patris, nihil circa filios non miſericorditer facit: flagellet adoptatos potius, quàm deſerat abdicandos. Nouit autem ipſe quòd nos fecerit, & de quo lapſu in quem ſtatum reformauerit, quantumcunque nos puluis terrenæ fragilitatis infirmet. Petitur ergo Deus, ut meminerit conditionis humanæ: id eſt, ut miſereri ipſius perſeueret. Quoniam non ipſe obliuiſcitur: ſed ut nos gratiæ eius non obliuiſcamur, facit. D

Homo tanquam fœnum dies eius: & ſicut agri flos ita florebit.

Non ſuperbiat homo, cuius dies ſunt ſicut fœnum paululum florens, & mox areſcit: ſed non deſperet homo, cuius infirmitas à Dei uirtute ſuſcipitur. Verbum enim caro factum eſt, ut flos qui in Adam erat caducus, in Chriſto eſſet æternus. Ioan. 1.

Miſericordia autem domini à ſeculo, & in ſeculum ſuper timentes eum: & iuſtitia eius in filios filiorum.

Timentibus dominum æterna gaudia promittuntur: & quia timor obedientiam parit: obedientia autem mandatorum gignit effectus: ideo iuſtitia Dei, hoc eſt, retributio ſuper filios filiorum: qui melius intelliguntur in germine bonorum operum, quàm in prole natorum: quos multi iuſti non habuiſſe noſcuntur: & qui habuerunt, non omnes ſunt, aut in omnibus gloriati.

Cuſtodientibus teſtamentum & memoria retinentibus mandata eius, ut faciant ea.

Ille mandata Dei memoriter tenet, qui, quod mandatis Dei continetur,

A tur, operatur: nec falli poteſt in latitudine præceptorum, cùm in duobus mandatis tota lex pendeat, & prophetæ.

Dominus in cœlo parauit thronum ſuum: & regnum eius, omnium dominabitur.

Quid aliud ſignificatur, niſi domini deſcenſio, & aſcenſio, & adſumpti hominis in paterna ſede conſeſsio? cui genu omne flectitur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confitebitur, quoniam dominus IESVS Chriſtus in gloria patris eſt. Philipp. 2.

Benedicite dominum omnes angeli eius, potentes uirtutes, facientes uerbum eius, ad audiendam uocem ſermonum eius.

Potentes ſunt uerbo, qui uerbi famulantur imperio: quia ipſius implentur uirtute, cui ſeruiunt.

Benedicite dominum omnes uirtutes eius, miniſtri eius facientes uoluntatem eius.

Vera eſt confeſsio benedicentis, cùm idem ſonus eſt oris, & cordis. Benè autem loqui, & malè uiuere, nil aliud eſt, quàm ſua ſe uoce damnare.
B Benedicendus ergo eſt dominus ipſis maximè operibus, quibus ſic debet uti conſcientia, ut de ipſis in domino glorietur.

Benedicite dominum omnia opera eius, in omni loco dominationis eius.

Sicut nullus eſt locus, qui non dominationi eius ſubijciatur: ita nullus eſt locus, in quo eius debeat ceſſare benedictio.

Benedic anima mea dominum.

Ipſo uerſu Pſalmus concluſus eſt, quo inchoatus: ut intelligamus, perſeuerari in Dei benedictione debere: quæ uerè continuatur, ſi ſine ceſſatione bene uiuitur.

PSALMVS CIII.

B*Enedic anima mea dominum.*

SICVT in præcedente Pſalmo, ita etiam in iſto, qui ſequitur, uox eſt membrorum corporis Chriſti. Vnus eſt homo, & cuius in una fide unum cor & anima una eſt, cohortans, & excitans ſe in laudem Dei: ut in contemplatione creaturarum magnificetur creator.

Domine Deus meus magnificatus es uehementer. C

Magnitudini Dei nec accedere aliquid, nec decedere poteſt: qui quod eſt, incommutabiliter ſemper eſt: magnificatur ergo non ſibi, ſed nobis: tantò uehementius, quantò magis ſe intellectui noſtro innoteſcere facit: ut non illius gloria, ſed admiratio noſtra proficiat.

Confeßionem & decorem induiſti.

Induit ſe dominus Deus noſter confeſsionem & decorem: id eſt, induit ſe eccleſiam, quæ per confeſsionem depoſuit fœditatem, & accepit decorem: ipſa enim confeſsio peccatorum, decus eſt rectè factorum.

Circumamictus lumine, ſicut ueſtimentum.

Ipſa eſt ueſtis eius, non habens maculam, neq; rugam, & ſplendida facta per gratiam, quæ & lux uocatur: dicente Apoſtolo, Fuiſtis aliquando tenebræ: nunc autem lux in domino. Ephes. 5.

Extendens cœlum, ſicut pellem.

Si facturam cœli ſecundum literam cogitemus, in ſimilitudinem pellis extenſæ, celeritas quædam demonſtrata eſt, qua ſine ulla difficultatis mora opus ſuum creator explicuit. Dixit enim, Fiat firmamẽtum inter aquã, & aquam: & factum eſt ſic. Quoniam uerbo domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis uirtus eorum. Si autem figuratam ſignificationem adnitamur inſpicere, inuenimus extendiſſe Deum cœlum ſicut pellem: cùm intelligimus ſanctam ſcripturam cœlum appellatam, cuius autoritatem primò quaſi firmamentũ in eccleſia ſua poſuit: & quam ſuper omnem orbem terrarum per miniſteria prædicantium quaſi pellem extendit. Pellis autem nomine ſignificata eſt mortalitas miniſtrorum manente ipſorum opere, per quod ubique ueritas innoteſcit, & inuiſibilitas Dei, per uiſibilia literarum elementa intellecta conſpicitur. D Gene. 1. Pſal. 32. Rom. 1.

Qui protegis in aquis ſuperiora eius.

Et hoc ſecundum literam bene intelligitur: quia iuſsit Deus, ut fieret firmamentum inter aquas, & aquas, factumq; eſt ſic: & pars aquarum reſedit in terram, pars autem eſt cœlo ſuperpoſita, remota ab aſpectu noſtro, & fidei commendata. Secundum uerò figuram, qua ſcripturam ſanctam diuina autoritate firmamentum cœlum accepimus, quod ſuper orbem terræ ſicut pellis per famam prædicationis extenditur: ſuperiora cœli protegi aquis in eo intelligamus, quòd in hoc cœlo, id eſt, in eloquijs, præceptiſq; diuinis, nihil eſt ſublimius charitate: quę ĩter Dei omnia dona

A dona supereminet. Diffusa est enim in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Quæ diffusio aquas sonat, de quibus dicitur: Et in plateis tuis discurrent aquę. Nemo alienus communicet tibi. Hęc quippe aqua, id est, charitas Dei, & proximi, propria & specialis uirtus est piorum, atque sanctorum: cùm cæteræ uirtutes & bonis, & malis possint esse cõmunes. Superiora itaque cœli his aquis proteguntur: quia præceptum charitatis super omnes cœlos, id est, super omnes libros est, cui militat omnis lingua, & omnis doctrina sanctorum. Protectio autẽ huius aquæ, subiectum cœlum scripturarum non erat, sed suspendit: quia in gemino charitatis præcepto, tota lex pendet & prophetæ. Rom. 5.

Qui ponis nubes ascensum eius.

Impletum est hoc uisibiliter, cum in conspectu discipulorum dominus nube susceptus, ascendit in cœlum, & de resurrectione apostolis loquens, dicit: Deinde nos, qui uiuimus, simul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Christo: & ita semper cum domino erimus. Sed uidendum est, quæ sint illæ nubes, quibus in cœlum diuinarum scripturarum ascenditur. Prædicatores utique ueritatis, qui corda audientium à terrenis sensibus erigunt, & ad sublimitatem cœlestis intelligentiæ subuehunt. Ab istis nubibus, uerbum Dei diffundentibus, uinea domini sabaoth, quæ est eccle- 1. Thess. 4.
B sia, fœcundatur: ut accepta pluuia edat fructum, & edat uuas, non spinas: & non sit talis uinea, de qua dicit dominus per prophetam, Mandabo nubibus meis, ne pluant super eam. Et qualis illa, cui dixerunt apostoli: Ad uos missi eramus: sed quia repulistis uerbum Dei, imus ad gentes. Esa. 5. Act. 13.

Qui ambulat super pennas uentorum.

Potest ad literam ita accipi, ut uelocitatem uerbi, omnia peruagantis, in hoc intelligamus, quod super uentorum pẽnas dicitur ambulare, quia uelocius nihil nouimus uentis, quorum celeritas significata est nuncupatione pennarum: sed his pernicior est ueritatis adnuntiatio, quæ attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Per figuratam autem significationem, uentorum nomine non absurdè animæ intelliguntur: non, quia eiusdem naturæ sint: sed quia similiter inuisibiles. Quarum pennæ sunt duo præcepta charitatis, quibus ad dominum tendunt. Sed quia maior, & sublimior est Dei charitas qua dilexit nos, quàm in eundem nostra dilectio: ideo super pennas uentorum, hoc est, super charitatem animarum dicitur ambulare: quia charitatem nostram supergreditur charitas Dei: qui ipsam charitatem, qua diligimus, diffudit in cordibus per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Rom. 5.

*als: flagrātem. *Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignem * urentem.* C

Secundum literam non dubitamus esse spiritus, nobis inuisibiles, ministros Dei: qui ab officio, quod agunt, angeli nuncupantur. Spiritus enim naturæ nomen est, angelus actionis. Hos itaque ministros suos Deus facit etiam ignem urentem, siue flagrantem: sicut legimus, ignem in rubo apparuisse: &, missum ignem desuper, & implesse quod præceptum est, ministerio executionis angelicæ. Figuratè uerò spiritales quique in ecclesia spiritus appellantur: qui fiunt angeli, cùm fiunt prædicatores, & nuntij ueritatis. Idemque sunt ignis, cùm feruent spiritu, & eos quos exhortantur accendunt: duplicem habentes efficientiam, ut & illustrent animas, & adurant, cùm eadem ui & ardorem uirtutis inijciunt, & peccatorum spinas, tribulosque consumunt.

Fundauit terram super firmitatem eius: non inclinabitur in seculum seculi.

De terra ista laboriosè adseritur, quòd non inclinanda sit in seculum seculi, cùm dictum sit, Cœlum & terra transibunt. Nam fundatam eam
Matth. 24. super firmitatem suam, possumus ita intelligere, ut illa uis, qua sustentatur & continetur, firmitas ipsius dicta sit: quæ licet abscondita à nobis sit, tamen rectè creditur in sapientia & uirtute creatoris, qui omnia in se firmauit, in quo & omnia condidit. Mysticouerò intellectu accepimus D terram ecclesiam, cuius firmitas & fundamentum eius, super quod fundata est terra, Christus est. Fundamentum autem nemo potest ponere,
1. Cor. 3. præterquam quod positum est, quod est Christus IESVS. A quo fundamento non recedens, non inclinabitur in seculum seculi.

Abyssus sicut uestimentum amictus eius: super montes stabunt aquæ.

Terræ nomine ecclesiam intelleximus prophetatam, quę Christum habens fundamentum, non inclinabitur in seculum seculi. Veruntamen diluuio persecutionum, quæ abyssi, & aquarum nomine præsignantur, ita circumtegenda indicatur, ut quasi uestimento ab impugnātibus operienda sit populis: intantum persecutione crescente, ut etiam super montes, id est, eminentissimos quosque sanctorum attollenda sit oppressio persequentium.

Ab increpatione tua fugient: à uoce tonitrus tui formidabunt.

Factum est hoc, quum Deus conterruit gentes increpationis suæ tonitru: cessauerunt enim impij ecclesiam premere: & montes Dei, quorum sublimitas aquis superstantibus obtegebatur, ijsdem aquis recedentibus, receperunt eminentiam: tonante enim domino formidauerunt aquæ, & montes à diluuio exuti sunt.

Ascendunt

A *Ascendunt montes, & descendunt campi, in locum quem fundasti eis.*

Montes elationes aquarum sunt, id est, fluctus persequentium populorum, qui cùm sæuirent, montes erant: sed increpati quieuerunt, & campi facti sunt, fundato ipsis loco, in quo cohiberentur. Qui locus intelligitur quædam mensura formidinis, intra quam sæuientium corda conclusa sunt: ut etiam si adhuc retinent infidelitatis suæ amaritudinem, super dulces tamen aquas, id est, fideles populos nequeant eleuari: neque reuertentur tegere terram fluctus illi magni, & amari: acceperunt modum, quem non transgredientur: neque poterunt ecclesiæ inferre diluuium.

Qui emittit fontes in conuallibus.

Super humilem & quietum requiescit spiritus Dei: & qui credit in me (inquit) flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Conualles ergo humilitatem significant, quæ nunquam sine fonte gratiæ est. Non est autem insolēs, ut qui montes sunt, propter sancti spiritus magnitudinem: cōualles sint, propter sui spiritus humilitatē: sicut apostolus Paulus mons erat, dicendo: Non autē ego. & habebat fontē, dicēdo: Sed gratia Dei mei mecū. Ioan. 7.

Inter medium montium pertransibunt aquæ.

B Montes sunt prædicatores magni, qui de humilitatis cōuallibus aquas ueritatis emittunt: De qua abundātia nihil sibi adscribūt, nihil quasi proprium uendicant: sed cōmunis, & media est emanatio spiritualiū fluentorum. Aut de aquis, id est, de prædicatione, nulla fit discordia montium: sed pax cōsensionis, & societas charitatis, faciat unū, & cōmune quod profluit.

Potabunt omnes bestiæ syluæ.

Vidimus quidem hoc etiam in ista creatura, bestias syluæ bibere de fontibus, & de riuis inter montes currētibus: sed quia per hęc, quæ omnibus nota sunt, quædam significantur abscondita, quibus inuentis studia spiritalium gaudeant, bestias syluæ, gentes intelligimus: quoniā sæpe inueniuntur in scripturis sanctis gentes indicatæ nomine bestiarum. Sicut congregatæ in arca Noe totius generis bestiæ: & discus quatuor lineis in uisione Petri apostoli, demissus de cœlo omnium plenus animalium, non aliud declaratur, quàm uniuersi generis homines in unitate ecclesiæ congregādos. De his ergo aquis in mediū montiū pertranseuntibus, id est, de doctrina apostolica in medio fluente, ꝑpter cōcordiā cōmunionis omnis bestiæ syluæ: Omnes enim erāt in arca, omnes in disco. Pertrāseuntes autem sunt aquæ istæ: quia omnis doctrina, quæ in hoc tempore dispensatur, transit: dicente Apostolo, Et scientia destruetur, & prophetia euacuabitur. Ex parte enim scimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem uenerit quod perfectum est: quod ex parte est, euacuabitur. 1. Cor. 13.

Suscipient onagri sitim suam. C

In onagris maiores, fortioresque bestiæ nominantur, quæ de aquis prætereuntibus tantum suscipiunt, quantum sitiunt. Sunt enim aquæ istæ ita sufficientes, ut & parua & magna animalia, quantũ ex eis desiderauerint, hauriãt. Doctrina quippe apostolica, tam salubris, tamque uitalis, ut pro capacitate utentiũ, neminẽ sui dimittat exortẽ: quia siue paruuli, siue magni, siue infirmi, siue fortes, habent in ea unde alantur, unde satientur.

Super illos uolatilia cœli inhabitabunt: de medio petrarum dabunt uocem suam.

Sunt quædam uolatilia, quæ nõ habitãt nisi super montes: & horũ nomine spiritales animæ significãtur, aëre libero, & cœli serenitate gaudẽtes: quibus tamen habitatio & pastus in montibus est: montes enim sunt prophetæ, montes apostoli, mõtes omnes prædicatores ueritatis, & sublimes quique doctores, à quibus qui spiritalis est nõ aberrat, sed in eis & cibũ sumit, & requiẽ. Tales ergo aues in montibus, in quibus habitãt, inueniunt petras, firmamẽta quædam præceptorum. Sicut enim una illa petra Christus uerbum Dei: sic multa uerba Dei, multæ petræ: de quarum medio dant uocem suam, & illis sonantibus respondent, & resultant petræ, cùm disputationibus consonant testimonia scripturarum.

Rigans montes de superioribus suis. D

Montes isti, quicquid de conuallibus suis aquarum fundũt, quicquid uocum de medio dant petrarum, desuper acceperunt, & diuina gratia sunt rigati: ut & aquis, & uocibus abundarent: quibus & sitientes implerent, & audientes delectarent, ea proferentes, quæ unicuique secundum mensuram capacitatis suæ congruerent.

De fructu operum tuorum satiabitur terra.
Producens fœnum iumentis, & herbam seruituti hominum.

Nemo glorietur in operibus suis, quasi de proprio habeat, quod habet: sed qui gloriatur, in domino glorietur. Quia nõ meritorum suorum, sed gratiæ fructus est unde satiatur. Terra igitur iustificata, & supernis rigationibus fœcũdata, producit fœnum iumẽtis, & herbã seruituti hominũ: ut agri dominici cultoribus semẽ uerbi seminãtibus necessaria præbeant: & qui Euangeliũ adnuntiãt, de Euãgelio uiuãt. Perceptores enim spiritalium, debitores sunt carnaliũ, quæ fœni & herbę nomine significata sunt. Nam quis unquã militat suis stipendijs? aut quis plantat uineã, & de fructu eius non edet? uel quis pascit gregẽ, & de lacte gregis nõ percipit? Prębenda ergo sunt pabula pręsidẽtiũ seruituti. Quoniã prædicatores uerbi, & iumenta, & serui sunt. Et qui suscipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti

Rom. 11. [margin]
1. Cor. 9. [margin]

A iusti accipiet. Qui suscipit prophetam in nomine prophetæ, mercedē prophetæ accipiet: & qui dederit calicē aquæ frigidæ, uni ex his minimis, tantum in nomine discipuli: amen dico uobis, non perdet mercedem suam. *Matth. 10.*

Vt educat panem de terra: & uinum lætificet cor hominis.

Terra fœnum producit, ut panem de terra producat, plebes scilicet sanctæ piè seruientibus sibi seruiunt: & præbentes carnalia, accipiunt spiritalia à prædicatoribus uerbi Dei: qui est panis, qui de cœlo descendit: per quos adhuc in terra ambulantes, & terrenum corpus portantes, propter quod & ipsi terra dicuntur, calix præclarus, & inebrians ministratur, ut bibentes sancti spiritus lætitia repleantur.

Vt exhilaretur facies in oleo:

Gratia quædam, quæ est hominum ad homines præcipua ad concilian dum sanctū amorem, oleum dicitur, in nitore diuino, quo totum unguitur corpus Christi, qui principaliter unctus, & fons huius est olei.

Et panis cor hominis confirmat.

Manifestauit de quo pane loqueretur. Panis enim uisibilis uentrem satiat, stomachumq́ue confirmat. Iste autem cibus, cordis est & animę fortitu-
B do, de quo ipse dominus dicit: Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descēdi.

Saturabuntur ligna campi:

De ista gratia saturabuntur ligna campi, id est, plebes Iudæorum.

Et cedri libani, quas plantasti.

Satiabuntur hac gratia, non solum humiles huius mundi, sed etiam no biles, atque sublimes: qui propter excellentiam suam dicuntur cedri: sed quas plantauit dominus, qui etiam de diuitibus & illustribus, multos iustificauit.

Illic passeres nidificabunt: fulicæ domus dux est eorum.

In istis cedris Libani, quas gratia Dei plantat, & satiat, nidificabūt passeres, hi scilicet, qui elegerunt humilitatem, & relictis quæ habebant, aut uenditis, nihil sibi in hoc seculo reseruarunt: sed diuitum Christianorum domibus, agrisq́ue suscepti, necessarijs solatijs adiuuantur. Qui tamen licet in cedrorum altitudine requiescant, non ipsis cedris ducibus utuntur, sed fulicæ domus dux est eorum. Domus autem fulicæ, quæ marina est auis, non est in terræ foraminibus, neque in ramis arborum, sed in petra, quæ aquis sit circundata. Petra uerò intelligitur Christus, qui exemplum

patientiæ præbuit humilibus, & passeribus: quorum ipse est fortitudo, C
ut circumfrementibus fluctibus non moueantur: & si quid in cedris Libani offenderit, fulicæ domum sequantur.

Montes altißimi ceruis, petra refugium ericijs.

Cerui sunt magni & præcipui spiritales, qui mandatorum Dei sublimissima quæque sectantur, & in montibus habitant scripturarũ. Sed & qui excelsa tenere non possunt, habent humilitatis suæ refugium: ac licet sint minutis quibusdam peccatis hispidi, & spinosi (quod significatum est ericiorum nomine) tamen & ipsi suscipiuntur à petra, quę siue in montibus, siue in mari, siue in conuallibus, omnium est ubique præsidium.

Fecit lunam in tempore.

Fundauit dominus ecclesiam, quæ per temporalia transit ad æterna: & quamuis ad claritatem destinata sit perpetem, mutationibus tamen, dum hic degit, obnoxia est.

Sol cognouit occasum suum.

Christus agnouit passionem suam. Occasus Christi, passio Christi est. Sed nunquid sol sic occidit, ut non oriatur? nunquid qui dormit, non D
adijciet, ut resurgat? Quid est autem, Agnouit occasum suum: nisi, Placuit ei ut moreretur? Voluntate enim suscepit crucem, & mortem: & sicut aliena sunt ab eius notitia, quæ ipsi non placent: ita ea, quæ uoluntati ipsius congruunt, nouit, atque cognoscit.

Posuisti tenebras, & facta est nox:

Cum passus esset dominus, conturbata sunt tenebris formidinis corda apostolorũ: & quædam illic nox facta est, cùm occisus est, qui redemptor omnium uidebatur.

Ibi per transibunt omnes bestiæ syluæ:
Catuli leonum rugientes ut rapiant, quærentes à domino escam sibi.

In hac nocte desperationis, & in his tenebris ignorantiæ insidiabantur bestiæ syluæ, id est, maligni spiritus: & catuli leonũ, hoc est, sæuiores quique dæmonum furentes ad rapiendos in escam suam, quos in tenebris infidelitatis inuenerint. Quibus tamen nihil noxiæ inferre possunt, nisi Deus permiserit: & ideo ab ipso petunt rapiendi potestatem, cuius iudicio homo inimicis suis aut castigandus traditur, aut probandus.

Ortus

A *Ortus eſt ſol, & congregati ſunt: & in cubilibus ſuis* * *colloca=buntur.* *cubabunt

Ortus eſt ſol, quia occidit ſol: id eſt, Chriſtus mortuus reſurrexit, & uniuerſum mundum claritatis ſuæ manifeſtatione impleuit: & quamuis in cordibus infidelium tenebræ perſeuerent, eccleſia tamen toto orbe terrarum, cui ſol eſt ortus, in lumine eſt. Vnde illi ſpiritus, qui ad perſequendos Chriſtianos impiorum animos incitant, in tanta luce ubique receptæ ueritatis ſæuire non audent, in ſua cubilia congregati, intra infidelium corda cohibentur.

Exiuit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam uſque ad ueſperam.

Quia modo in pace eccleſiæ homo Dei, iuſtitiæ Dei ſeruiens, liberè agit, & ad profutura ſibi opera ſecurus egreditur, uſque ad ueſperam. In fine enim mundi erit quædam contenebratio perſecutionis externæ.

Quàm magnificata ſunt opera tua domine, omnia in ſapientia feciſti.

Admiratio hæc, qua magnificentia ſtupetur operum diuinorum, ad
B utranq; cõditionem pertinet: id eſt, & mundi huius, & eccleſiæ: quia temporalium pulchritudo gloriam ſignificat æternorum: & per uiſibilia, ea quæ non apparent, intellecta conſpiciuntur. Omnia autem in ſapientia feciſti: id eſt, in Chriſto facta ſunt, qui eſt Dei uirtus & Dei ſapientia.

Repleta eſt terra creatura tua.

Latè oculis apparet, & multipliciter ſpectabilis eſt pulchritudo mundana, quæ ſapientiã & uirtutem ſui teſtatur autoris. Sed illam magis creaturam debemus attendere, de qua dicit Apoſtolus, Si qua igitur in Chriſto noua creatura: uetera tranſierunt, ecce facta ſunt noua. Venit enim qui renouaret opus ſuum: qui conflaret & argentum ſuum: qui formaret monetam ſuam. Et uidemus plenam terram Chriſtianis in eum credentibus: & ad ſpem noui ſeculi, relicta præterita uanitate, currentibus. 2.Corinth.5.

Hoc mare magnum, & ſpatioſum: illic repentia, quorum non eſt numerus.

Licet ad nouum ſeculum noua creatura pertineat, in hac tamen uita peregrinatur, & non poteſt ad patriam ſuam, niſi per hoc magnum & inquietum mare inter pericula nauigare: inſidiante innumerabilium repentium dolo, hoc eſt, multarum tentationum incurſu: à quibus cauendum

eſt, ne

est, ne dum repunt, subrepant: & non recedendum à ligno crucis, in quo C
hoc sæuum mare sub Christi gubernaculis transeatur.

Animalia pusilla & magna: illic naues commeabunt.

In hoc mari sunt infideles, & inter aquas amaras sterilesq́ue uersantur. Pusilli & magni, id est, & infirmi & primates istius seculi: qui licet Christianæ religioni aduersentur: tamen inter ipsos tutus est nostrorum nauium commeatus: hoc est, inter procellas & fluctus maris gubernante Christo ecclesiarum tutus est cursus.

Draco iste, quem formasti ad illudendum ei:

In mari isto magno, ubi sunt repentia, quorum non est numerus, ubi animalia pusilla, & magna, ubi etiam nostrarum nauium commeatus: ibi est & draco, qui de summis in ima deiectus iudicio Dei, ad hoc ex angelo diabolus factus est, ut malitiæ & nequitiæ ipsius à sanctis illuderetur. Qui etsi indesinenter habet nocendi cupiditatem, nemini tamen plus tentationum potest inferre, quàm sinitur.

Omnia à te expectant domine, ut des illis cibum in tempore oportuno.
Dante te illi colligent: D

Vniuersis repentibus cunctis animalibus, atque ipsi draconi non suppetit cibus, nisi quem dominus dederit. Quãuis enim draco semper sit cupidus ad uorandum, uorare tamen non potest, nisi quod Deus iustus ciborum omnium distributor esui eius addixerit. Est autem esca ipsius terra. Non igitur edendus dabitur, qui terra non fuerit: hoc est, qui non se terrenis cupiditatibus actibusq́ue dediderit.

Aperiente te manum tuam, uniuersa replebuntur bonitate.
Auertente autem te faciem tuam, turbabuntur.

Apertio manus Dei, reuelatio est Christi: manus enim domini, Christus est, & brachium domini cui reuelatum est: quod cui reuelatur, illi aperitur: & cui aperitur, bonitate impletur. Vt́q; hanc bonitatem desuper accepisse se nouerit, nonnunquam dominus auertit faciem suam: & qui uidebatur plenus bonitate, turbatur: ut per subitam inopiam intelligat illam boni abundantiam non sibi fuisse de proprio.

Auferes spiritus eorum, & deficient: & in puluerem suum reuertentur.

Qui

A Qui in se gloriabantur, docentur detumescere: aufertur ab eis spiritus superbiæ, ut conuertantur in pulurem suum: agnoscentes quòd terræ sint, & pœnitentes quòd superbierint, ut rursus bonitate repleantur.

Emitte spiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ.

Ipsius enim sumus figmentum, dicit Apostolus, creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus, ut in illis ambulemus. Ab spiritu Dei accepimus gratiam, ut iustitiæ uiuamus. Deus enim iustificat impium, & renouat faciem terræ, condens in toto mundo nouam creaturam per spiritum gratiæ, ut deposito uetere homine, in nouitate uitæ ambulemus. Ephe. 2.

Sit gloria domini inæternum: letabitur dominus in operibus suis.

Deo ergo sit gloria, Deus lætetur in operibus suis: quia si quid laudandum, si quid lætandum ab homine agitur, opus Dei est, & munus gratiæ eius, qui aufert spiritum superbum, & dat spiritum sanctum.

Qui aspicit terram, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigabunt.

B Hæc opera Dei conuertentis auersos, ut aspiciat ad terram præsidentem sibi, ac de suis uiribus præsumentem, & faciat eam tremere, & hanc sibi esse caussam tremoris agnoscat: quia Deus in ipso operatur, ut bona sit, quo se auertente defecerat. Eodem autem opere tanguntur & montes, id est, sublimiores quidam, & potentiores huius seculi: & fumigabunt: id est, dabunt Deo confessionem, & preces ipsorum ad Deum, qui illos tetigit, quasi fumus ascendit.

Cantabo domino in uita mea: psallam Deo meo quandiu sum.

Omnia, inquit, ad laudem Dei referam, & dominum in omnibus suis, sine fine laudabo.

Suauis sit ei disputatio mea: ego autem iocundabor in domino.

Suauis est domino disputatio illius, qui per humilem confessionem se indicat scienti Deo, & cui se indicat nescienti Deus. De hac autem tali disputatione oritur delectatio: quia confessio non in se gloriantis, in agnitionem Dei proficit.

Deficient peccatores à terra, & iniusti, ita ut non sint.

Iracun

Iracundiæ & odij uidetur esse uox ista, sed est præcipue charitatis: hoc C
enim ait, quod & suprà, ut auferatur spiritus superborum, & deficiant: & mittatur in illos spiritus Dei, ut fiat noua creatura, deficiente malitia, non pereunte substantia. Qui enim, cùm esset impius, iustificatus est, non erit impius, sed erit iustus.

Benedic anima mea dominum.

Benedicat anima fidelis in omnibus Deo, & qui gloriatur, in domino glorietur.

PSALMUS CIIII.

PRIVS hic Psalmus prænotatur Alleluia: quod est, laudate dominum. ideo à laude cœpit.

COnfitemini domino, & inuocate nomen eius.

LAVDATE, inquit, dominum, & inuocate: semper enim inuocationem debet præire laudatio, quæ hic dicta Confessio est. D

Adnuntiate in gentibus opera eius.

Euangelistis hoc dicitur in propheta, ut uniuerso mundo Christus adnuncietur.

Cantate ei, & psallite ei:

Hoc est, uerbo & opere prædicate: quoniam ore canitur, manibus autem psallitur.

Narrate omnia mirabilia eius.
Laudamini in nomine sancto eius.

Opera, inquit, Dei confitendo narrate: & in operibus uestris sic estote laudabiles, ut Deus laudetur in uobis.

Lætetur cor quærentium dominum.
Quærite dominum & confirmamini:

Dominum quærens, gaudium quærit: sic ergo quæratur, ut non de se, sed Deo gaudeat, & confortetur. Accedendo enim ad dominum & illuminab

A luminabitur ignorantia, & corroboratur infirmitas; data sibi & intelligentia qua uideat, & charitate qua seruiat.

Quærite faciem eius semper.

Facies pro præsentia ponitur, sicut facies uenti, & facies ignis. Præsentia ergo Dei semper quærenda est: & perseueranti studio agendum, ut qui præsentem se tribuit, non recedat. Hoc autem in ista uita fides quærit, spes inuenit, charitas uerò obtinet in uita æterna, ubi amor ueræ præsentiæ nec minuitur, nec finitur.

Mementote mirabilium eius quæ fecit: prodigia eius & iudicia oris eius.
Semen Abraham serui eius: filij Iacob electi eius.

Quia multum est paucisque possibile est, secundum id, semper Deum quærere, quod ipse de se ait, Ego sum qui sum: secundum id, saltem à paruulis est quærendus, quod ipse ait, Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, hoc mihi nomen est inæternum. Mementote ergo mirabilium eius quæ fecit, qui semen estis Abrahæ, & filij eius Iacob, quem elegit Deus: ut si altius Deum non potestis desiderare, uel secundum ea, quæ cum patribus uestris operatus est, præsentiam ipsius expe-
B tatis.

Ipse dominus Deus noster: in omni terra iudicia eius.

Manifestauit, quòd hi essent filij Abraham, qui essent filij promissionis, dicendo, In omni terra iudicia eius; quia in toto mundo fuerant filij Abrahæ, quos nunc sermo propheticus cohortatur, ut meminerint mirabilium Dei.

Memor fuit in seculum testamenti sui: uerbi, quod mandauit in mille generationes:
Quod disposuit Abraham: & iuramenti sui ad Isaac.
Et statuit illud Iacob in præceptum, & Israël in testamentum æternum:
Dicens, tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis uestræ.

Per ea quæ transierunt, significantur ea quæ manebunt: & per imaginem ueteris testamenti, confirmata est promissio hæreditatis æternæ, per uerbum, quod mandauit Deus in mille generationes; hoc est, in omnes. Nam ut nihil uacui prætermitteret, eum numerum posuit generationum, quem constat nec ab ipso Adam usque ad finem mundi posse compleri, donec omnes generationes finiantur, quæ ex abundanti millenario nu-

A Compedes quidem Ioseph accepisse non legimus, sed dubitandũ non est de eo: quod licet historia prætermiserit, tamen propheta non tacuit. In ferro autem, quod pertransiisse animam eius dixit, tribulationem duræ necessitatis debemus accipere: quæ tribulatio tam diu mansit, donec implerentur somnia, quæ uerbo ipsius fuerant interpretata: & per quę commendatus est regi, ut etiam ipsi futura prędicaret. Ne quis autem hæc homini tribueret, non gratiæ Dei, congruenter adiectum est, Eloquium domini inflammauit eum: ut etiam ipse intelligatur sancto spiritu seruisse.

Misit rex, & soluit eum: princeps populorum, & dimisit eum.

Ipse est rex, qui princeps populorum soluit eum, compeditum dimisit inclusum.

Constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.
Vt erudiret principes eius sicut semetipsum: & seniores eius prudentiam doceret.

Ne hoc quidem in illa sublimitate Ioseph historia refert, quòd Aegyptios senes sapientia imbuerit spiritalis. Sed quî fieri posset, ut uir tantus, B unius ueri Dei cultor, alendis tantummodo Aegyptiorũ corporibus, & solis terrenis rebus prospiciendis esset intentus: non autem curaret, ut eorum, quos habebat subditos, etiam animos erudiret?

Et intrauit Israël in Aegyptum: & Iacob accola fuit in terra Cham.

Quod est Israël, hoc est Iacob: & quod est Aegyptus, hoc terra Cham. De semine enim Cham filij Noë, exorta est gens Aegyptiorũ: apud quos peregrinati sunt Israëlitæ. Si autem quæritur, quomodo de regno in populum alterum transisse dicantur, cùm terram Chanaan needum in regnum accepissent? Potest per anticipationem, id est, prolepsim, sic dictum accipi, ut quod futurum erat, quasi factum dictum sit.

Et auxit populum suum uehementer, & firmauit eum super inimicos eius.

Quod breuiter præmissum est, Firmauit populum suum super inimicos eius: tanquam quæreremus, quomodo factum sit, incipit dicere, donec id etiam narrando determinet.

Et conuertit cor eorum, ut odissent populum suum: ut dolum facerent in seruos eius.

Cor Aegyptiorum non Deus deprauauit à recto, sed cùm sponte mali C
essent, & tales, ut possent inuidere felicibus, in odium illos Hebræorum conuertit beneficia sua, qua populum suum multiplicabat: benefaciendo autem suis, Aegyptios ad eorum inimicitias incitauit: non ipsos malos faciendo, sed istis bona, quæ malos urerent, largiendo.

Misit Moysen seruum suum, & Aaron, in quem elegit ipsum.
Posuit in eis uerba signorum suorum, & prodigiorum in terra Cham.

Multa sine ullis uerbis facta sunt, uel uirga, uel manu extenta, uel fauilla in cœlum missa: sed quia illa ipsa sine uerbo facta sunt, nòn erant ab aliquibus significationibus uacua, sicut uerba quæ loquitur. Ideo etiam ipsa dicta sunt uerba, non uocum, & sonorum, sed signorum, & prodigiorum.

Misit tenebras, & obscurauit: & non exacerbauerunt sermones eius.

Id est, Moysen & Aaron Aegyptij, quamuis essent durissimi, patienter tulerunt, donec omnia quæ Deus facere disposuerat, complerentur.

Conuertit aquas eorum in sanguinem, & occidit pisces eorum.
Dedit terra eorum ranas, in penetralibus regum ipsorum. D

Hyperbolicos dictum est, tanquam ipsam terram eorum conuertisset in ranas.

Dixit, & uenit cynomyia, & cinifes in omnibus finibus eorum.

Si quæritur quando dixerit: In uerbo eius erat antequam fieret, & sine tempore ibi erat, quo tempore fieret.

Posuit pluuias eorum grandinem: ignem comburentem in terra ipsorum.
Et percussit uineas eorum, & ficulneas eorum: & contriuit lignum finium eorum.

Hoc ui grandinis, & fulminibus factum est: Vnde & ignem dixerunt comburentem.

Dixit, & uenit locusta & bruchus, cuius non erat numerus.

Vna plaga est locustæ, & bruchi; quoniam altera est parens, altera fœtus.

Et

A *Et comedit omne fœnum terræ eorum.*

Etiam fœnum fructus est, sicut loqui scriptura consueuit, quæ etiam segetes frugum fœnum appellat.

Et percussit omnem primogenitum in terra eorum: primitias omnis laboris eorum.

Hęc plaga nouissima est, excepta morte in mari rubro: quę plagæ cùm sint decem, nec omnes cōmemoratæ sunt, nec eodē ordine quo in Moyse legūtur: libera est enim prophetica laudatio à lege narrationis historicæ.

Et eduxit eos in argento & auro.

Dolus quidē, quo Aegyptij decepti sunt, ut argentū & aurū Hebræis descendētibus darēt, nō ad præceptū, nec ad inspirationē Dei referendus est, sed ad promissionē tantū: qua carnales quoq; hac decipi cupiditate pa teretur. Veruntamē habeat aliquid fraus ista iustitiæ, quæ ab iniquis hoc quodā modo abstulit, quod pro mercede multorum operum debebatur.

Et non est in tribubus eorum infirmus.

Etiam hoc magnum beneficium Dei fuit, ut in illa profectione nullus esset infirmus, corpore scilicet, non animo.

B

Lætata est Aegyptus in profectione eorum: quia incubuit timor eorum super eos.

Intelligendum, quòd hoc tunc factum sit, quando oppresso aquis Pharaone cum exercitu suo, residui Aegyptiorum timere potuerūt, ne ad delendos eosdem, Hebræi reuerterentur: quibus profectis in longinquiora, causas habuerunt lætandi.

Expandit nubem in protectione eorum: & ignem, ut luceret eis per noctem.

Petierunt, & uenit coturnix:

Quæ utiq; caro est: quæ petitio non querulorum, sed electorum præstita est, ad carnalium munera comprimenda. Quoniam hic Psalmus non de eis loquitur, in quibus non est beneplacitum Deo: sed de fide filiorum promissionis, propter quos etiam illi iuuabantur.

Et pane cœli saturauit eos.

Id est, manna.

Disrupit petram & fluxerunt aquæ: abierunt in sicco flumina.

His omnibus beneficijs Dei, fidei Abrahæ meritum commendatur. C

Quoniam memor fuit uerbi ſancti ſui, quod locutus eſt ad Abraham puerum ſuum.

Et eduxit populum ſuum in exultatione, & electos ſuos in lætitia.

Et dedit illis regiones gentium: & labores populorum poſſederunt.

Tanquam quęreremus, cui bona iſta data ſint: ne hoc ipſum putaretur ſummum bonum, quòd iſta felicitas temporalium rerum data eſt, continuò eam ad aliud retulit, ubi ſummum bonum oportet inquiri.

Vt cuſtodiant iuſtificationes eius: & legem eius requirant.

Ergo intelligendum eſt, Dei ſeruos, & electos filios promiſsionis, imitantis fidem Abrahæ, propterea iſta bona terrena ſumere à domino, ut non in eis luxu diffluant, ſiue peruerſa ſecuritate torpeſcant: ſed ideo habeant hæc omnia ex diuina miſericordia præparata, in quibus quęrendis poſſent negotioſiſsimis laboribus occupari: ut ad hoc uacent, unde bonum æternum poſsit acquiri: hoc eſt, ut cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius requirant.

D

PSALMVS CV. ALLELVIA.

CONfitemini domino, quoniam bonus: quoniam in ſeculum miſericordia eius.

DVO iſti Pſalmi, id eſt, C IIII. & CV. ita inter ſe coniuncti ſunt, ut in uno eorum, qui præcedit, cōmendetur populus Dei in electis eius, de quibus nulla querela eſt, & in quibus beneplacitum eſt domino: in iſto autem qui ſequitur, hi commemorantur, qui in eodem populo amaricauerunt. Nec tamen etiam ipſis miſericordia Dei defuit. Dicuntur autem iſta ex eorum perſona, qui ueniam conuerſi precantur: & exempla commemorantur illorum, in quos etiam peccatores diues apparuit miſericordia Dei. Incipit ergo iſte Pſalmus, ſicut ille, Confitemini domino: ſed ibi ſequitur, Et inuocate nomen eius. Hîc autem, Quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Confeſsio igitur peccatorum habet laudationem Dei: quoniam qui indulgentiam petit, cum ſpe debet orare, & cum laude eius miſericordiæ, quam credit æternam.

Quis loquetur potentias domini: auditas faciet omnes laudes eius?

Quis

A Quis enarrabit opera omnipotentis misericordiæ Dei, uel poterit facere, ut omnes laudes ipsius audiantur? quia quod ore promitur, & quod opere agitur, in laudem Dei dicendum est, atque faciendum.

Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore.

Iustitia & iudicium tam similia sibi sunt, atque uicina, ut quodlibet eorum pro altero poni posit: ueruntamen si proprietas eorum diligentius seruanda sit, Iudicium custodire dicendus est, qui rectè iudicat: Iustitiam uerò facere, qui rectè agit.

Memento nostri domine in beneplacito populi tui:

Id est, ut in eis simus, in quibus beneplacitum est tibi: quia non in omnibus illis beneplacitum est Deo.

Visita nos in salutari tuo.

Hoc est, in Christo tuo, in quo peccata dimittuntur, & animę sanantur, ut custodiant iudicium, faciantque iustitiam.

Ad uidendum in bonitate electorum tuorum: ad lætandum in
B *lætitia gentis tuæ:*

Visita nos, inquit, ad uidendum: id est, illumina nos, ne simus cæci, & extra bonitatem electorum tuorum. Quoniam oculi interiores recta uident, æquitatem uident, bona concupiscunt. In hac ergo bonitate fac & nos uidere, & lætari in lætitia populi tui, quæ non est præter te: quia omnes tui non gaudent, nisi de te.

Vt lauderis cum hæreditate tua.

Id est, ut omnia bona hæreditatis tuæ, quam elegisti, & adoptasti, ad tuam gloriam laudemque referantur. Quia quos uisitas in salutari tuo, laudari, nisi in tua laude, non possunt, qui eos laudabiles facis.

Peccauimus cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus.

Dupliciter intelligi potest, quòd peccauerint posteri cum patribus suis, tanto antiquioribus: siue quia in lumbis patrum erant, quando illi in Aegypto fuerunt: quia & Leui cum Abraham decimatus est: siue quia imitatores fuerunt per similitudinem contumaciæ, & cum illis peccauerunt, quos suis moribus retulerunt.

Patres nostri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua: non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ. C

Et intellectum redarguit, & memoriam: intellectu quippe uidere debuerunt, ad quorum bonorum æternitatem, per illa temporalia uocarentur. Memoria uerò ad hoc saltem instrui debuerunt, ut mirabilium Dei non obliuiscerentur: cum ad confirmationem eorum multum posset ualere beneficiorum Dei fidelis recordatio.

Et irritauerunt ascendentes in mare, in mare rubrum.

Ascendentes dictum est, pro terræ positione: quæ talis est, ut descensio dicatur in Aegyptum de terra Chanaan, & in eam de Aegypto ascensio.

Et saluauit eos propter nomen suum: ut notam faceret potentiam suam.
Et increpuit mare rubrum, & siccatum est:

Non legitur ulla uox facta, qua siccaretur mare: potentia ergo qua id factum est, increpatio dicta est.

Et eduxit eos in abyssis, sicut in deserto.

Quia siccitate factum erat sicut desertum, ubi fuerunt abyssi. D

Et saluauit eos de manu odientium: & redemit eos de manu inimici.

Quid pretij datum est in hac redemptione? an prophetia est, quod in figura baptismi hoc factum sit, ubi redimimur de manu diaboli magno pretio, quod est sanguis Christi? Vnde conuenienter hoc magis mari rubro figuratum est.

Et operuit aqua tribulantes eos: unus ex eis non remansit.
Et crediderunt in uerbis eius: & cantauerunt laudem eius.

Talis locutio est, cùm dicitur, hanc seruitutem seruiuit: aut, talem uitam uixit. Laudem uerò Dei illam dixit, quæ cantico Exodi continetur.

Citò fecerunt, obliti sunt operum eius: non sustinuerunt consilium eius.

Festinauerunt beati fieri temporalibus rebus, & magis concupierunt præsentia, quàm futura: cùm debuerint de tantis erga se beneficijs intelligere, quòd ad aliquam sine fine beatitudinem uocarentur.

Concup

A *Concupierunt concupiſcentias in deſerto: & tentauerunt dominum in inaquoſo.*

Talis locutio eſt, Concupierunt concupiſcentiam: qualis eſt ſuperior, Laudauerunt laudem.

Et dedit eis petitiones eorum: & miſit ſaturitatem in animam eorum.

Animam hoc loco, non ſecundum quod rationalis eſt, dixit: ſed ſecundum id quod animatum corpus anima facit: ad cuius animalis ſuſtentationem pertinet cibus & potus.

Et irritauerunt Moyſen in caſtris, & Aaron ſanctum domini.
Et aperta eſt terra, & deglutiuit Dathan: & operuit ſuper congregationem Abirom.

Quod eſt deglutiuit, hoc eſt, ſuperoperuit: amborum autem una erat cauſa, ob impium ſchiſma.

Et exarſit ignis in ſynagoga eorum: & flamma combuſſit peccatores.

B Licet iuſti quoque & laudabiliter uiuentes, non ſint abſq; peccato, ſcriptura tamen peccatores non leuium culparum homines, ſed multorum facinorum, & profundæ iniquitatis, hoc nomine appellare conſueuit.

Et fecerunt uitulum in Choreb: & adorauerunt ſculptile.
Et mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem uituli comedentis fœnum.

Deus erat gloria eorum, ſi eius conſilium ſuſtinerent: cui dicitur, Gloria mea, & exaltans caput meum. Iſtam gloriam ſuam, id eſt, domini, immutauerunt in ſimilitudinem uituli comedentis fœnum, ut ab eo comederentur, à quo comeduntur, qui ſapiunt ſecundum carnem: Omnis enim caro fœnum. *Pſal. 3.* *Eſa. 40.*

Obliti ſunt Deum, qui liberauit eos: qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.

Quæ ſunt mirabilia, eadem terribilia. Nulla quippe eſt admiratio ſine quadam formidine.

Et dixit diſperdere eos, ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius.

Non ita

Non ita dixit, in confractione, quasi ut confringeret iram Dei: sed in plaga, qua erant illi conterendi: in qua Moyses obiecit seipsum pro eis. Et demonstratum est, quantum pro malis ualeat apud dominum sanctorum intercessio. G

Vt auerteret iram eius, ne disperderet eos: & pro nihilo habuerunt terram desiderabilem, nec crediderunt uerbis eius.

Nullo modo isti culparentur, quia pro nihilo habuerunt terram, cuius temporale regnum etiam nos pro nihilo habere debemus: nisi terra illa, quæ dicebatur fluens lac & mel, magni sacramenti habuisset significationem: quod non intelligentes nec desiderantes, sed in terrenis tantum felicitatem suam cõstituentes, non crediderunt uerbis Dei: & pro nihilo habuerunt terram desiderabilem: id est, æternam, atque cœlestem.

Et murmurauerunt in tabernaculis suis: non exaudierunt uocem domini.

Et eleuauit manum suam super eos, ut prosterneret eos in deserto.

Et deijceret semen eorum in nationibus: & dispergeret eos in gentibus.

Et consecrati sunt Belphegor: & manducauerunt sacrificia mortuorum.

Et irritauerunt eum in adinuentionibus suis: & multiplicata est in eis ruina.

Suspensa fuerat ira iustitiæ, & in peccatores dilata uindicta: sed postea quàm consecrauerunt se idolis, & manducauerunt sacrificia mortuorum, id est, quæ mortuis hominibus immolabant: fornicationi quoque alienigenarum mulierum miscuerunt, multiplicata est in eis ruina, ut ob augmentum criminum grauius uastarentur: in qua uastatione dominum Phinees sacerdos placauit: quia masculum & fœminam, in complexu adulterino deprehensos, pariter interemit: & deputatum est hoc ei ad iustitiam: quia uidit Dominus, quod hoc totius populi charitate fecisset.

Et stetit Phinees, & placauit: & cessauit quassatio.

Et reputatum est ei ad iustitiam in generatione & generationem, usque in sempiternum.

Et irritauerunt eum ad aquam contradictionis, & uexatus est Moyses propter eos, quia exacerbauerunt spiritum eius: & distinxit in labijs suis.

A Sanctus Moyses perturbatus murmure populi, non tenuit fiduciam qualem debuit, & dubitanter petram uirga percussit, distinguens hoc miraculum à cæteris, quasi non posset, qui cætera fecerat, etiam istud efficere. Hinc ergo meruit prior mori, quàm terram repromissionis intraret. Cui tamen Deus, tanquã electo suo, etiam post mortem, bonum perhibet testimonium: ut intelligamus, eum huius tantùm hæreditatis priuatione mulctatum: non autem illius æternæ, quam significabat temporalis, & terrena possessio.

Non disperdiderunt gentes, quas dixit dominus illis.
Commixti sunt cum gentibus, & didicerunt opera eorum: & seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum.

Illud, quòd gentes non disperdiderunt, & quòd eis permixti sunt, factum est illis in scandalum.

Et immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs.
Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan.

B Historia quidem talium sacrificiorum non meminit: sed nemo dubitet, psalmum uera narrare.

Et interfecta est terra in sanguinibus: & contaminata est in operibus eorum:

Tropica locutio est, qua significatur per id quod continet, id quod continetur: sicut dicimus, malam domum, in qua mali habitant: & bonam, in qua boni. Interfecta ergo terra in sanguinibus, cùm ipsi, qui eam habitant, interfecti sunt in animam, & contaminati in operibus suis.

Et fornicati sunt in adinuentionibus suis.

Non sic dictæ sunt adinuentiones ipsorum, quasi ab ipsis repertæ, nullo præcedente, quod sequerentur, exemplo: sed in eo dictæ sunt ipsorum, quia illas suas imitando fecerunt.

Et iratus est furore dominus in populum suum:

Perturbatio iræ in Deum non cadit: sed consuetudine loquendi, potentia uindictæ indeclinabilis hoc uocatur.

Et abominatus est hæreditatem suam:

Et trad

Et tradidit eos in manus gentium: & dominati ſunt eorum, qui oderunt eos. C

Et tribulauerunt eos inimici eorum: humiliati ſunt ſub manibus eorum.

Quando eos hæreditatem Dei uocat, non ad perditionem, ſed ad diſciplinam hæc abominatio fuit.

Sæpe liberauit eos: ipſi autem exacerbauerunt eum in conſilio ſuo:

Perniciosum conſilium eſt hominis ipſi homini, quo ea quærit, quæ ſua ſunt, non quæ Dei: & ideo exacerbat conſilium Dei, qui ſe ipſum ſuis promittit hæreditatẽ, ut non temporalibus beati fieri cupiant, ſed æternis.

Et humiliati ſunt in iniquitatibus ſuis.

Et uidit cùm tribularentur, cùm audiret orationem eorum.

Et memor fuit teſtamenti ſui: & pœnituit eum ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ.

Pœnituit dictum eſt, quia ſententiam, qua eos puniturus uidebatur, in miſericordiam uertit: quod Deus ſine commutatione conſilij ſui facit. Quia etſi apud nos quædam ipſius iudicia & opera uariãtur: apud ipſum D tamen, omnium rerum exitus præſcientem, nihil noua diſpoſitione agitur: qui fecit quæ futura ſunt. Cùm ergo pœnituit eum ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ: hoc fecit, quod diſpoſuerat, ut concederet, quod ſe conceſſurum eſſe præſcierat.

Et dedit eos in miſericordias, in conſpectu omnium qui ceperant eos.

Bene hoc ad omnes filios promiſsionis refertur, qui redimuntur per ſanguinem, & eruuntur de poteſtate tenebrarum: ut reſipiſcant de diaboli laqueis, à quo captiuati tenentur, ad ipſius uoluntatem.

Saluos fac nos domine Deus noſter: & congrega nos de nationibus:

Vt confiteamur nomini ſancto tuo: & gloriemur in laude tua.

Benedictus dominus Deus Iſraël, à ſeculo, & uſque in ſeculum.

Id eſt, ab æterno uſque in æternum: quia ſine fine laudabitur ab eis, de
Pſalm. 83. quibus dicitur, Beati qui habitant in domo tua, in ſecula ſeculorum laudabunt te. Tunc enim perficietur quod in primordio Pſalmi huius oratum eſt,

A tum eſt,Memento noſtri domine in beneplacito populi tui: uiſita nos in ſalutari tuo. Ad uidendum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hæreditate tua. Non enim de gentibus ſolas cõgregat oues,quæ perierunt domus Iſraël: ſed etiam illas, quæ non ſunt de hoc ouili:ut ſit unus grex,ut dictum eſt,& unus paſtor. Iudæi uerò computant ad ſuum regnum uiſibile iſtam pertinere prophetiam: quia ſpe inuiſibilium bonorum gaudere non norunt,in laqueos illos ruituri ſunt,de quo dominus ait, Ego ueni in nomine patris, & non ſuſcepiſtis me: alius ueniet in nomine ſuo,hunc ſuſcipietis. Ioan.5.

Et dicet omnis populus:

Id eſt,omnis electio prædeſtinatorũ,omnes filij promiſsionis, qui ſunt ex circunciſione,& in præputio gens ſancta,populus adoptionis.

Fiat fiat.

PSALMVS CVI.

Confitemini domino quoniam ſuauis eſt:quoniam in ſeculum miſericordia eius.

B CONFITERI poteſt ſuauitatem domini, qui guſtauit. Nam quomodo dicet ſuaue eſſe,quod neſcit? Accedat ergo ad guſtandum,ut poſsit ructare ad confitendum. In ſeculum autem,id eſt,inæternum,eſt miſericordia eius. Quia æterni erũt, quorum in hoc tempore miſeretur.

Dicant qui redempti ſunt à domino,quos redemit de manu inimicorum,de regionibus congregauit eos,
Ab oriente & occaſu,ab aquilone & mari.

Redemptus quidem uidetur Iſraël de terra Aegypti, de domo ſeruitutis:ſed hîc hi uocantur redempti,qui in toto orbe terrarum, de magna & lata Aegypto,quaſi per mare rubrum baptiſmum ſacratum Chriſti ſanguine liberantur. Dicant ergo Chriſtiani, qui uocati ſunt de uniuerſo mundo,quoniam ſuauis dominus,& in ſeculum miſericordia eius.

Errauerunt in ſolitudine,& in ſiccitate: uiam ciuitatis habitationis non inuenerunt.
Eſurientes & ſitientes,anima eorum in ipſis defecit.
Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur, & de neceſsitatibus eorum liberauit eos.
Et duxit eos in uiam rectam,ut irent in ciuitatem habitationis.

Confiteantur domino misericordiam eius, & mirabilia eius filijs hominum. C

Quater in hoc Psalmo repetuntur hi uersus: & miserationum domini toties facta confessio, significat unumquenque redemptorum, ut perueniat ad perfectã pacem, quatuor tentationum periculis liberari. Nam primũ periculum est, deuium à ueritate hominem, in ignorantiæ solitudine atque errore uersari, & carentem cibo potuque sapientiæ, fame, sitique deficere. Sed cùm hoc labore fatigatus exclamauerit ad dominum, deducitur ad uiam fidei, per quam incipiat pergere ad ciuitatem quietis, & confiteatur domino miserationes eius, & mirabilia eius filijs hominum.

Quoniam satiauit animam inanem: & animam esurientem impleuit bonis.

Sedentes in tenebris & in umbra mortis: compeditos in mendicitate, & in ferro.

Quoniam exacerbauerunt eloquia Dei: & consilium altissimi irritauerunt.

Et humiliatum est in laboribus cor eorum: infirmati sunt, nec fuit qui adiuuaret eos.

Sicut prima tentatio fuit erroris & famis, in ignorantia ueritatis: ita D postea quàm quis agnouerit uiam Christi, & nosse cœperit, quid sibi credendum, quid'ue faciendum sit, laboribus secundæ tentationis excipitur. Vt cùm uult quasi uiribus suis contra peccata confligere, inueniat cupiditatum difficultatibus præpeditum, & non posse uiam quam didicit, propter compedes ambulare. Exclamet ergo & in hac tribulatione, & de gratia Dei poscat auxilium, ut ruptis uinculis impossibilitatis suæ, ad rectè agendum accipiat facultatem, quam utique posset dominus, remotis obstaculis, sponte præuenire, nisi utile esset homini, experiri infirmitatẽ suã: & de bonis operibus, non in se, sed in domino gloriari, ut nouerit cõfiteri domino miserationes eius, cuius munera accipit, ut cupiditates suas possit euincere.

Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur: & de necessitatibus eorum saluauit eos.

Et eduxit eos de tenebris & umbra mortis: & uincula eorum disrupit.

Confiteantur domino misericordias eius: & mirabilia eius filijs hominum.

Quia contriuit portas æreas, & uectes ferreos confregit.

Suscepit eos de uia iniquitatis eorum: propter iniustitias enim

suas

A *suas humilitati sunt.*

Quia priusquam à dominatione peccati, per gratiam liberarētur, suam uolebant iustitiā constituere, ignorantes Dei iustitiā: humiliati ergo sunt per experimenta imposibilitatis suæ, & inuenerunt se sine Dei adiutorio nihil posse. Sed tertia eos tentatio suscipit, quę infert fastidium uerbi Dei: Pleruncp enim, quos ignorantia & concupiscentia non extinxit, inedia & tædium, & fastidij languor occidit: nisi forte non est periculum, quando nec in lectione, nec in oratione est delectatio.

Omnem escam abominata est anima eorum: & adpropinquauerunt usque ad portas mortis.

Sicut corpori noxium est corporalem escam non posse percipere: ita animæ periculosum, spiritales delicias fastidire.

Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur: & de necessitatibus eorum liberauit eos.

Misit uerbum suum, & sanauit eos: & eripuit eos de corruptela eorum.

Quædam mentis corruptela est, cùm salubria & suauia non amantur: ergo & de hoc liberari malo, plurimum bonum est.

B *Confiteantur domino miserationes, & mirabilia eius filijs hominum.*

Et sacrificent sacrificium laudis: & adnuntient opera eius in exultatione.

Non cum tædio, non cum mœrore, non cum anxietate: sed in exultatione. Verum superest quarta tentatio, quæ & ad præsidentes, & ad subditos pertinet: quoniam cum gubernator tempestate urgetur, omnes qui simul nauigant, eodem periculo premuntur, & simul in portu sedata tempestate saluantur. Denique sequitur,

Qui descendunt in mari in nauibus: facientes operationem in aquis multis.

Ipsi uiderunt opera domini, & mirabilia eius in profundo.

Quorum ergo opera est, ut populos regant, hi de profundo cordis humani tempestates seditionum, & dissensionum frequenter exortas, quæ nauem posint perturbare, patiuntur: & agnoscunt, ideo Deum sinere, ut hæc fiant, ut probati manifestiores sint: & ut ipse in pressuris à fidelibus inuocetur.

Dixit, & stetit spiritus procellæ:

Id est, permansit & perdurauit, ut turbati uehementius supplicarent.

Et exaltati sunt fluctus eius. C

Ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usq; ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat.

Turbati sunt & moti sunt sicut ebrius: & omnis sapientia eorum exorta est.

Qui sedent ad gubernacula, & nauem fideliter amant, uim huius perturbationis agnoscunt. Quoniam plerunque talibus scandalis exagitatur ecclesia, ut præsidentium corda deficiant. Et quid restat, nisi quod sequitur?

Et clamauerunt ad dominum cùm tribularentur: & de necessitatibus eorum eduxit eos.

Et imperauit procellæ, & stetit in auram: & siluerunt fluctus eius.

Et lætati sunt quoniam siluerunt, & deduxit eos in portum uoluntatis eorum.

Confiteantur domino miserationes & mirabilia eius filijs hominum.

Vbique omnino confiteantur domino, non merita nostra, non uires nostræ, non sapientia nostra, sed miserationes eius: ille ametur in omni nostra liberatione, qui est inuocatus in omni tribulatione. D

Exaltent eum in ecclesijs populi: & in cathedra seniorum laudent eum.

Iam ergo dubium non est, quòd omnes supradictæ tentationes, tribulationes, liberationes, in ecclesia agantur: quid ergo in hac ecclesia operatus est dominus, nisi ut superbis resisteret, humilibus autem daret gratiã? qui Iudæos extollentes se de genere Abrahæ, & de legis eloquijs, spreuit: & amputatis naturalibus ramis, oleastrum oleæ inseruit, & de omnibus gentibus Abrahæ, spiritale semen elegit.

Posuit flumina in desertum: & exitus aquarum in sitim.

Terram fructiferam in salinis, à malitia inhabitantium in ea.

Propter hanc superbam malitiam Iudæos deseruit gratia, & facta est terra eorum sterilis, atq; deserta: quia omnis prophetia, omne sacrificium, omnia ibi sacramenta cessarunt, & ad humilitatem gentium transierunt.

Posuit desertum in stagna aquarum: & terram sine aqua in exitus aquarum.

Et habitare fecit illic esurientes:

Opera

A Opera gratiæ narrantur, quæ effusa est in nationes immundas prius, atque desertas, & à cultu ueritatis alienas.

Et constituerunt ciuitatem habitationis.

Quoniam cœlestem Hierusalem iam sponte obtinet, qui fide iustificatus est.

Et seminauerunt agros, & plantauerunt uineas: & fecerunt fructum frumenti.

De quo gaudet ille operarius, qui dicit, Non quia quæro datum, sed requiro fructum. Philipp. 4.

Et benedixit eos, & multiplicati sunt nimis: & iumenta eorum non sunt diminuta.

Iumenta & pecora dicuntur in ecclesia, simpliciter ambulantia, sed utilia: non multum docta, sed fide plena. Ergo & spiritales, & carnales benedixit Deus, & multiplicauit, ita ut non minuerentur.

Et pauci facti sunt, & uexati sunt à tribulatione malorum &
B *dolorum.*

Ecclesia catholica in electis suis, præcognitis à Deo, filijs promissionis, membris corporis Christi, non minuitur, nec ad paucitatē redigitur: quia ipsi uere sunt: aut cùm lapsi fuerint, reparantur, ac permanent: & semper multi sunt, quia de numero eorū nihil perit. Qui ergo in hanc soliditatem æternæ multitudinis, aut nō introierunt, aut cùm uiderētur introijsse, ab eadem recesserunt, ipsi pauci facti sunt: quia ab illa, quæ permanet, multiplici unitate diuisi sunt. Nunquam enim multi sunt, qui ad non esse tendunt. Et quid tam obnoxiū paucitati, quàm quod est debitū perditioni?

Effusus contemptus est super principes:

Hæretici & Schismatici ab ecclesia reprobati: & ideo magis contempti, quia principes esse uoluerunt.

Et seduxit eos in inuio, & non in uia.

Illi qui ad ciuitatem habitationis tendebant, directi sunt, & deducti: isti autem ciuitatem sanctam, id est, ecclesiam catholicam deserētes, per erroris sui inuium abire permissi sunt, & suæ sunt traditi uolūtati. Deus enim non deceptionis malignitates educit, sed iudicij ueritate discernit.

Et adiuuit pauperem de mendicitate: C

Pauper & mendicus est ille, qui nihil sibi tribuit, sed totum de misericordia Christi expectat, ante dominicam ianuam cotidie clamans, & pulsans, ut ei aperiatur, & ut eius nuditas uestiatur.

*patriam *Et posuit sicut oues *familias.*

Hunc quasi unum pauperem, & unum mēdicum adiuuit Deus, eumq; in familias multiplicauit: id est, unam ecclesiam, unam plebem, unam ouem in latitudinem totius orbis extendit.

Videbunt recti & iocundabuntur: & omnis iniquitas oppilabit os suum.

Iniquitas illa garriens contra unitatem, conuicta à ueritate, obstruet os suum, non habens quod loquatur.

Quis sapiens & custodiet hæc, & intelligens miserationes domini.

Quid custoditurus est sapiens, nisi ut sit pauper, non diues: id est, non sit superbus, non sit inflatus: quia hæc custodiens intelliget miserationes D domini, non merita sua, non uires suas: sed miserationes domini, qui errantem, & egentem in uiam deduxit, & pauit: qui pugnantem aduersum difficultatem peccatorum, & colligatum uinculis solicitudinis, soluit, & liberauit: qui fastidio languentem, & penè morientem, missa uerbi suauitate recreauit: qui periclitantem inter naufragia scandalorum, à discrimine maris in portum deduxit tranquillitatis: qui eum deniq; constituit in eo populo, ubi humilibus dat gratiam: non in illo, ubi superbis resistit. Et fecit eum suum, ut intus manens, multiplicaretur: non, ut foras exiens minueretur.

PSALMVS CVII.

Psalmus autem centesimus septimus prætermissus est, quia in postremis quinquagesimi sexti, & in quinquagesimi noni uidetur expositus. Itaque incipit

PSALMVS CVIII.

DEus laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris, & dolosi super me apertum est.

Psalmum

A PSALMVM istum de Christo habere prophetiam, quisquis Actus apostolorum fideliter legit, agnoscit: ubi euidenter ostenditur, de Iuda traditore domini prophetatum: quod hic scriptum est, Fiant dies eius pauci, & episcopatum eius accipiat alter. Sed si de uno illa omnia, quæ hic in malo dicta sunt, conemur accipere, expositionis ratio uacillabit. Melius ergo uniuersa clarebunt, si quædam ad omne genus inimicorum Christi, quorum Iudas primatum gerit: quædam autem ad ipsum Iudam propriè pertinere intelligantur. Vox ergo domini est: Deus laudem meam ne tacueris. Laus uerò ipsius uera, & maxima est, qua hoc ipsum, quòd est unigenitus Dei filius, prædicatur. Contra quem os dolosi peccatoris erupit, cùm uirtus mea infirmitatis carne tegeretur.

Locuti sunt aduersum me lingua dolosa:

Tunc utique, quando eum tanquam magistrum bonum captiosa adulatione laudabant.

Et sermonibus odij circundederunt me: & expugnauerunt me gratis.

B Illi qui dolose anteà loquebantur, posteà in me aperti odij uocibus sæuierunt gratis: quia causam inimicitiæ non habuerunt, nisi iniquitatem suam: & nullo sibi proposito commodo gratuito, maligni, & crudeles fuerunt.

Pro eo ut diligerent me, detrahebant mihi:

Non paruum aliquid putari debet, quia non ait, Pro eo ut diligerent me, interficiebant me: sed, Detrahebant mihi. Ideo quippe interfecerunt, quia detraxerunt, negantes filium Dei, & dicentes, Quòd in principe dæmoniorum ejcit dæmonia: &, Dæmonium habet: &, Insanit: quid eum auditis? & cætera talia: qua detractione auertebant ab eo, quorum conuersionem ille quærebat: quod nocentius erat, quàm quòd mox resurrecturum parabant occidere.

Ego autem orabam.

Non quidem dixit, quid orabat: sed illud intelligimus, quod in cruce pendens ait: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Quàm bene intelligitur pro discipulis suis orasse, quòd etiam ante passionem suam dixit, Ne deficeret fides eorum: quando ipse fixus in ligno, non utebatur Lucæ 23.

Prouerb.16. potentia sua, sed patientiæ præbebat exemplum: ne inimicos suos diui- C
na potestate delendo, ad hoc nos ædificaret, ut impatienter festinaremus de his, quos malos patimur, uindicari: cùm scriptum sit, Melior est patiens, quàm fortis.

Et posuerunt aduersum me mala pro bonis: & odium pro dilectione mea.

Quamuis uoluntaria sit pœna patientis, hoc est tamen maximum persequentium crimen, quòd bonitati malitiam, & dilectioni odia reddiderunt: pro qua impietate, quid recepturi sint, optantis similitudine incipit prophetare. Non autem pœnam reorum concupiscit Deus, tanquam exaturari desyderans ultione: sed quod iustum est, cum tranquillitate disponit, ut etiam mali non sint inordinati.

Constitue super eum peccatorem, & diabolus stet à dextris eius.

Cùm superius querela de pluribus fuerit, nunc de uno loquitur psalmus, & in unius intellectam personam ultio futura disponitur: non quia illi extra supplicium sint futuri: sed quia in caput sceleris bene fertur sententia, quæ consortes impietatis non omittit in ultione, quos damnat in principe. Quid est ergo, Constitue super eum peccatorem: nisi, ut ei diabolus præsit, cui ipse se subdidit: & ipsum in dextris habeat, D
quem elegit? Quia unicuique, siue in bono, siue in malo, hoc fiet dextrum, quod omnibus præfert.

Cum iudicatur, exeat condemnatus: & oratio eius fiat in peccatum.

Iudas non potuit orare per eum, quem uendidit. Oratio quæ non fit per Christum, non solùm non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit ad peccatum.

Fiant dies eius pauci:

Id est, dies apostolatus eius.

Et episcopatum eius accipiat alter.

Hoc ita factum esse, ut prophetatum est, Actus apostolorum loquuntur.

Fiant filij eius orphani, & uxor eius uidua.

Mortuo ipso utrunque factum est.

Nutantes

A *Nutantes transferantur filij eius, & mendicent:*

Nutantes, incerti quò eant.

Eijciantur de habitationibus suis.

Hoc est quod suprà dixerat, transferantur.

Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius, & diripiant alieni labores eius.
Non sit illi adiutor: nec sit qui misereatur pupillis eius.

Id est, nec adiutorem habeat, nec tutorem.

Fiant nati eius in interitum: in una generatione deleatur nomen eius.

Id est, ut quod de eo generatum est, iam non generet, & cito transeat.

In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu domini: & peccatum matris eius non deleatur.

B

Si Iudas maneret in eo, ad quod uocatus est, nullo modo ad eum uel sua præterita, uel parentum iniquitas pertineret. Quia autem non tenuit adoptionem in familia Dei, sed iniquitatem potius uetusti generis elegerit: redijt iniquitas patrum eius in conspectu domini, ut in eo etiam ipse puniretur: & peccatum matris eius non est in eo deletum.

Fiant contra dominum semper: & dispereat de terra memoria eorum:

Fiant contra dominum, dixit, non ut domino aduersentur, sed ut sint in conspectu domini, ne ulla meriti ipsorum fiat obliuio. Dispereat autem memoria eorum in eo, ut nomen ipsorum, nulla succedente generatione, deficiat. Si autem quæritur, an credibile sit miserias uiuentium posterorum ad pœnam mortui pertinere: sequestrata omni disputatione, quæ de hac multiplex oritur, rectè credimus hæc, quæ per spiritum sanctum prophetata sunt, accidisse: ac si posset adseri, quòd defunctos uiuorum pœna non cruciet: in Iudam tamen scelestissimum eam damnationem esse prolatam, ut inter supplicia sua etiam suorum miseria infelicior fieret, & generationis suæ semper doleret interitum. Hæc sanè omnia, quæ in Iudam dicta sunt, etiam in Iudæorum populum prophetata intelliguntur.

tur. Quia & super ipsum constitutus est peccator, id est, diabolus, cui se C
subdidit: & idem stat à dextris eius, quem prætulit saluatori: & ipse in
iudicio condemnabitur, quia perseuerando in impietate, thesaurizet sibi
iram in die iræ. Et oratio eius fiat in peccatum: quia non fit per mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, & sacerdotem inæternum, secundũ ordinem Melchisedech. Et facti sunt dies eius pauci: quod de regno ipsorum accipiendum est: quia non diu mansit post crucem Christi. Et episcopatum eius accipiat alter: quoniam Christum, qui non uenerat, nisi ad oues perditas domus Israël, respuerunt. Facti sunt quoque
Matth. 8. filij eorum orphani: de quibus dictum est, Filij autem regni ibunt in tenebras exteriores: qui utique Deum patrem bene intelliguntur omisisse. Qui enim filium non habet, ait ueritas, nec patrem habet. Et uxor eius uidua. Vxor regni, plebs intelligi potest, quæ amisso ipsa regno uidua facta est. Nutantes translati sunt filij eius, & mendicant. Nutantes quippe periculis debellati sunt filij ipsius regni, qui ostenduntur mendicare: quia non dubium est, eos ad alienam misericordiam uiuere. Eijciantur, inquit, de habitationibus suis: ita factum est. Scrutetur fœnerator omnem substãtiam eius: ut scilicet omnis uita eorum, quæ substantiæ nomine significata est, inquiratur: & nullius debiti, id est, peccati eorum, remissio fiat: quia illum respuerunt, in quo solum est abolitio peccatorum. Et diripiant alieni labores eius. Diabolus, & angeli eius, rapiant fructus operum sibi impensorum. Non sit illi adiutor: à quo enim iuuari potest, qui non habet Christum? Nec sit qui misereatur pupillis eius: Quia misso Deo patre, cuius filium persecuti sunt, non habent qui eorum misereatur. Non ad temporalem uitam sumendam, uel sustentandam: sed ad ueram uitam, id est, æternam. Fiant nati eius in interitum: utique sempiternum. In generatione una deleatur nomen eius: Quia generati sunt, non regenerati: ideo in una generatione deleatur. In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu domini: ut reddat eidem populo dominus, perseueranti in malitia, etiam patrum iniquitatem. Peccatum matris eius non deleatur: Peccatum in Hierusalem, quæ seruit cum filijs suis, quæ interficit prophetas, & lapidat missos ad se. Fiant contra dominum semper: iniquitas & peccatum eorum à conspectu domini non auferatur, Deo inæternũ uindicante. Et dispereat de terra memoria eorum. Terra Dei, ager Dei, ecclesia Dei est, de qua terra perijt memoria eorum: Quia cùm essent rami naturales, propter incredulitatem fracti sunt.

Pro eo quòd non est recordatus facere misericordiam.

Siue Iudas, siue ille populus: sed melius de populo accipitur, qui recordari potuit pœnitendo, quòd occiso Christo, saltem in discipulos, & membra eius sæuire non debuit.

Quia

A *Quia persecutus est hominem pauperem & mendicum:*

Non enim dedignatus est dominus pauper fieri, cùm diues esset, ut illius paupertate nos ditaremur. Mendicum autem, in eo intelligi potest, quod Samaritanæ mulieri dixit, Da mihi bibere; uel quod in cruce ait, Sitio: quæ uerba tanquam indigentis sunt. 2.Corinth.8.

Et compunctum corde mortificare.

Cordis compunctio, quæ propriæ ad conuersos à peccatis pertinet, non conuenit Christo, qui solus extitit absque peccato: in membris itaq; suis pœnitentiam agentibus, & ad caput suum, cum compunctione redeuntibus, ipse quoque erat compunctus corde: quia non aberat à capite, quod gerebatur in corpore, in quo usq; in finem patitur persequentes.

Et dilexit maledictionem, & ueniet ei:

Quanquam & Iudas maledictionem dilexerit, uendendo atq; tradendo ipsum benedictionis autorem; apertius tamen ille populus maledictionem dilexit, quando dixit: Sanguis huius super nos, & super filios nostros.

B *Et noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.*

Et Iudas quidem benedictionem abiecit in Christo: sed apertius eam populus refutauit, quando illi illuminato dicenti, Nunquid & uos discipuli eius uultis fieri? respondit, Tu sis discipulus eius. Et longe facta est ab eo benedictio, quia transiuit ad gentes.

Et induit maledictionem, sicut uestimentum:

Siue Iudas, siue ille populus.

Et intrauit sicut aqua in interiora eius:

Ergo & foris, & intus: foris, sicut uestimentum: intus, sicut aqua: quoniam in eius incidit iudicium, qui potest & corpus, & animam occidere in gehennam. Matth.10.

Et sicut oleum in ossibus eius.

Ostendit impium hominem, uel populum, cum uoluptate mala facere: & iniquitate intus, quasi aqua: & foris, quasi oleo delectari. Quæ actio ideo maledictio dicitur, quia talibus Deus æterna tormenta denunciat.

Fiat

Fiat ei sicut uestimentum quo operietur: C

Apertior malitia est, qua se peccator quasi pallio tegit, & inde opertus uidetur, unde etiam in oculis hominum gloriatur: malum se dissimulans, sed ostentans.

Et sicut zona, qua semper præcingitur.

Maledictione se præcingit, quia malum non repentinum, sed dispositum aggreditur: & ita discit male facere, ut semper paratus sit.

Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud dominum:

Hi sunt qui detrahunt Christo, ipsum quem lex domini & prophetæ prænuntiarunt.

Et qui loquuntur mala aduersus animam meam.

Ioan.10. Negando eum posse resurgere, cum dicat, Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.

Et tu domine, domine fac mecum:

Quidam subaudiendum putarunt, misericordiam: quidam & addiderunt. Sed emendatiores codices sic habent: Et tu domine domine fac mecum, propter nomen tuum. Vnde intelligendum est, ideo dixisse filium patri, Fac mecum: quia eadem sunt opera patris, & filij. quod etiam misericordia sentiri potest. sequitur enim, D

Quia suauis est misericordia tua.

Quia misericordiam rectè intelligimus & patrem & filium simul facere in uasa misericordiæ. Potest autem & sic intelligi quod ait, Fac mecum: ac si dixisset, Adiuua me. pater quippe adiuuat filium, inquantum Deus hominem, propter formam serui. Nam in ea forma, in qua æqualis est patri, non indiget adiuuari: quia utrisque unum opus est, & par, atque inseparabilis potestas. Egestas & paupertas susceptæ infirmitatis est, ex qua crucifixus est.

Libera me, quia egenus & pauper sum ego: & cor meum turbatum est in me.

Secundum illud, quod propinquante passione ait, Tristis est anima mea usque ad mortem.

Sicut

A *Sicut umbra, cùm declinat, ablatus sum:*

In hoc ipsam mortem significauit: Sicut enim ex umbra declinante fit nox, ita mortali carne fit mors.

Excussus sum sicut locustæ.

Iam hoc in membris eius, conuenientius intelligimus. Excussi enim, id est, fugati sunt à persecutoribus fideles eius: quorum uel multitudinem significare uoluit nomine locustarum, uel quòd transilierunt de loco in locum.

Genua mea infirmata sunt præ ieiunio: & caro mea immutata est propter oleum.

Propter oleum, propter gratiam spiritalem: quia cùm caro eius mutata esset, per gloriam resurrectionis, cumq́ ascendisset ad patrem, misit spiritum sanctum ad ungendos credentes: quorum stabilitas, quæ ablato sibi pane, id est, Christo, quasi ieiunio fuerat infirmata: accepto dono spiritus sancti, ualida effecta est: ut in suis afflictionibus non uinceretur, quæ in domini passione defecerat.

B *Et ego factus sum obprobrium illis:*

Per mortem crucis: Christus enim nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.

Viderunt me, & mouerunt capita sua.

Quia uiderunt in ligno pependisse, & non uiderunt de sepulchro resurrexisse.

Adiuua me domine Deus meus: saluum me fac propter misericordiam tuam.

Hoc & ad caput referendum est, propter formam serui: & ad corpus, propter seruos. Potuit enim & in ipsis dicere domino, Adiuua me, & saluum me fac: in quibus Saulo dixerat, Quid me persequeris? Quod autem ait, Secundum misericordiam tuam, gratuitam gratiam commendauit.

Et sciant quia manus tua hæc: & tu domine fecisti eam.

De eis dixit sciant, pro quibus sæuientibus & orauit: quia inter illos erant etiam hi, qui in eum postea crediderũt. Manus autem Dei Christus

Ioan. 12. est, sicut dictum est, Et brachium domini cui reuelatum est. Hæc ergo ma- C
Ioan. 1. nus erat, & fecit eum: Quia in principio erat uerbum, & uerbum caro factum est.

Maledicent illi, & tu benedices:

Vna est ergo maledictio filiorum hominum, diligētium uanitatem, & quærentium mendacium. Deus autem cùm benedicit, facit quod dicit.

Qui insurgunt in me, confundantur:

Qui se aduersus me proficere arbitrantur, cùm exaltatus fuero super cœlos, & effusa fuerit super omnem terram gloria mea, confundentur.

Seruus autem lætabitur.

Siue in dextera patris, siue in suis membris: & nunc in spe, & pòst inæternum.

Induantur qui detrahunt mihi pudore:

Id est, pudeat eos detraxisse mihi. sed hoc potest bonum esse correctis.

Et operiantur sicut diploide confusione sua.

D

Diploidis pallium duplex est, per quod inimicis Christi duplex denuntiatur confusio: hoc est, intus & foris, coram Deo scilicet, & coram hominibus.

Confitebor domino nimis in ore meo: & in medio multorum laudabo eum.

In medio multorum laudabo eum: accipi potest Christus, quia ipse in ecclesia præsens est, usque ad consummationem seculi. In medio autem esse dicitur, cui præcipuus honor præbetur. Si uero cor hominis quasi medium eius est, rectissime intelligitur, quòd in multorum cordibus, id est, in multorum medio laudaturus sit dominum. Habitat enim Christus per fidem in cordibus nostris: & ideo ait, In ore meo: id est, in ore cordis mei, quod est ecclesia.

Qui adstitit à dextris pauperis, ut saluam faceret à persequentibus animam meam.

De Iuda dictū erat, Et diabolus stet à dextris eius: qui suas diuitias uolebat augere Christo uendito: hic autem dominus astitit à dextris pauperis

A ris,ut diuitiæ eius sint ipse dominus. Salua fiet autem à persequentibus anima, si non eis consentiatur ad malum. Non autem eis consentitur, cùm dominus adsistit à dextris pauperis,ne ipsa paupertate, id est, infirmitate succumbat.

PSALMVS CIX.

Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.

DOMINVS noster IESVS Christus cùm à Iudæis quæreret,cuius filium esse diceret Christum, & respondissent Dauid: continuo illis respondentibus ait, Quomodo ergo Dauid in spiritu dicit eum dominum, Dixit dominus domino meo sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis? Si ergo in spiritu uocat eum dominum, quomodo filius eius est? Iudæi sub hac interrogatione tacuerunt: ipsum quoque esse dominum, & filium Dauid non agnouerunt, nec agnoscere uoluerunt: & maluerunt inflata taciturnitate disrumpi, quàm humili confessione eruditionem mereri. Matth. 22.

B Nos autem Euangelio ipsius ueritatis edocti, nouimus IESVM Christum & dominum esse Dauid, secundum quòd in principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum: hoc erat in principio apud Deum: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et filium esse Dauid, secundum quòd uerbum caro factum est, & habitauit in nobis. Nouimus dominum Dauid, quia cùm esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Et nouimus filium Dauid, quia semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Hoc ergo & Dauid ipse in spiritu uidens, initio Psalmi huius effatus est, dicens, Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Sedet autem Christus ad dexteram patris post resurrectionem à mortuis, & ascensionem in cœlo. Vnde etiam eo ipso quo erat Christus filius Dauid, factus est dominus Dauid. Illud enim quod natum est ex semine Dauid, ita honoratum est, ut ei cùm esset filius, esset & dominus: secundum hanc enim dispensationem, etiam ab Apostolo de Christo dicitur, Propter quod eum exaltauit à mortuis, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quoniam dominus IESVS, in gloria Dei patris est. Sedet autem dominus ad dexteram patris, & inimici eius subijciuntur sub pedibus. Omnis enim qui ei aduersatur, erit eius subditus, aut per correctionem, aut per condemnationem. Nam necesse est, ut omnis

Ioan. 1. Ioan. 1. Philipp. 2. Philipp. 2.

aut adoptatus, aut uirtus ſub pedibus eius ſit, ſiue per gratiam, ſiue per C
pœnam.

Virgam uirtutis tuæ emittet dominus ex Sion:

Quæ eſt Sion? ipſa eſt Hieruſalem, ex qua prænuntiatur emittenda uirga uirtutis Chriſti, id eſt, regnum potentiæ eius: quod regnum incipit à Chriſtianis, & non habet finem. Nam ſecundum quòd eſt uerbum patris, unius deitatis & omnipotētiæ, ſemper cum patre regnauit. Hoc ergo regnum, quod mediator Dei & hominum, homo Chriſtus acquirit, incipit ab Hieruſalem: quia inde in totum mundum uirtus & poteſtas Euangelicæ prædicationis emiſſa eſt.

Dominare in medio inimicorum tuorum.

Tu, inquit, fili Dauid, & domine Dauid, in medio paganorum, in medio Iudæorum, in medio hæreticorum, & in medio fratrum falſorum dominare: quod fieri quotidie uidemus, donec impleantur tempora gentium. Cæcitas enim ex parte, in Iſraël facta eſt, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret, & dominaretur Chriſtus in medio inimicorum ſuorum.

Tecum principium in die uirtutis tuæ, D

Ioan. 8. Dominus, interrogantibus quis eſſet, reſpondit, Principium, qui & loquor uobis: hoc eſt, Ego qui loquor uobis, principium ſum. Eſt autem & pater principium, in quo principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum. Nunquid ergo quia pater principium, & filius principium, duo ſunt principia? abſit. Sicut enim pater Deus, & filius Deus: pater autem & filius non duo dij, ſed unus eſt Deus: ſic pater principium, & filius principium: pater autem & filius non duo principia, ſed unum principium. Tecum ergo principium in die uirtutis tuæ, in die qua uidebitur, quomodo creditur. Quamuis enim etiam in forma ſerui, ipſa illa noſtræ infirmitatis ſuſceptio, non caret uirtute diuina, quãdo & infirmum tuum fortius eſt hominibus, & in uirga uirtutis tuæ dominaberis in medio inimicorum tuorum: ueniet tamen dies ille, quo omnibus diſpenſationibus temporalibus peractis, atque finitis: manifeſtabis te ſanctis tuis, & in illa eis apparebis gloria, in qua æqualis es patri, ut uideant tecum principium, in die uirtutis tuæ.

In ſplendoribus ſanctorum:

Præſens uita ſanctorum, quamuis gratia floreat, quamuis moribus niteat, non eſt in ſplendore, quia nondum exempta eſt à corruptione. Cùm ergo apparuerit Chriſtus, uita ſanctorum, tunc & ipſi apparebunt cum illo

A illo in gloria. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui, id est, in uita æterna.

Ex utero ante luciferum genui te.

Si de illa generatione hoc dictum est, qua ex patre Deo genitus est Deus filius, ex utero significat, ex secreto, ex occulto, de ipso patre, de substantia patris. Ante luciferū uerò, ait, ante tempora. Per luciferum enim, utpote per fulgentissimum sydus, tanquàm à parte totum, omnia sydera significata sunt, quæ in hoc facta sunt, ut sint in signis, & temporibus, & in diebus, & annis. Quod est ergo ante luciferum, hoc est ante sydera: & quod est ante sydera, hoc ante tempora, atque ideo ex æternitate. Si uerò hoc ex persona prophetæ dictum est, qui ait, Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis: non est dubium illam natiuitatem significatam, qua dominus Dauid, filius est Dauid. Potuit enim dicere Dauid, propter propaginem, qua de ipsius stirpe Maria uirgo descendit, Ex utero genui te: hoc est, ex utero uirginali, ex utero quò masculus non accessit. In quo sola fuit conceptio matris, sine semine genitoris. Et conuenienter dictum est, ante luciferum: quia ante exortum diei natus est dominus, hoc indicantibus testimonijs pastorum, qui uigilias exercebant super gregem suum. Gen. 1.

B *Iurauit dominus, & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos inæternum, secundum ordinem Melchisedech.*

Si natum ex utero uirginis ante luciferum intelligimus saluatorem, exinde proculdubio sacerdos est inæternum, secundum ordinem Melchisedech. Nam secundum quòd dominus natus ex patre est, gignenti coæternus & æqualis, non est sacerdos. Iurauit ergo dominus: hoc est, cum constitutione promisit. Et non pœnitebit eum: hoc est, non mutabit consilium, non aliud faciet, nec unquam ei hæc sententia displicebit. Tu es sacerdos inæternum: hoc est, non finitur sacerdotium tuum: nec sicut Aaron ordo cessauit, ita etiam tuum pontificium commutabitur. Sacerdotij tui non erit finis: sed secundum ordinem Melchisedech, hoc est, secundum mysteria, quæ per eum declarata sunt, inæternum permanebit.

Dominus à dextris tuis, conquassauit in die iræ suæ reges.

Ad ipsum dominum, qui dixit domino, sede à dextris meis, prophetæ sermo directus est: Ipse, inquit, domine cui iurasti, tu es sacerdos inæternum, dominus à dextris tuis, qui conquassauit in die iræ suæ reges: illos de quibus dictum est, Adstiterunt reges terræ, & principes conue- Psal. 2.

 nerunt

nerunt in unum aduerſus dominum,& aduerſus Chriſtum eius. Quicunque enim talium,qui Chriſtianum nomen oderunt, in ſua impietate perſiſtunt, iam quidem conquaſſati ſunt,nec potuerunt efficere, quod uolebant: ſed in die iræ, id eſt, retributione iuſti iudicij Dei, penitus contererentur. C

Iudicauit in gentibus, repleuit ruinas:

Qui in ſuperbiam eriguntur,& in ſua elatione perſiſtunt, ſic deſtruentur,ut non ædificentur: Non enim deſinunt deſtrui,qui non deſinunt eleuari. Qui autem per humilitatem cadunt, & ſe proſternunt,ut fiant ſub pedibus eius,cui dixit dominus, Sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum: reparabuntur in integrum: quia non damnauit has ruinas dominus,ſed repleuit: quod fit in hoc tempore, cùm uniuerſis gentibus ruinarum reparationem Chriſtus operatur.

Conquaſſauit capita in terra multa.

Multorum capita, in hac uita conquaſſata, Chriſtus inclinat, dum è ſuperbis humiles facit.

De torrente in uia bibet: propterea exaltabit caput.

Sicut torrens pluuialibus aquis collectus, redundat, perſtrepit, currit, & currendo decurrit, id eſt, curſum finit: ſic eſt omnis iſte curſus mortalitatis humanæ: Naſcuntur homines, uiuunt, atque moriuntur, rurſusque morientibus, alij oriuntur, ſuccedunt, accedunt, decedunt. De hoc ergo torrente, de hoc ſtrepitu tranſeunte, de hac mortalitate bibit filius Dauid, dominus Dauid, dignatus propter nos naſci, & mori: & ita bibit de torrente in uia, quòd in uia peccatorum non ſtetit. Propterea ergo exaltabit caput: quia humiliatus eſt, & factus eſt ſubditus uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod exaltauit eum à mortuis, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine IESV omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quoniam IESVS Chriſtus in gloria eſt Dei patris. D

PSALMVS CX. ALLELVIA.

COnfitebor tibi domine in toto corde meo:

Non ſemper confeſsio peccatorum eſt, ſed etiam laus Dei deuotione confeſsionis expromitur. Illa luget, hæc gaudet: illa medico uulnus oſtendit, hæc de ſanitate gratias agit.

In concilio

A *In concilio rectorum & congregatione.*

Eorum, sine dubio, qui sedebunt super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israël. A' quorum concilio,& congregatione,omnis hypocrita segregatus, omnis erit tentator exclusus.

Magna opera domini: exquisita in omnes uoluntates eius.

Scrutare, exquire,uestiga,si potes,omnes uoluntates domini,in omnibus semper magna opera eius inuenies. Nulla enim uoluntas potentior est ipsius uoluntate: contra quam cùm aliquid fieri sinit, misericordiam suam, iustitiamq; demonstrat. Sicut enim uult, ut homo non peccet, ita uult peccanti parcere, ut reuertatur, & uiuat: Ita etiam uult in peccatis perseuerantem punire, ut iustitiæ potentiam contumax non euadat. Ac si quicquid elegeris, ò homo, non deerit domino, unde suam de te compleat uoluntatem. Siue ergo iustificet impium, siue arguat pigrum, siue expectet auersum, seu deserat puniendum: semper misericors est, semper iustus, semper omnipotens.

Confessio & magnificentia opus eius: & iustitia eius manet in seculum seculi.

B Magnificentia domini circa nos in eo apparet, quòd nullis præcedentibus meritis confitentem iustificat peccatorem: ut ubi abundauit peccatum, superabundet gratia, per quam excitata est etiam ipsa confessio: ut nemo in se extollatur, sed qui gloriatur, in domino glorietur: quia & confessio peccatoris, & magnificentia iustificationis, opus domini est: apud quem iniquitas non est, etiam si nos iudicia eius non comprehendimus. Quoniam iustitia eius manet in seculum seculi.

Roma. 5.

2.Corinth.10.

Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator dominus: escam dedit timentibus se.

In omni quidem creatura Dei mirabilia eius & quotidiana, & magna sunt: sed quia parum ea consuetudo miratur, quædam dominus signa & prodigia certis temporibus promenda disposuit, ut per insitata & noua, humana excitaretur intentio, & nutriretur in ea de insolitis utilis timor, cui tamen misericors dominus daret escam uirtutis & uitæ: panem scilicet illum incorruptibilem, qui de cœlo descendit, ut uerbum Dei esset esca hominum, sicut cibus est angelorum.

Memor erit inæternum testamenti sui, uirtutem operum suorum adnuntiauit populo suo.

Impleuit dominus promiſsiones ſuas, qui eſt uirtus & fortitudo ſan- C
1.Corinth.12. ctorum: quoniam quæ hominibus difficilia ſunt, Deo facilia ſunt: & ipſe operatur omnia in omnibus.

Vt det illis hæreditatem gentium:

Id eſt, quam præparauit omnibus gentibus.

Opera manuum eius, ueritas & iudicium.

Hoc eſt, ut ueritas iudiciumq́ ſeruetur: manus enim operatur, hoc eſt, ut non ſeparet à Chriſto tribulatio, anguſtia, fames, nuditas, gladius.

Fidelia omnia mandata eius, confirmata in ſeculum ſeculi,

Qui dedit mandata, & dedit promiſſa: quæ fideliter retribuit confirmata inæternum, nec unquam defectura.

Facta in ueritate & iudicio.

Hoc eſt enim uerum, & iuſtum, ut hîc laboretur, ibi requieſcatur.

Redemptionem miſit populo ſuo:

Ciues, & hæredes cœleſtis Hieruſalem, ab huius peregrinatione captiuitate redimuntur. D

Mandauit inæternum teſtamentum ſuum.

Teſtamentum ſuum, utique nouum, quod æternum promiſit: non illud uetus, cuius tranſitoriæ promiſsiones fuerunt.

Sanctum & terribile nomen eius:

Sapientia uera eſt, noſſe & diligere Deum: ſed ad hunc gradum de timore conſcenditur: quia ſicut deſideranda ſunt eius munera, ſic metuenda iudicia.

Initium ſapientiæ timor domini.
Intellectus bonus omnibus facientibus eum:

Is bonum habet intellectum, qui quod faciendum rectè intelligit, facit: quia talis eſt ſine opere intelligentia, qualis ſine timore ſapientia.

Laudatio eius manet in ſeculum ſeculi.

Nemo ergo quicquam ſuæ iuſtitiæ adſcribat, nemo de ſuis quaſi proprijs

A prijs meritis exultabit: sed in Dei laudem & gloriam, omnis sanctorum beatitudo inæternum refertur.

PSALMVS CXI. ALLELVIA.

TITVLVS Psalmi est reuersionis Aggei, & Zachariæ, qui post euersionem templi Hierusalem, & transmigrationem in Babyloniam, completis sub Dario LXX. captiuitatis annis, prophetare cœperunt ea, quæ ad relaxationem captiuitatis, & reparationem templi pertinerent. Sed quia quæ corporaliter tunc gerebantur, rerum futurarum indicia præferebant, per illam captiuitatis remissionem, & templi restitutionem, spiritaliter figurabatur fabrica ipsius templi, cuius Christus est fundamentum: in quo etiam angulari lapide, uiuis lapidibus coaptatis, cœlestis ædificij structura consurgit, ut ex ruina uetere, quæ facta est in Adam, nouum Dei templum cum reparatione omnium gentium reformetur. Ad hoc ergo templum pertinet prophetatio Aggei & Zachariæ, qui in Psalmi titulo præferuntur: ut qui hoc sacramentum intelligit, & qui cupit in huius ædificij compage solidari, sciat reuersionis & renouationis suæ in timore Dei esse principium. Ephes. 2.

Beatus uir qui timet dominum: in mandatis eius uolet nimis.

B BEATITVDO uiri iusti, timore incipit domini, & proficit in desiderium mandatorum Dei, quibus templum eius efficitur.

Potens in terra erit semen eius:

Semen futuræ messis opera esse misericordiæ Apostolus testis est, dicens: Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim proprio metemus. Quid autem potentius hoc semine, cuius impendio comparatur regnum cœlorum, & uita æterna? Gal. 6.

Generatio rectorum benedicetur.

Id est, opera eorum, qui recto sunt corde, non turbantur propter promissorum dilationem: nec transeuntia carnaliter appetunt, sed mansura fideliter, patienter expectant.

Gloria & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in seculum seculi.

Qui talis est in domo sua, id est, in corde suo, ubi templum Dei est, gloriam & diuitias habet: quia spe non dubia futura iam possidet, & regnum

regnum Dei intra ipsum est. Huius iustitia manet in seculum seculi, quia C
ipsa est gloria atque diuitiæ.

Exortum est in tenebris lumen rectis corde:

Merito dirigunt cor in dominum suum, merito ambulant recti cum domino suo, qui cùm essent in tenebris, lucem uiderunt magnam, & meminerunt fuisse se aliquando tenebras, nunc autem lucem in domino.

Misericors & miserator & iustus dominus.

Qui miseretur ut misereatur, & iustus est in retributione, quia nulli faciet iudicium sine misericordia.

Suauis homo qui miseretur & commodat,

Hunc suauem & mitem atque iocundum, non euomit Deus ex ore suo, tanquam mali odoris, aut fastidiendi saporis: tota autem suauitas eius in eo est, qui miseretur & commodat, remittendo scilicet peccata, & largiendo beneficia: quibus duobus benignitatis officijs, omnia pietatis
Lucæ 6. opera continentur, dicente domino, Dimittite, & dimittetur uobis: date, & dabitur uobis.

D

Disponet sermones suos in iudicio: quoniam inæternum non commouebitur.

Qui hæc facit, disponit sermones suos in iudicio. Facta enim quædam uerba sunt testium, quibus in iudicio defenderetur. Quia inæternum non
Matth. 25. commouebitur, qui ad dexteram segregatus audiet, Venite benedicti patris mei: percipite regnum, quod uobis paratum est ab origine mundi.

In memoria æterna erit iustus: ab auditu malo non timebit.

Matth. 25. Non timebit audire quod dicitur sinistris: Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & angelis eius.

Paratum est cor eius sperare in domino:

Quia non sua quæsiuit, sed quæ Iesu Christi, & promissa eius confidenter expectat.

Confirmatum est cor eius, non commouebitur, donec uideat super inimicos suos.

Inimici eius præsentia concupierũt, & cùm eis inuisibilia promitterentur,

A tur, dicebant, Quis oſtendit nobis bona? Illi uoluerunt uidere bona hominum in terra morientium: hic credidit uidere bona domini, in terra uiuentium. Non ergo commouebitur cor eius, nec tranſitoria malorum felicitate turbabitur, donec uideat, non deorſum, quod inimici eius, ſed ſurſum, ſuper inimicos ſuos: quod oculus non uidit, nec auris audiuit, 1.Cor.2.
nec in cor hominis aſcendit, quod præparauit Deus diligentibus ſe.

Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi:

Diſperſit uiſibilia, ut inuiſibilia compararet: dedit temporalia, accepturus æterna.

Cornu eius exaltabitur in gloria.
Peccator uidebit, & iraſcetur:

Iraſcitur peccator: cui magis quàm ſibi? ſed ſera illa, atque infructuoſa pœnitudine, cùm dicit: Quid nobis profuit ſuperbia, aut quid diuitiarum iactatio contulit nobis?

Dentibus ſuis frendet, & non reuireſcet.

B Sicut fieret, ſi opportuno eum tempore pœniteret: ſed tunc frendet, quando deſyderium peccatorum peribit.

PSALMVS CXII. ALLELVIA.

Laudate pueri dominum: laudate nomen domini.

EXHORTATIO hæc non ad pueriles tantum annos, ſed ad omnem profertur ætatem: omnibus enim Apoſtolus dicit, Nolite effici pueri mentibus, ſed malitia paruuli eſtote, ut 1.Cor.14.
mentibus perfecti ſitis. Qua malitia, niſi ſuperbia? ipſa enim de uana granditate præſumens, non ſinit hominem ambulare per arctam uiam, & intrare per anguſtam portam. Puer autem facilè intrat per anguſtam: & ideò nemo, niſi conuerſus fuerit ut puer, intrat in regnum Luce 4.
cœlorum. Puerorum ergo nomine, non ætas infantium, ſed animorum humilitas compellatur: quia non laudant nomen domini, qui ſe magnos putant, & ſuam iuſtitiam uolentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Non enim ſunt pueri: & dum prædicari ſe uolunt, non laudant nomen domini.

Sit nomen domini benedictum, ex hoc nunc & uſque in ſeculum.

A ſolis

A solis ortu usque ad occasum, laudate nomen domini. C

Vt scilicet nomen domini semper benedicatur, & ubique laudetur.

Excelsus super omnes gentes dominus: super cœlos gloria eius.

Non solùm super omnes gentes maiestas domini, sed etiam super cœlos gloria eius excelsa est.

Quis sicut dominus Deus noster, qui in altis habitat: & humilia respicit in cœlo & in terra?

Esa. 54. Per Esaiam spiritus ita loquitur: Hæc dicit altissimus in excelsis habitans inæternum, nomen ei dominus altissimus, in sanctis requiem habens. Meritoq; cœlum intelliguntur, qui habitantur à domino: qui cùm sint sancti, atque ideo excelsi, iidem tamen sunt humiles, neque aliunde, nisi de humilitate sublimes. In altis itaque dominus habitat: id est, in sanctis, & spiritalibus, atque cœlestibus. Et humilia respicit: id est, ipsos sanctos, nunquam in se, sed semper in domino gloriantes. Delectatur enim altitudine humilium, & humilitate celsorum in cœlo & in terra: hoc est, quorum conuersatio in cœlis est, licet mortali sint carne circundati. Si uerò alia sunt, quæ dominus noster in cœlo humilia respicit: alia, quæ in terra: possunt cœlum hi intelligi, quos uocatos, & sanctificatos iam inhabitat: Terra autem, quos uocat, ut habitet in eis. Sed absolutior sensus est, si cœlos dictos accipiamus eos, qui sedebunt super duodecim thronos, & cum domino iudicabunt. Terræ autem nomine, cæteram multitudinem sanctorum, qui constituentur ad dextram, ut per opera misericordiæ collaudati recipiantur ab eis in tabernacula æterna, quos amicos sibi de mammona iniquitatis in huius uitæ mortalitate fecerunt. Et hos ergo, & illos humiles, respicit Deus, quia meminerunt utrique quid fuerint per suam malitiam, & quid facti sint per Dei gratiam. D

Qui erigit de terra inopem, & de stercore exaltat pauperem.
Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.

Non itaque dedignentur esse humilia capita excelsorum sub manu domini. Quamuis enim collocetur fidelis dominicæ pecuniæ dispensator cum principibus populi Dei, quamuis sessurus sit in duodecim sedibus, & angelos quoque iudicaturus: à terra tamen inops erigitur, & de stercore pauper exaltatur: quia donum Dei est omnis celsitudo sanctorum.

Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.

Ecclesiam

A Ecclesiam enim antea sterilem, Dei gratia fœcundauit, ut in multis filijs lætaretur, in qua dominus, qui in altis habitat, & humilia respicit, in cœlo, & in terra, habet ex semine Abraham, & sublimem sanctitatem, sicut stella cœli, in supernis sedibus collocandam, & sicut arenam in ora maris, misericordem, atque innumeram multitudinem à sinistris fluctibus, & ab impia amaritudine segregandam.

PSALMVS CXIII. ALLELVIA.

IN exitu Israël ex Aegypto, domus Iacob de populo Barbaro,
Facta est Iudæa sanctificatio eius: Israël potestas eius.
Mare uidit & fugit: Iordanis conuersus est retrorsum.

PRAETERITORVM gestorum recoli uidetur historia: & quemadmodum populus Israël, qui est domus Iacob, de iugo Aegyptiæ dominationis eductus sit, in memoriam reuocari. Sed per propheticum eloquium, magis futura indicantur, quàm præterita retexuntur. Et ideo quædam aliter hic dicuntur, quàm ibi acta sunt: ut uigilanter intelligatur prophetia, ubi non
B constat historia. Primùm enim Iordanem ipsum non reuersum esse retrorsum, sed stetisse legimus, ab ea parte, qua desuper influebat: deinde, montes exultasse, & colles gestisse non legimus, quæ sic addidit, ut omnia ista etiam repeteret. Intelligendum ergo est, quia illa facta figuræ nostræ fuerunt. Et ideo de eis aliter quid dicitur, ut quibus temporibus congruat, agnoscatur. Si enim gratiam Dei, quæ data est nobis, firmo corde retineamus, nos sumus Israël semen Abrahæ: qui non carnaliter circuncisæ genti tantum modo factus est pater, sed & omnium qui sequuntur uestigia fidei Abraham: qui cùm esset in præputio, Credidit domino, & iustificatus est ex fide, & constitutus est omnium gentium pater: dictumque ei est, Benedicentur in te omnes gentes. Quia ergo populus Christianus uerus est Israël: & Aegyptus, sæpe in figura totius seculi ponitur, à quo spiritaliter recedendum est: quemadmodum ille populus non potuit ad terram promissionis uenire, nisi diuino liberaretur auxilio: ita ab huius seculi uinculis nullus eruitur, nisi per gratiam Dei, in manu forti, & brachio excelso, ut cœlestis Hierusalem ciuis esse mereatur. Quicunque ergo sunt Israëlitæ, domus Iacob, & Abrahæ, secundum promissionem hæredes, cognoscunt etiam se exisse de Aegypto, cùm huic seculo renunciauerunt: exisse de populo Barbaro, cùm confessione pietatis, à blasphemijs impiarum gentium recesserunt: interrogent corda sua, si ea circuncidit fides, si purificauit confessio Dei Abraham, & Dei Isaac, & Dei Iacob: Facta est in eis Iudæa sanctificatio eius, & Israël potestas eius. Dedit Ioan. 1.

enim eis potestatem, filios Dei fieri. Iam hic recordetur unusquisque, qui C
sub dura dominatione diabolicis in hoc seculo operibus subditus laborabat, quomodo ab hoc iugo liber effectus sit: quomodo inter dissuadentium retinacula, & obsistentium impedimenta, ad uiam libertatis, & ad spem æternæ hæreditatis euaserit. Mare ergo uidit, & fugit, cùm obstacula seculi, uerbo Dei tremefacta, cesserunt. Iordanis conuersus est retrorsum: quoniam qui auersus à principio suo, creatorem suum deserit, tanquam fluuius in mare labitur, cui bonum est, ut retrorsum conuertatur, & rediens ad autorem, retro sibi faciat mare, id quod antè tendebat: & sic Iordanis conuertatur retrorsum, cùm illi conuertuntur ad dominum, qui gratiam baptismi perceperunt.

Montes gestierunt uelut arietes: Et colles uelut agni ouium.

Fideles dispensatores uerbi ueritatis, sancti Apostoli, sancti Euangelistæ montes, & duces sunt gregum, & colles uelut agni ouium sunt, quibus dicitur in Christo IESV, per Euangelium, Ego uos genui. De quibus dicitur, Afferte domino filios arietum, qui montium pabulis opimantur, & sub arietum principatu exultantes reguntur.

Quid est mare quod fugisti? & tu Iordanis quia conuersus es retrorsum? D
Montes quia gestitis uelut arietes: & colles uelut agni ouium?

Quid est, inquit, ò seculum, quòd tua impedimenta cesserunt? Quid est, quòd tot milia fidelium, toto orbe huic mundo renuntiantium conuertimini? quid est quòd gaudetis? quibus in fine dicetur: Euge bone
Lucæ 19. serue, quoniam in paucis fidelis fuisti, supra multa te constituam. Quid
Matth. 25. est, quod gaudetis? quibus in fine dicetur: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod uobis paratum est, ab origine mundi.

A facie domini commota est terra: à facie Dei Iacob.

Quid est à facie domini, nisi ab eius præsentia, qui dixit, Ecce ego uo-
Matth. 28. biscum sum, usque ad consummationem seculi. Ipse ergo commouet terram, ipse pigra & inertia corda conuertit.

Qui conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.

Ista est spiritalis petra, id est, Christus, qui doctrinam suam, quæ prius

A prius dura,& rigida uidebatur, in multa fluenta conuertit, & misso de cœlis spiritu sancto, sermonem suum fecit esse potabilem, quem discipulis insinuarat, incipiens à Moyse per omnes prophetas, quia sic oportebat Christum pati.

Non nobis domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.

Gratia prædicatur, quæ aquam regenerationis de petra, quæ est Christus, emisit, nullis hominum præcedentibus meritis: quoniam Christus pro impijs mortuus est, ne ullus nisi in domino glorietur.

Super misericordia & ueritate tua:

Duo hæc, misericordia, & ueritas, in scripturis sanctis, pene semper iuncta inueniuntur. In sua quippe misericordia Deus uocauit impios: & in ueritate iudicauit eos, qui uenire noluerunt.

Nequando dicant gentes, Vbi est Deus eorum?

In nouissimo enim manifestabitur misericordia, & ueritas. Nec dicent impij, Vbi est Deus eorum? cùm apparente signo filij hominis in cœlo, & instante iudicio, non adhuc prædicabitur credendus, sed ostendetur B tremendus.

Deus autem noster in cœlo sursum, & super terram: omnia quæcunque uoluit fecit.

Non in cœlo, ubi solem & lunam uident, qui creaturam colunt: Sed in cœlo sursum, quod transgreditur omnia corpora cœlestia, & terrestria: Quanquam nec in ipso ita sit, ut sine ipso esse non possit. Quoniam in quibus est, ipse ea tanquam indigentia continet, qui in cœlis & in terra omnia quæcunque uoluit fecit: hoc est, & in superioribus & inferioribus populi sui uoluntariam gratiam suam constituit, ne quis de operum meritis glorietur. Quia siue montes gestiant, uelut arietes; siue colles, uelut agni ouium, A facie domini commota est terra: ne in terrenis sordibus permaneret.

Simulachra gentium argentum & aurum:

Habent quidem & ærea, & lignea, & fictilia simulachra, & alterius alteriusque materiæ: sed pretiosum eorum maluit commemorare spiritus sanctus: quia cum in eo quisque erubuerit, quod illi carius est, multò facilius auertitur à ueneratione uiliorum; ut intelligat etiam in auro & argento nihil aliud esse, quàm terram.

Os enim habent, & non loquentur: oculos habent, & non uidebunt. C

Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabuut.

Manus habent, & non contrectabunt: pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in faucibus suis.

Similes sint illis omnes, qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.

Videant ergo impij, apertis & sentientibus oculis: & adorent clausis, & mortuis mentibus, nec uidentia simulachra, nec uiuentia.

Domus Israël sperat in domino: adiutor eorum & protector eorum est.

Rom. 8. Spes enim quæ uidetur, non est spes: quod enim uidet quis, quid sperat? si autem quod non uidemus, speramus, per patientiam expectamus. Sed ut perduret usque in finem ipsa patientia, Adiutor & protector est dominus.

Domus Aaron sperauit in domino: Adiutor eorum, & protector eorum est. D

Ergo etiam sublimiores quique, atque in summo excellentes gradu, etiam ipsi perseueranter currant, donec adprehendant, in quo adprehensi sunt: & cognoscant, sicut & cogniti sunt, adiutorio & protectione domini muniuntur.

Qui timent dominum, sperauerunt in domino: adiutor eorum, & protector eorum est.

Dominus memor fuit nostri: & benedixit nos.

Omnes, inquit, timentes dominum, & sperantes in domino, auxilio ipsius perficiuntur. Non enim nostris meritis præuenimus misericordiam domini, sed dominus memor fuit nostri, & benedixit nos.

Benedixit domum Israël: benedixit domum Aaron.

Benedixit omnes timentes dominum:

Hoc est, & superiores, & inferiores: quia utrique timent dominum. Si ergo quæris, quos utrosque benedixerit: respondetur, pusillos cum maioribus; hoc est, domum Israël, & domum Aaron.

Adijciat

A *Adijciat dominus super uos: super uos, & super filios uestros.*

Et ita factum est. Accesserunt enim, etiam de lapidibus suscitati filij Abraham. Accesserunt oues, quæ non erant de hoc ouili, ut fieret unus grex, & unus pastor. Accessit fides omnium gentium, & creuit numerus, non solum sapientium antistitum, sed etiam obedientium populorum, adijciente domino, Non solùm super patres, sed etiam super filios eorum, qui patrum piè uestigia sequerentur.

Benedicti uos domino, qui fecit cœlum & terram.

Tanquam diceret: Benedicti uos domino, qui uos fecit.

Cœlum cœli domino, terram autem dedit filijs hominum.

Non ergo istud uisibile cœlum plenum luminaribus fecit uos: sed multò excellentius, in quo sibi præparauit habitaculum, quod sunt sublimiores, purioresque mentes: in quarum comparatione, quicquid cernitur, terra est: quamuis possunt & paruuli in ecclesia terræ nomine nuncupari, qui proficiendo futuri sunt cœlum: & in ipsa spe lacte nutriuntur à magnis. Sed tamen quia illi iam non ab homine, neque per hominem, sed
B per ipsum dominum carpunt synceritatem, ubertatemque sapientiæ, acceperunt paruulos futuros quidem cœlum, ut cœlum cœli esse sciant: adhuc tamen terram, cui dicant, Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Ipsis enim filijs hominum, quos fecit cœlum, terram dedit, in qua operentur, qui nouit terræ prouidere per cœlum. Maneant igitur cœlum, & terra, in domino suo, qui fecit ea, & uiuant, ex eo confitentes ei, & laudantes eum. Nam si ex se uelint uiuere, morientur: sicut scriptum est, A mortuo, quasi qui non sit, perit confessio. 1. Cor. Ecclesi. 17.

Non mortui laudabunt te, neque omnes qui descendunt in infernum.

Clamat enim alio loco scriptura sancta, Peccator cum uenerit in profundo malorum, contemnit. Prouerb. 18.

Sed nos qui uiuimus, benedicimus dominum: ex hoc nunc & usque in seculum.

PSALMVS CXIIII. ALLELVIA.

D*Ilexi, quoniam exaudiet dominus uocem orationis meæ.*

CANTET hoc anima, quæ peregrinatur à domino: Cantet C
hoc ouis illa, quæ errauerat: Cantet hoc filius ille, qui mortuus fuerat, & resurrexit: perierat & inuentus est. Quid est enim, Dilexi, quoniam exaudiet dominus: nisi dilexi, quoniã in hac spe sum positus, ut exaudiendũ esse me credam? Non enim frustra hoc spero.

Quoniam inclinauit aurem suam mihi:

Ideo ergo exaudiet, quia inclinauit aurem suam mihi. Iam si quæramus, unde crediderit anima, quòd ad eam aurem dominus inclinarit: nonne
Rom. 8. respondebit, quia prior dilexit nos, & filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum? Quod mihi cùm annuntiaretur, quomodo non crederem inclinasse dominum aurem suam mihi, tanta misericordia præuenientem, tanta uocatione pulsantem?

Et in diebus meis inuocaui.

In diebus scilicet miseriæ meæ, in diebus mortalitatis, & præuaricationis, qua deserui Deum: & merui carcerem, id est, tenebras ignorantiæ, & compedes difficultatis accepi. In his igitur diebus

Circundederunt me dolores mortis: pericula inferni inuenerunt me.

D

Quæ nisi aberrantem abs te, non inuenient me. Ego autem illa non inueniebam: id est, non aduertebam. Amabam enim deceptiones meas, & gaudens falsis prosperitatibus seculi, ueris periculis demergebar inferni. Sed cùm mihi illuxit gratia tua, & causas tribulationis meæ, ac doloris inueni, & nomen domini inuocaui.

O domine erue animam meam:

Tanquam diceret, & inter aduersitates, & inter prosperitates huius seculi, miserum me esse cognoui: quia illa premunt, ista decipiũt. Quis ergo
Rom. 7. me liberabit de corpore mortis huius, nisi gratia Dei per IESVM Christum dominum nostrum?

Misericors dominus & iustus, & Deus noster miserebitur.

Misericors primò, quia inclinauit aurem suam mihi: Iustus, qui facit me agnoscere unde contererer: & rursum misericors, quia ad hoc ut inuocetur & misereatur.

Custodiens paruulos dominus, humiliatus sum: & liberauit me.

Custodit

A Custodit paruulos, quos uult esse perfectos: & in seruitutem per superbiam lapsos, per humilitatem facit liberos.

Conuertere anima mea in requiem tuam, quia dominus benefecit tibi.

Conuertere, inquit, anima mea, quia conuersionis facultatem ab illo habes, qui benefecit tibi.

Quia exemit animam meam de morte:

Exempta est à morte anima, etiam mortali adhuc carne circundata, quæ ex infideli, fidelis effecta est: & præter illam perfectam, æternam à cunctis laboribus requiem, quam adipiscitur Pretiosa in conspectu domini mors sanctorum eius: habet etiam in hac uita requiem suam anima, quæ de morte infidelitatis exempta est, & quæ non ab operibus iustitiæ, sed ab iniquitatis abstinet actione. Talis autem anima, quæ iam uiuit domino, & mortua est mundo: Quæ spiritali industriæ uigilanter intenta, in humilitatis & mansuetudinis non pigra, sed quieta tranquillitate, requiescit: pro adeptis iam habet, quicquid non dubia spe patienter expectat. Et ideo addit, & dicit,

B *Oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu.*

Hæc bona non temporalis uitæ sunt, sed æternæ: nec obtineri possunt mortali carne circundati, ut non fleant, non gemant, & nulla tentatione pulsentur. Spes ergo sanctorum, qui secundum id quòd spiritu Dei aguntur, iam in carne non sunt, merito de his gaudet, & gratias agit, quæ sibi à ueritate promissa sunt. Denique ut hæc se non iam habere, sed sperare monstraret,

Placebo (inquit) *domino, in regione uiuorum.*

Non ergo ad plenum domino, qui adhuc est in regione mortalium; nec potest talis esse in uita occidua, qualis futurus est in æterna.

PSALMVS CXV. ALLELVIA.

Credidi, propter quod locutus sum:

TAM reprobi sunt, qui uerum, quod credunt, non loquuntur: quàm qui uerum, quod loquuntur, non credunt. Perfecta ergo huius fides est, qui dicit non tantùm credidisse, sed & propter hoc locutum esse, quia credidit.

Ego autem humiliatus ſum nimis. C

Cur addidit, Ego autem, cùm poſsit dicere, locutus ſum, & humiliatus ſum? niſi, quia homo ueritatem prædicans, humiliari poteſt ab his, qui ueritati contradicunt: non ipſa ueritas: quam qui credit, eloquitur. Ego credidi propter quod locutus ſum.

Ego autem dixi in extaſi mea, Omnis homo mendax.

Extaſis, hic pauor intelligitur, quoniam martyrum uox eſt, inſtante cruciatu, uel morte, trepidantium, & agnoſcentium, non eſſe uirium ſuarum, ut quæ inferuntur euincant: atque ideo mendacem inueniri humanam infirmitatem, quæ non poſsit non fallere, præſumens de uiribus ſuis: cùm fortitudo patientiæ ex Deo ſit, qui & conſtantiam dat non timenti,
Matth.10. & fiduciam reparat formidanti: quoniam uerax eſt dicens: Cùm autem tradent uos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: Dabitur enim uobis in illa hora, quid loquamini. Non enim uos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris ueſtri, qui loquitur in uobis. Dicitur autem extaſis, etiam cùm mens non pauore alienatur, ſed aliqua inſpiratione reuelationis adſumitur.

Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? D

Hoc dicens, profitetur ſibi aliud retributum à domino, quàm merebatur: id eſt, pro malis recepiſſe ſe bona: & quærit quid ipſe reddat pro bonis: nec aliud inuenit, niſi quod dominus ipſe donauit, & dicit,

Calicem ſalutaris accipiam, & nomen domini inuocabo.

Quis iſtum dat calicem, niſi qui ait, Poteſtis calicem bibere, quem ego bibiturus ſum? & dans exemplum patiendi, contulit donum, redimens ipſam infirmitatem ſuorum, ſanguine ſuo: & dans pretium imitationis ipſorum, ut fieret

Pretioſa in conſpectu domini mors ſanctorum eius.

Emit enim eam ſanguine ſuo, quem fudit dominus pro ſeruis: ut & ſerui pro domino ſuo fundere non timerent: Cùm tamen & domini mors, & ſeruorum, ſeruis eſſet profutura, non domino.

O domine ego ſeruus tuus: ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Tanquam diceret, multi ſe martyres dicunt, multi ſeruos tuos ſe profitentur, quia nomen tuum habent in uarijs hæreſibus, & erroribus: ſed quia

A quia præter eccleſiam tuam ſunt, non ſunt filij ancillæ tuæ: ego autem, & ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Diſrupiſti uincula mea: tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.

Tu me, inquit, ſeruum tuum, tu feciſti filium ancillæ tuæ, qui captiuitatis meæ uincula diſrupiſti: & ideo laudis tibi hoſtiam debeo, quia tua gratia ſum, quod ſum, & in tua eſt mihi gloria gloriandum.

Vota mea domino reddam:

Quiſquis bene cogitat, quid uoueat domino, & quæ uota reddat, ſeipſum uoueat, ſeipſum reddat. Hoc exigitur, hoc debetur. Imago Cæſaris, reddatur Cæſari. Imago Dei, reddatur Deo. Sed ſicut uidendum eſt, quid offeras: ita etiam conſyderandum eſt, ubi offeras.

In atrijs, inquit, domus domini:

Quæ autem domus domini, niſi populus eius? Ideo ſequitur,

In conſpectu omnis populi eius:

B Quid eſt autem populus eius, niſi quod addit?

In medio tui Hieruſalem.

Hieruſalem uerò interpretatur uiſio pacis. Tunc ergo quod offeretur, gratum eſt, ſi de pace, atque in pace reddatur. Qui autem non ſunt filij huius ancillæ, bellum quàm pacem potius amauerunt. 1

PSALMVS CXVI. ALLELVIA.

LAudate dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.

IN FINE ſuperioris pſalmi, ne in Hieruſalem Iudæi gloriarentur, & hanc dignitatem ſibi Iſraël etiam carnalis adſumeret, qui ſint Iſraëlitæ, & in quibus ſit Hieruſalem, Pſalmi huius principio demonſtratur. Omnes, ſcilicet, gentes, & omnes populi, qui per imitationem fidei, facti ſunt filij Abraham, & ſpiritale ſemen Iſraël.

Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius: & ueritas domini manet in æternum.

Confirmata eſt miſericordia domini ſuper nos, cùm eius nomini, per quod

quod liberati sumus, inimicarum gentium rabida ora cesserunt: & quem C
negando blasphemauerunt, credendo laudauerunt. Veritas autem domini manet inæternum: siue in his, quæ promisit iustis: siue in his, quæ minatus est impijs.

PSALMVS CXVII. ALLELVIA.

Confitemini domino quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.

SED hîc confessio non pœnitentium est, sed laudantium dominum: quibus per gratiam præstitum est, ut eruerentur de tenebris, & potestate tenebrarum, & transferrentur in regnum filij Dei: ob hoc solùm, quia Deus bonus est, & ea misericordia miseretur, quæ permanet inæternum.

Dicat nunc domus Israël quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.

Dicat nunc domus Aaron quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.

D

Domus Israël, & domus Aaron, ipsi sunt omnes qui timent dominum: pusilli, scilicet, atque maiores. Ex quibus, siue Iudæis, siue Gentibus, unus factus est populus, concurrens in unum gregem, ad unum pastorem Iesum Christum: quæ societas in eius gratia facta est, qui bonus est, & cuius misericordia æterna est, & æternos facit.

In tribulatione inuocaui dominum, & exaudiuit me in latitudine.

Qui tribulatur, in angustia est: sed qui exauditur, latitudinis infinitate suscipitur.

Dominus mihi adiutor est: non timebo quid faciat mihi homo.

Ephes. 6. Apostolus dicit, Non aduersus carnem & sanguinem nobis, quod est homo iniquus: sed aduersus principes, & rectores tenebrarum, esse certamen. Quarum autem tenebrarum, nisi hominum diabolo subditorum? non ergo metuit quid ei faciat homo, qui ipsius incentorem Dei uincit auxilio.

Dominus mihi adiutor est: & ego despiciam inimicos meos.

Siue

A Siue ex malis hominibus, siue ex malis angelis, despiciet inimicos is, cui adiutor est dominus.

Bonum est confidere in domino: quàm confidere in homine.

Etiam si bonus homo, aut bonus angelus adiuuet, non in eis, inquit, confidam: sed in domino, qui me per illos iuuat.

Bonum est sperare in domino, quàm sperare in principibus.

Principes, & homines, & angeli possunt intelligi: sed in neutris spes collocanda est: quia potestas non est, nisi à Deo.

Omnes gentes circundederunt me: & in nomine domini ultus sum eos.
Circundantes circundederunt me: & in nomine domini ultus sum eos.
Circundederunt me sicut apes: & exarserunt, sicut ignis in spinis: & in nomine domini, quia ultus sum in eos.

Ipsum dominum, caput ecclesiæ, intelligimus circundatum à persecu-
B toribus, sicut circundant apes fauum. Sed mystice significatum est, quòd concursus ad persequentes, fauus autem ad credentes pertineret. Quoniam impij, nescientes quid facerent, dulciorem cruciando fecerunt: ut gustemus, & uideamus quàm suauis est dominus. Quòd autem exarserunt, sicut ignis in spinis: ad totum corpus Christi, id est, populum eius, melius refertur. Omnes gentes circundederunt me: quia ex omnibus collectus est gentibus, & ubique in eum exarserunt persecutionis incendia. Sed ultus est persequentes: quia extincta malitia, facti sunt Christiani. Siue, quia omnes qui pertinaciter infideles fuerunt, quem spreuerunt uocantem, sentient iudicantem.

Impulsus euersus sum, ut caderem: & dominus suscepit me.

Tanquam cumulus arenæ, uersatus sum, ut caderem, & dominus suscepit me. Multitudinem fidelium, in unitatem fidei congregatam, persecutio gentium non habuit quò impelleret. Et quamuis multum uexando uersaret: conuellere tamen, ac proijcere, non præualuit: quia ab omnibus simul in eum creditũ est, quia & singulos & uniuersos ubiq; suscepit.

Fortitudo mea & laudatio mea dominus: & factus es mihi in salutem.

Qui sibi sua fortitudo, & sua uolunt esse laudatio, cadunt. Quorum autem

tem fortitudo & laudatio est dominus, tam non cadunt, quàm non cadit C
dominus. Et ideo eis factus salus: non quia ipse aliquid cœperit esse, quod non erat: sed quia salutem in eo, quam auersi non habuerant, cœperunt habere conuersi.

Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum.

Sæuitia persequentium spem sanctorum internis gaudijs priuare non poterat: nec ualebant impij eorum auferre lætitiam, quorum nequibant
2.Cor.6. expugnare patientiam. Vnde & Apostolus dicit, Quasi tristes, semper autem gaudentes.

Dextera domini fecit uirtutem, dextera domini exaltauit me: dextera domini fecit uirtutem.

Magna uirtus exaltare humilem, deificare mortalem, præbere de infirmitate perfectionem, de subiectione gloriam, de passione uictoriam. Sed quia non homo se exaltauit, non homo se perfecit, non homo sibi gloriam dedit, non homo uicit, nec ipse sibimet saluti fuit: pijssima confessione laudem Dei repetit: Dextera domini fecit uirtutem.

Non moriar, sed uiuam: & narrabo opera domini. D

Vox ecclesiæ est, non in se, sed in domino gloriantis. Extinguendum Dei populum persecutores arbitrabantur: sed aucta est ecclesia, & ubique Christus martyrum gloria est: in quorum passionibus domini opera prædicantur.

Castigans castigauit me dominus: & morti non tradidit me.

Non ergo quicquam uiribus suis licuisse arbitretur fremitus impiorum: non haberent istam potestatem, nisi desuper daretur. Sæpe filios suos paterfamiliàs per nequissimos seruos emendari iubet: cùm illis hæreditatem, his compedes præpararet. Quæ est ista hæreditas? auri est, & argenti? an gemmarum? an fundorum, amœnorumque prædiorum? Vide quà intretur, & cognosce quid sit.

Aperite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas confitebor domino:

Psalm.83. Intra portas iustitiæ, uox est confessionis, & exaltationis. Beati enim qui habitant in domo domini, in secula seculorum laudabunt eum.

Hæc porta domini, iusti intrabunt per eam.

Hæc

A Hæc porta, illius eſt Hieruſalem, quam nemo incircunciſus, nemo intrat iniuſtus, ubi dicitur, Canes foras.

Confitebor tibi domine, quoniam exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutem.

Confeſsio hæc, laudis eſt, non uulnera medico oſtendens: ſed de perceptà ſanitate gratias agens ei, qui ipſe eſt ſalus.

Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.

Vt duos conderet in ſemetipſum, in unum nouum hominem faciens pacem, & reconciliaret utroſque in uno corpore Deo: circunciſionem ſcilicet, & præputium.

A domino factus eſt:

Quamuis enim non eſſet lapis angularis, niſi paſſus eſſet: non tamen hoc ab eis, à quibus paſſus eſt, factus eſt. Nam illi qui ædificabant, reprobauerunt: ſed in eo quod dominus occultè ædificabat, fecit in caput anguli, quem reprobauerunt.

B *Et eſt mirabilis in oculis noſtris.*

In oculis interioribus hominis: in oculis credentium, ſperantium, diligentium.

Hæc dies eſt quam fecit dominus: exultemus & iocundemur in ea.

Dies quo mihi ſalutem dedit: dies quo ille mediator Dei & hominum, factus eſt in caput anguli.

O domine ſaluum me fac, ò domine bene proſpera:

Saluum fac, quia dies ſalutis eſt: proſpera iter, à peregrinatione redeuntibus, quia tu nobis factus es uia.

Benedictus qui uenit in nomine domini.

Maledictus ille, qui uenit in nomine ſuo, quem ſuſcipient, qui Dei filium non receperunt.

Benediximus uos de domo domini:

Vox iſta magnorum eſt ad puſillos: eorum ſcilicet magnorum, qui

uerbum Dei Deum, ficut in hac uita poffunt, mente contingunt, & tamen fermonem fuum propter paruulos temperant. C

Deus dominus, & illuxit nobis.

Illuxit nobis mediator Dei ille & hominum, homo Chriftus IESVS, qui & Deus æqualis patri, quod fecit credi, fecit intelligi.

Conftituite diem feftum in frequentationibus: ufque ad cornu altaris.

Id eft, ufque ad interiorem domum Dei, de qua nos benediximus, ubi funt altaris excelfa, ubi fpiritale facrificium laudis perpetuæ: Vbi eft facerdos æternus, & altare fempiternum: ad quod non tepide, neq; fegniter, fed in frequentatione currendum eft, ut de filio Deo, qui nos propter caro factus eft: non iam humiliter fecundum carnem, qua conformis nobis effe dignatus eft, fed fublimiter fecundum diuinitatem, quæ patri æqualis eft, fentiendum.

Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.

Confitebor tibi domine, quoniam exaudifti me, & factus es mihi in falutem. D

Non ftrepitu ifta uerborum dicentur, in illa domo ad quam, ut intremus hortatur, fed dilectio inhęrēs Deo, ipfa erit uox laudationis æternæ.

Confitemini domino quoniam bonus: quoniam in feculum mifericordia eius.

Iifdem uerbis Pfalmus quibus inchoauerat, claudit: quia ab initio ufq; in finem debet in nobis laudationum Dei perfeuerare confefsio.

PSALMVS CXVIII. ALEPH.

BEati immaculati in uia, qui ambulant in lege domini.

BEATI effe non poffunt, nifi immaculati: Immaculati autem non funt, nifi qui in uia ambulant: uia uero non eft, nifi lex domini. Quærens ergo beatitudinem, immaculatus in uia fit: & in lege domini, quæ beatorum uia eft, ambulet: id eft, non fit otiofus.

Beati qui fcrutantur teftimonia eius: in toto corde exquirunt eum.

In uia domini hi fine dubio ambulant, qui fcrutantur teftimonia eius: fed

A sed quia multi uolunt habere scientiam sine operibus, merito addidit, In toto corde exquirunt eum. Tum enim rectè quæritur Deus, si non per ipsum alia, sed per omnia ipse quæratur. Beatitudo autem quærentium dominum, in huius uitæ laboribus non potest esse perfecta. Sed beati iam dicuntur, qui hoc sine dubio sunt futuri, quia in uia ambulant immaculati, & scrutantes testimonia legis domini, in toto corde exquirunt eum. Spe ergo beati sunt, quia talibus beatitudo promissa est.

Non enim qui operantur iniquitatem, in uijs eius ambulauerunt.

Hic quæritur, cùm iniquitas peccatum sit, & non operentur peccatum, qui ambulant in uijs domini: quomodo illi sancti, in uijs domini ambulauerunt, qui dicunt, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & ueritas in nobis non est. Ergo & peccatum habuerunt, & in uijs domini ambulauerunt, secundum Paulum dicentem, Si quod nolo, ego hoc facio: non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatū. Itaq; nec operantur peccatum, qui ambulant in uijs domini, & tamen non sunt absq; peccato: quia iam non ipsi operantur illud, sed quod habitat in eis peccatum. Non autē ipsi operantur illud, quādo illicitis desiderijs cōsensum nō accōmodant uoluntatis. Veruntamen cùm omnes sancti, in carne degētes, ueraciter dicant, Dimitte nobis debita nostra: Quomodo intelligitur, Immaculatos eos in uia domini ambulare, quos oportet quotidiana oratione remissionē poscere peccatorū: nisi quia uerū est, ambulantes in uia domini, nullis cōsentire criminibus: & tamē quibusdā cogitationum carnaliū obreptionibus titillari, & ob hoc eis necessariā quotidianā remissionem, ut fiant immaculati: quoniam & hoc ipsum, ad uiam pertinet domini, de qua non recedit, qui se immaculari semper exposcit.

1. Ioan. 1.
Rom. 7.
Matth. 6.
B

Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.

Nimis, siue ad mandantem, siue ad custodientem referas, non pro eo, quod est plus quàm oportet, accipiendum est: sed pro ualde. Valde enim mandatur, & ualde custodienda sunt præcepta diuina.

Vtinam dirigantur uiæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.

Dedisti, inquit, mandatum, & custodiri illud præcepisti: sed utinam præbeas & auxilium, ut possim facere te iuuante, quod faciendum didici te docente.

Tunc non confundar, cùm perspicio in omnia mandata tua.

Cùm, inquit, directæ fuerint uiæ meæ, per gratiam tuam, tunc inspe-

ctione mandatorum tuorum non confundar, quæro non utilis auditor, C
sed efficax factor.

Confitebor tibi domine in directione cordis: in eo quod didicerim iudicia iustitiæ tuæ.

Si directum fuerit iter meum, & cor meum, & prædicabo domine te, laudabo, & tui esse hoc operis confitebor.

Iustificationes tuas custodiam:

Hoc est, faciam quod iubes, si me adiuueris.

Non me derelinquas usquequaque.

Non ita accipiendum, quasi in aliquo se relinqui uelit: sed hoc petit, ne penitus deseratur, & ita potius, ut ab eo nunquam & nusquam diuinum abscedat auxilium.

BETH.

In quo corrigit adulescentior uiam suam? In custodiendo sermones tuos.

Interrogatio est, in quo iunior uiam suã corrigat: & respondetur, quod D
correctio eius hæc sit, ut Dei uerba custodiat. Sed quæritur quis iste sit iunior, cuius ista correctio est? cùm & senes multi conuertantur ad dominum, per quamlibet seram obseruantiam mandatorum. Bene ergo iste iunior intelligitur populus nouus, per Christi gratiam renouatus, qui ab erroris ueteris uia, uerbum fidei custodiendo, corrigitur.

In toto corde meo exquisiui te: ne repellas me à mandatis tuis.

Fecisti, inquit, ut toto corde meo exquirerem te: fac ut in mandatis tuis maneam: quæ ut mihi possibilia sint, adiuua me, & noli me ab eis repellere: id est, noli mihi auxilium tuum subtrahere.

In corde meo abscondi eloquia tua: ut non peccem tibi.
Benedictus es domine: doce me iustificationes tuas.

Quid adhuc eloquia domini quærit discere, quę iam abscondit in corde? Quod utiq; non fecisset, nisi ea didicisset. Vt quid addit, & dicit, Doce me iustificationes tuas: nisi qui eas uult faciendo discere, & operandi notitia comprehendere, non loquendi tantum facilitate, & memoriæ recordatione retinere?

In labijs meis enuntiaui omnia iudicia oris tui.

Nihil

A Nihil, inquit, iudiciorum tuorum tacui, sed omnia prorsus in labijs meis enuntiaui: ea scilicet, quæ mihi ore tuo, id est, eloquiorum tuorum prædicatione dixisti.

In uia testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs.

Via testimoniorum Dei Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. In hac ergo uia, quasi in omnibus diuitijs delectatur, qui uidet per illum multa erga nos testimonia diuinæ dilectionis impleta: & non dubitat, quæ expectantur implenda.

In mandatis tuis exercebor: & considerabo uias tuas.

Vniuersæ uiæ domini, misericordia & ueritas: quarum plenitudo inuenitur in Christo, in quo omnis ecclesia, contra inimicos fidei Christianæ, copiosis disputationibus exercetur.

In iustificationibus tuis meditabor: non obliuiscar sermones tuos.

Ideo utique meditabor, ut non obliuiscar sermones tuos: meditabor, B ut non obliuiscar: meditatio enim non obliuiscendi, est perseuerantia operandi, propter quod postulauit adiutorium gratiæ, dicens: Benedictus es domine, doce me iustificationes tuas, ut quod sermone nouerat, etiam opere compleret.

GIMEL.

Retribue seruo tuo, uiuifica me: & custodiam sermones tuos.

Quatuor sunt retributiones: aut enim mala pro malis retribuuntur, sicut Deus ignem æternum retributurus est impijs: aut bona pro bonis, sicut regnum æternum retributurus est iustis: aut bona pro malis, sicut Christus per gratiam iustificat impium: aut mala pro bonis, sicut Iudas per malitiam persecutus est Christum. Harum quatuor retributionum, duæ priores pertinent ad iustitiam, ut retribuantur mala pro malis, bona pro bonis. Tertia pertinet ad misericordiam, ut retribuantur bona pro malis. Quartam Deus nescit. Nulli enim malum pro bono retribuit. Hæc autem quæ tertio loco posita est, primitus necessaria est. Nisi enim Deus retribuerit bona pro malis, nullo modo essent quibus retribuerentur bona pro bonis. Qui ergo dicit, Retribue seruo tuo: & addidit, Viuifica me, & custodiam sermones tuos; scit iustum ex fide uiuere, quæ operatur pro dilectione. Et quia mortuus erat per suam iustitiam, petit sibi uitam per Dei gratiam: quam profecto non peteret, si omnino non crederet, id est, omnino non uiueret. Sed quia id quod acceperat ad desiderandum, non sufficiebat ad obediendum, poscit se uiuificari: hoc est,

eam in se fidem, quam accepit, augeri: ut uiuificetur per omnem diem, qui C
renouatur de die in diem.

Reuela oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua.

Da, inquit, mihi intellectum, quo possim mirabilia tuæ legis inspicere, & uirtutem præceptorum tuorum uidere.

Incola ego sum in terra: ne abscondas à me mandata tua.

Ibi quisque est peregrinus, ubi absens est à patria sua. Iste ergo qui supernæ Hierusalem, ciuis adscriptus est, peregrinum se profitetur in terra: quia certus est de hæreditate promissa. Sed quia tentatio est uita humana super terram, petit ne in tempore tribulationis, & difficultatis, abscondatur ab eo mandata Dei: quæ utique in medio constituta sunt, & possunt etiã ab impijs sciri. Nam quem latet breuissimum, plenissimumque mãdatum,
Matth.22. Diliges dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua? Et: Diliges proximum tuum sicut te ipsum? In quibus duobus mandatis, tota lex pendet, & prophetæ. Quomodo ergo hic terræ incola orat, ut ab eo non abscondantur, quæ penè neminem latent, nisi quia dominum nosse paucorum est, & consequens est, ut ei mandatum dilectionis sit absconditum? quia aliud pro alio diligit: & qui errat in domini amore, errat etiam in proximi charitate. Recte itaque qui incola est in D
terra, & qui terrena non diligit, postulat sibi mandatorum Dei scientiam reuelari: ne uel in Dei, uel in proximi dilectione fallatur.

Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.

Cõcupiui, inquit, iustificationũ tuarũ desideriũ habere usque in finẽ. Tu enim me iustificas, tua me facit gratia iustũ, & bonum: mihi est semper hoc desiderare, & in hoc tuo præsidio delectari. Alioquin iustus non ero, si aut defuerit mihi gratia tua, aut inflauerit me superbia.

Increpasti superbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.

Illa increpatio hic intelligenda est, quam primi hominũ genitores sua transgressione meruerunt, declinantes à mandato Dei per superbiam, quam concupiuerant, non quod Deus diligendum præcepit, sed quod diabolus inuidendo persuasit. Omnis itaque superbus, huic increpationi subiectus est, siue hæreditario, siue uoluntatis arbitrio.

Aufer à me opprobrium & contemptum: quia testimonia tua exquisiui.

Vox ista ecclesiæ est, iam diligentis inimicos suos, & orantis pro persecutoribus

A ſecutoribus ſuis. Dicat itaque omnis Chriſtianus: dicant omnia membra corporis Chriſti: Aufer à me obprobrium, quod ideo audio: & contemptum, quòd ideo contemnor. Quia teſtimonia tua, id eſt, martyria tua, exquiſiui. Vt inimici noſtri inde uenerētur, unde contemnunt, cùm quos perſequendos putauerunt, intellexerint honorandos.

Etenim ſederunt principes, & aduerſus me loquebantur.

Inde perſecutio grauis erat, quia eam ſedentes, id eſt, iudiciarijs ſedibus eminentes, principes decernebant: quod & in ipſum caput, & in corpus eius actum eſſe non dubium eſt.

Seruus autem tuus exercebatur in tuis iuſtificationibus.

Qualis exercitatio hæc fuerit, ſequentia docent.

Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt: & conſilium meum iuſtificationes tuæ ſunt.

Sic ergo exercebatur ſeruus Chriſti, ut contra perſequentes dilectione certaret. Conſilium ſedentium principum fuit, inuentos martyres perdere: conſilium patientium martyrum fuit, inimicos perditos inuenire:
B reddebant illi mala pro bonis, iſti bona pro malis. Quid ergo mirum, ſi iſti occidendo defecerunt, illi moriendo uicerunt?

Adhæſit pauimento anima mea: uiuifica me ſecundum uerbum tuum.

Qui ſe uiuificari petit, quoniam adhæſit pauimento anima eius, uidetur hoc poſcere, ut à terrenis cupiditatibus eruatur. Sed non talia uerba præmiſſa ſunt, ut de eo qui dicebat, Nam & teſtimonia tua meditatio mea, & conſilium meum iuſtificationes tuæ: credendum ſit, quòd terrenæ magis conuerſationi inhæſerit, quàm cœleſti. Non ergo à concupiſcentijs mundi auelli, nec à carnis ſocietate ſeparari, ſed ab affectibus carnalibus optat abiungi: ut illa concupiſcētia, quæ concupiſcit aduerſus ſpiritū, magis cōminuatur: & concupiſcētia, quæ cōcupiſcit aduerſus carnē, perſeuerantibus profectibus augeatur. Nemo eſt enim, cuius animā corruptibile corpus, & inhabitatio terrena nō aggrauet, donec corruptibile hoc induatur in corruptionē, & uerbū Dei, quo uita æterna ꝓmittitur, impleatur.

Vias meas enunciaui, & exaudiſti me: doce me iuſtificationes tuas.

Peccata, inquit, mea confeſſus ſum, & exaudiſti me: enūtiaui uias meas, & deleſti eas: doce me tuas. Non ergo eas iuſtificationes uult diſcere, in quibus exercebatur; ſed ab illis, ad illas deſiderat peruenire.

Viam iustificationum tuarum insinua mihi: & exercebor in mirabilibus tuis. C

Hæc petens, magis profectibus concupiscit augeri. Sunt autem quædã iustificationes tam sublimes, atq; mirabiles, ut hi qui experti non sunt, putent ad eas humanam infirmitatem peruenire non posse.

Dormitauit anima mea præ tædio: confirma me in uerbis tuis.

Fatigor nanq; ex infirmitate, & relabor ex tædio: confirma me in promissionibus tuis: atque per ea quæ dedisti, enitor ascendere, ut dormitans in infirmitatibus meis exciter, atque incitter in uerbis tuis.

Viam iniquitatis amoue à me: & de lege tua miserere mei.

Ne lex factorum, per quam abundauit peccatum, ad iniquitates me adducat infirmum, Lege, inquit, tua, hoc est, lege fidei, miserere mei, ut per gratiam tuam faciam, quod per me ipsum implere non ualeo.

Viam ueritatis elegi, iudicia tua non sum oblitus.
Adhæsi testimonijs tuis domine: noli me confundere.

D

Viam ueritatis elegi, ubi currerem: iudicia tua non sum oblitus, ut currerem. Adhæsi testimonijs tuis, cum currerem domine, noli me confundere. Quomodo quò curro, pertẽdam: quò tendo, perueniam? Non enim uolentis, neque currentis: sed miserentis est Dei. Rom. 9.

Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.

Cordis dilatatio, ueritatis est dilectio: quod Dei munere fit, ut ei non timore pœnæ, sed amore iustitiæ seruiatur, cùm charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Ideo ergo iste uiam mandatorum Dei cucurrit, quia cor eius dominus dilatauit.

Legem pone mihi domine uiam iustificationum tuarum: & exquiram eam semper.

Qui uiam mandatorum Dei se dilatato corde cucurrisse iam dixerat, quomodo nunc legem sibi postulat poni? nisi quia proficiens loquitur, & donum Dei nouit esse quòd proficit: & ut magis magisq; proficiat, quod habet, à quo accepit, poscit augeri. Ergo & cucurrit hanc uiam, & currere cupit: exquisiuit, & exquirere amat, donec perfectum sit gaudium, sine periculo amittendi: quod ut apprehendat, semper exquirit.

A *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam: & custodiam illam in toto corde meo.*

Ergo altitudinem,& profunditatem legis, nemo penetrat,nisi qui intellectum acceperit. Cùm autem plenitudo legis sit dilectio, & ille legem intelligat,qui opera mandatorum eius exequitur:profecto hic illam sibi charitatem multiplicari petit, qua Deus proximusq; diligitur, ut huius duplicis mandati, de quo pendet tota lex, & prophetæ, perfectam habeat scientiam, eamq; toto corde custodiat.

Deduc me in semita mandatorum tuorum: quoniam ipsa uolui.

Quam prius dixit uiam iustificationum,eandem dicit semitam mandatorum: quia angusta uia est, quæ ducit ad uitam: Et cùm sit angusta, nisi dilatato corde non curritur. Sed quoniam adhuc iste proficit, & adhuc currit, ideo diuinum, quo deducatur, quærit auxilium.

Inclina cor meum in testimonia tua: & non in auaritiam.

Qui cor suum inclinari in aliquid petit, plenius & perfectius id, quàm uult, uelle desyderat. Volebat enim, cùm diceret, Deduc me in semita mandatorum tuorum, quoniam ipsa uolui: Et orat ut uelit, cùm dicit,
B Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam. Orat ergo, ut in ipsa uoluntate proficiat, & cor non in auaritiam, sed in testimonia Dei habeat inclinatum: quæ testimonia hoc insinuant, hoc docent, ut Deus gratis colatur. Quia si cor non in auaritiam sit declinatum, Deum non colimus, nisi propter Deum: ut Dei cultus ipse sit merces. Nam qui Deum ideo colit, ut aliquid aliud promereatur quàm ipsum: non quem colit,diligit: quia non ipsum, sed aliud concupiscit.

Auerte oculos meos ne uideant uanitatem: in uia tua uiuifica me.

Auerte, inquit, oculos meos, non corporeos: quorum intuitus etiam nolens multas uanitates uidet: sed cordis oculos, ne intenti sint uanitati, ne humanam gloriam quærant, nec cùm boni aliquid appetunt, non dilectione ipsius summi boni, sed amore præsentis utilitatis, aut laudis hoc faciant: ne postremò iustitiam suam ad se magis, quàm ad dominum referant: & in se magis, quàm in domino glorientur. Hanc ergo uanitatem perhorrescẽs, meritò adiecit, In uia tua uiuifica me, id est, in Christo, qui est contrarius uanitati: & non solùm uia est, sed & uita, & ueritas.

Statue seruo tuo eloquium tuum in timore tuo.

Stabile

Stabile fit eloquium Dei in corde nostro, cùm fit quod eodem iubetur eloquio,& auellitur, cùm contrarium opus agitur. Petit ergo seruus Dei, ut in eo confirmetur obedientia perseuerans, quæ de statu suo nullo malæ actionis moueatur impulsu: quod non nisi per spiritum, & castum timorem, quo cauetur, ne offendatur charitas; non quo metuitur, ne damnetur impietas. C

Amputa obprobrium meum quod suspicatus sum: quia iudicia tua suauia.

De occultis cordis alieni, temerè iudicare, peccatum est: & eum, cuius non uidentur opera, nisi bona, ex suspicione reprehendere. Hoc ergo obprobrium, hoc suspicionis uitium, hic, qui uult esse perfectus, à se optat auferri. Quoniam eorum quæ incognita homini sunt, solus Deus iustus inspector est: & iudicia eius suauia sunt, quoniam uera.

Ecce concupiui mandata tua: in tua iustitia uiuifica me.

Fecisti me, inquit, cupidum mandatorum tuorum, fac & efficacem: adiuua ut faciam quod commendas, dona ipse quod mandas. Quia in me unde morerer habui: unde autem uiuam, non inuenio nisi in te, qui homini tuo omnem æquitatem in tua & proximi dilectione posuisti. D

VAV.

Et ueniat super me misericordia tua domine: salutare tuum secundum eloquium tuum.

Quid poscit, nisi ut mandata, quæ concupit, per eius misericordiam faciat, quæ mandauit? Et quæ est misericordia, nisi Christus? Et secundum quod eloquium, nisi secundum uerbum promissionis, quo uocata sunt ea, quæ non erant, tanquam essent? Quia & quibus promissum est, etiam ipsi
1.Cor.15. promissi sunt, ut totum corpus Christi dicat, Gratia Dei sum, quod sum.

Et respondebo exprobrantibus mihi uerbum: quia speraui in sermonibus tuis.

Verbum exprobrantibus, an uerbum respondebo, ambiguum est: sed utrunque Christus sonat: ipsum enim nobis exprobrant, quibus est crucifixus, uel scandalū, uel stultitia: ignorantes, quia uerbum caro factum est, &
Ioan.1. habitauit in nobis. Quod uerbū in principio erat, & apud dominum erat. Sed & si ipsi exprobratores non uerbum exprobrent, quod eos latet: quia diuinitas eius ab eis nō cognoscitur, à quo infirmitas in cruce contēnitur: nos tamen omnibus exprobrātibus uerbū respōdeamus: Parum est enim in corde habere Christum, nisi quod corde credimus, ore profiteatur. Sed hoc ita demum fieri poterit, si in promissis Dei spes fuerit firma credentis.

Et ne

A *Et ne auferas à me uerbum ueritatis usque ualde:*

Hoc est, non ita conturber sub persecutionis flagello, ut à me penitus auferatur confeßio ueritatis: quia multi qui ad horam negando defecerunt, posteà pœnitendo reparati sunt, & palmam quam perdiderant, resumpserunt.

Quia in iudicijs tuis super speraui.

Id est, quia iudicia tua, quibus me corripis, & flagellas, non solum mihi non auferunt spem, sed etiam augent: dum quem diligis, corripis: flagellas autem omnem filium, quem recipis. Et ideo plerunque eum, qui sibi fortis uidebatur, infirmari sinis: ut præsumptio auferatur, & perseuerantiæ uirtus ex tua opitulatione reparetur. Hebr. 12.

Et custodiam legem tuam semper: in seculum, & in seculum seculi.

Quod dixit, semper, ne ad omne istius uitæ tempus tantummodo referretur, adiecit, Et in seculum seculi. Lex autem, quam perpetuo custodire desyderat, charitas accipienda est: quia ipsa est plenitudo legis: &
B cessantibus cæteris mandatis, sola permanet inæternum.

Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquisiui:
Et loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum: & non confundebar:
Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi ualde:
Et leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi: & exercebar in iustificationibus tuis.

Superiores uersus precationem habuerunt, qua adiutorium gratiæ postulatum est. Hi autem narrationem habent, qua ostenditur, quid gratia petita contulerit: tanquam diceret, hæc cùm orarem, exaudisti me, & ambulabam in latitudine, id est, ambulabam in charitate, quæ diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Hic est Rom. 5. ille spiritus, in quo clamamus, Abba pater. ac per hoc ipsius est, quòd mandata Dei exquisiuit: qui acceptus etiam hoc agit, ut largius accipiendus petendo, quærendo, pulsando quæratur. Per hunc itaque dilectionis spiritum, confirmatus est, ut in conspectu regum non confunderetur, ut in mandatis Dei cogitationem suam exerceat, & ualde eadem mandata diligeret. Eleuans manus suas, non ad terrena opera, sed ad cœlestia, exerceretur in iustificationibus Dei.

Memento

ZAIN. C

Memento uerbi tui ſeruo tuo : in quo mihi ſpem dediſti.
Hæc me conſolata eſt in humilitate mea : quia uerbum tuum uiuificauit me.

Cum dicitur Deo, memento, orantis deſyderium, quo promiſſum accelerari poſcit, oſtenditur : non Deus, quaſi id ei à recordatione exciderit, admonetur. Memento ergo, inquit, uerbi tui ſeruo tuo : hoc eſt, imple promiſſum tuum, in quo mihi ſpem dediſti : hoc eſt, in quo uerbo, me ſperare feciſti. Hæc me conſolata eſt in humilitate mea. Hæc, ſcilicet, ſpes mea, Iacob. 4. conſolata eſt, quæ data eſt humilibus, dicente ſcriptura, Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Quia uerbum tuum uiuificauit me: quia fecit me in te ſperare, & non deficere in tribulatione.

Superbi iniquè agebant uſque ualde : à lege autem tua non declinaui.

Superbos intelligi uoluit, perſecutores humilium, hoc eſt, impios perſecutores piorum : & ideo ſubiecit, A' lege autem tua non declinaui: quia hoc eum facere perſecutio compellebat.

Memor fui iudiciorum tuorum à ſeculo domine: & conſolatus ſum. D

A' ſeculo, inquit, ex quo genus hominum ſumpſit exordium, memor fui iudiciorum tuorum: & quia probaui, quòd omnes uiæ tuæ, miſericordia & ueritas : conſolationem accepi in auxilio gratiæ tuæ: & per ipſa quoque uaſa iræ, intellexi diuitias gloriæ tuæ, in uaſa miſericordiæ.

Tædium detinuit me à peccatoribus derelinquentibus legem tuam.
Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ, in loco incolatus mei.

Quamuis tædium pateretur à peccatoribus, cum quibus eum præſentis uitæ peregrinatio detinebat : tamen cantabiles ei erant iuſtificationes Dei, quia peregrinantem gratia ſolabatur.

Memor fui in nocte nominis tui domine : & cuſtodiui legem tuam.

Nox eſt in æternum. Nam mortalitatis nox in ſuperbis iniquè agentibus : nox in tædio peccatoribus derelinquentibus Dei legem: nox eſt poſtremò in loco peregrinationis huius, donec ueniat dominus, & illuminet abſcondita tenebrarum. In hac ergo nocte memor debet eſſe homo nominis domini, ut legem eius cuſtodiat, & hoc ipſum ad gloriam Dei referat:

A rat: quoniam adiutorium nostrum in nomine domini.

Hæc facta est mihi: quia iustificationes tuas exquisiui.

Iustitias utique tuas, quibus iustificas impium, non meas, quæ nō pium faciunt, sed superbum. Quæ est ergo, de qua dicit, Hæc facta est mihi? non enim lex intelligenda est, quam masculino genere Græcus enuntiat, cùm melius accipiatur de nocte: quia superius dixerat, Memor fui in nocte nominis tui: Quæ facta est mihi, id est, ut prodesset mihi: quoniam hæc ipsa humilitas, in loco peregrinationis huius, quæ merito nox intelligitur, prodest eis, qui salubriter exercentur in ea, ut discant non superbire, propter quod malum in istam noctem pulsus est homo.

THETH.

Portio mea domine, dixi, custodire legem tuam.

Nisi quia ita erit portio cuiusque dominus, cùm legem ipsius custodierit. Sed quia hoc non fit sine adiutorio Dei, quid præcipiat obtineri ostendit, adiungens,

Precatus sum faciem tuam in toto corde meo: miserere mei secundum eloquium tuum.

B Quid autem hac prece obtinuerit, & in quem profectum peruenerit, consequenter ostendit, dicens:

Cogitaui uias meas: & auerti pedes meos in testimonia tua.

Auerti, inquit, pedes meos à uijs, quæ mihi displicuerunt, ut irent in testimonia tua, atque ibi haberent uiam. Quòd autem hic positū est, Auerti pedes meos, in nonnullis legitur, auertisti pedes meos: ut hoc Dei potius gratiæ tribuatur: Sed siue hoc, siue illud sit, dubitari non potest diuini esse muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes nostros ab errore reuocamus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur.

Paratus sum, & non sum turbatus: ut custodiam mandata tua.

Confitetur humiliter, ad custodienda mandata, constantem se factum esse per gratiam.

Funes peccatorum circumplexi sunt me: & legis tuæ non sum oblitus.

Peccatorum, non ab eo quod sunt peccata declinatū est: sed ab eo quod sunt peccatores: Funes itaque peccatorū, impedimenta sunt inimicorū, siue

ſpiritalium,ſiue carnalium: qui ſanctos,pro Dei lege uſq; ad ſanguinem decertantes,quibuslibet difficultatibus implicare conantur: quibus eos à conſtantia patiendi,quaſi funibus ac reſtibus retrahebant. Sed ſi implicant corpus,non implicant animum: in quo iſte legis Dei non eſt oblitus,quia ſermo Dei non eſt alligatus. C

Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.

Media nox,profunda tribulatio eſt, quia non ſic affligebatur, ut ſurgere non ualeret.Surgebat autem, ut confiteretur Deo, iuſto iudicio eius datam peccatoribus poteſtatem,quia ſanctos Dei perſequerentur, quos adiuuat gratia Dei,ut huiuſmodi exercitia facerent clariores.

Particeps ſum ego omnium timentium te: & cuſtodientium mandata tua.

Vox iſta,propriè ipſius capitis intelligenda eſt: non enim efficeremur participes diuinitatis Chriſti,niſi ipſe mortalitatis noſtræ particeps fieret: per hanc autem participationē, eius nobis gratia ſubminiſtratur, ut caſtè timeamus Deum,& cuſtodiamus mandata eius. Ideo quippe Deus hominum immortalis mortalium ſuſcepit naturam, & participando ſuam fecit,ut granum caderet in terra,mortificatumq; multum fructū faceret. D

Miſericordia tua domine plena eſt terra:

In eo utique, quòd iuſtificatur impius,in cuius ineffabilis gratiæ ſcientia,ut proficiatur,adiungit:

Et iuſtificationes tuas doce me.

THETH.

Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo domine,ſecundum uerbum tuum.

Feciſti, inquit, domine ut me delectaret bonum, quod utiq; magnum eſt tuum donum. Secundū uerbum tuum, hoc eſt, ſecundum promiſſum tuum: ut firma ſit promiſsio omni ſemini.

Suauitatem, & eruditionem,& ſcientiam doce me, quia in mandatis tuis credidi.

Augeri ſibi iſta poſcit,& perficit ei gratia Dei, magis magisq; in omni dulcedine bonitatis. Docet autem Deus ſuauitatem,inſpirādo dilectionē: docet diſciplinā, temperando tribulationē:docet ſcientiā, inſinuando cognitionē:Quia mandatis tuis credidi,hoc eſt,credidi quòd tu illa mandaueris,qui donas ut fiant: nō autē homo,qui etſi poteſt notū facere præceptum

A ptum obedientiæ,tamē tribuere nō potest donū: Doce disciplinā,docēdo patientiā:doce scientiam,illuminando intelligentiā: quoniā te credidi illa mandasse,qui Deus es, & homini donas unde posit facere quod mādas.

Priusquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum ego custodiui.

Propter primum,inquit, delictum humiliatus sum: & ne rursum humiliarer,eloquium tuum custodiui: ita per gratiam tuam profuit experiri pœnam,ut adquirerem obedientiam.

Suauis es tu domine: & in tua suauitate doce me iustificationes tuas.

Vere uult facere iustificationes Dei, quando eas in eius suauitate uult discere.

Multiplicata est super me iniquitas superborum:

Eorum scilicet,quibus non profuit, quòd postea quàm deliquit, humiliata est humana natura.

B *Ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.*

Quantalibet,inquit,abundet iniquitas, non refrigescet in me charitas: ad hoc enim mandata tua amans scrutor, ut perfectius ea faciendo cognoscam.

Coagulatum est,sicut lac cor eorum: ego autem legem tuam meditatus sum.

Cor,inquit,superborum obduratum est: ego autem legis tuæ meditatione didici,quia superbis resistis,& humilibus das gratiam.

Bonum est mihi,quòd humiliasti me: ut discam iustificationes tuas.

Pœnam conuertisti mihi ad disciplinam, & humiliationem ad eruditionem:quia iustificationes tuas ita cupio nosse, ut faciam. Non enim est uera scientia boni,nisi ad hoc cognoscatur,ut agatur.

Bonum mihi lex oris tui,super milia auri & argenti.

Vt amplius diligat charitas legem Dei, quàm diligit cupiditas milia auri & argenti.

IOD. C

Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me:

Manus domini, sunt potestas Dei, quæ efficit opera uoluntatis suæ, ut nihil de Deo, per nuncupationem manus corporeæ, cogitemus. Quòd si pluralis numerus mouet, accipiantur manus Dei uirtus, sapientia, quod utrunque unus est Christus, qui & brachium domini dicitur. Accipiãtur postremò manus Dei, filius & spiritus sanctus, qui & spiritus sanctus cooperator est patris & filij, tantum ut in natura incommutabilis deitatis nulla forma corporea sentiatur. Quod ergo ait, Manus tuæ fecerunt me, & finxerunt, siue plasmauerunt me: Non incongruè ita discernitur, ut fecerunt, ad animam: finxerunt uero, ad corpus pertineat. Licet soleant hæc indifferenter posita reperiri. Hoc autem opus Dei, non solùm in primi hominis conditione præcessit, in quo omnes seminali ratione sunt conditi: sed etiam in quotidiana singulorum hominum creatione perficitur: quia si operatoria illa Dei potentia, ab hoc se opere contineret, cuncta deficerent.

Da mihi intellectum, ut discam mandata tua.

Nunquid ita condita est humana natura, ut careat intellectu? Quid igitur sibi dari postulat, quod accepit, nisi quòd peccati uitio ipsum primitus rationale corruptum est, & gratiæ munere formandum est? Non D enim sufficit naturæ, quod ei remansit, nisi recipiat à reparatore quod perdidit. Dominus ergo IESVS in hoc Psalmo per prophetam tanquã sibi petiuit intellectũ dari à Deo, corpori suo, quod est ecclesia: Cum ipso enim uita corporis eius, hoc est, populi eius, abscondita est in domino, & ipse in eodem corpore suo indigentiam patitur, & per id quod membris suis est necessarium.

Qui timent te uidebunt me, & iocundabuntur: quoniam in uerba tua speraui.

Præsens uita sanctorum, timoris est, & laboris: sed habent spem lætitię & iocunditatis æternæ. Quia ergo adhuc timet ecclesia, & nondum se uidet in eo regno, ubi secura gaudebit, ipsa est quæ uidebitur: quoniam inter præsentes tentationes, in promissa Dei sperare non deficit.

Cognoui domine quoniam iusta iudicia tua: & in ueritate tua humilias me.

Fiat autem misericordia tua, ut consoletur me: secundum eloquium tuum seruo tuo.

Quamuis graue iugum sit super filios Adam, quo creatura humana deprimitur: cognoui tamen, quòd iusta sunt iudicia tua, & secundũ ueritatem

tatem

A tatem humiliatus est homo. Fiat ergo misericordia tua secundum promissionem tuam, de præsentibus muneribus accipiat mortalis uita solatium, & futura æternitatis bona patienter expectet.

Veniant mihi miserationes tuæ, & uiuam:

Tunc uere uiuam, quando non timebo ne moriar. Ipsa est enim uera uita, quæ sine ullo additamento dicitur, quasi aliud ibi non sit uiuere, quàm sine ullo fine, & sine ulla miseria uiuere.

Quia lex tua meditatio mea est.

Hæc meditatio, nisi esset in fide, quæ per dilectionem operatur, ad uitam non perueniret æternã. Non ergo utiliter meditatur legem Dei, qui laborat, ut actio teneat, quod actione non implet.

Confundantur superbi, quia iniustè iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.

Quamuis sæuiant superbi, & iniquitatem operentur in sanctos: charitas tamen piorum non refrigescit, & à mandatorum Dei exercitatione non desinit.

B *Conuertantur ad me qui timent te: & qui cognoscunt testimonia tua.*

Non est quisquam hominum, qui possit hoc dicere, præter illum, qui cùm sit Deus uniuersitatis, naturam sibi uniuit humanam: ad quem conuertentur timentes dominum, & cognoscentes compleri testimonia Dei, quæ de illo per prophetas tantò ante prædicta sunt.

Fiat cor meum immaculatum in tuis iustificationibus: ut non confundar.

Redit ad uocem corporis, hoc est, membrorum suorum, quorum cor sit immaculatum per ipsum corporis caput, hoc est, per gratiã Dei, in generationis lauacro, ubi abluta sunt omnia peccata præterita, in adiutorio spiritus, quo concupiscimus aduersus carnem, ne eius cupiditate uincamur in dominicæ orationis effectu, qua dicimus, Dimitte nobis debita *Matth. 6.* nostra. Ita donata nobis regeneratione, fusa precatione, fit cor nostrum immaculatum, ut non confundamur, quia & hoc ad iustificationes Dei pertinet, quando inter alia eius mandata præcipitur, Dimittite, & dimittetur uobis: date, & dabitur uobis. *Luce 6.*

CAPH.

Defecit in salutare tuum anima mea: & in uerbum tuum semper speraui.

Non ait, defecit salutari tuo: sed defecit in salutare tuum, hoc est, ad sa- C
lutare tuum, anima mea. Bonus est ergo iste defectus: indicat enim deside-
rium boni, nondum quidem adepti, sed auidissimè cõcupiti: quo deside-
rio inflammati sunt omnium temporum sancti. Quia sicut nunquam de-
fuerunt, qui incarnationis Christi aduentum desiderarent: ita postquàm
ascendit in coelos, non desunt, qui manifestationem ipsius, qua ad iudi-
candos uiuos & mortuos uenturus est, concupiscant. Defecit ergo in sa-
lutare tuum anima mea, & in uerbum tuum supersperaui. Hæc enim spes
promissi tui, fecit ut, quod nondum uideo, & uehementer desiderem, &
patienter expectem.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, quando consolaberis me?

In oculis interioribus, idẽ defectus desiderij eius ad Dei eloquia, id est, promissa, tendentis: cui speratarum consolationum longæ sunt moræ. Quia etiam quod subuenienti breue est, longum uidetur optanti.

Quoniam factus sum sicut uter in pruina: iustificationes tuas non sum oblitus.

Per utrem, carnem mortis huius: per pruinam uerò, coeleste beneficiũ
uult intelligi, quo carnales concupiscentiæ, uelut frigore cohibente torpe- D
scant: & hinc fit, ut iustificationes Dei de memoria non labantur.

Quot sunt dies serui tui: quando facies de persequentibus me iudicium?

Et in Apocalypsi est ista uox martyrum, & discipuli ad dominum indicari sibi diem finis exposcunt. Sed illis patientia indicitur, & istis constitutio secreta non panditur. In his ergo Psalmi uerbis, bene intelligitur hæc ipsa ecclesiæ inquisitio prophetata.

Narrauerunt mihi iniqui delectationes: sed non ut lex tua domine.

Fabulas uanarum opinionum delectabiles, eloquij arte compositas, ab iniquis sibi dicit esse narratas: sed nihil se in eis utile reperisse, sicut in lege domini, in qua est omnis ueritas.

Iniustè persecuti sunt me, adiuua me.

Mendaciorum, inquit, fabulis, ueritatis mandata præposui, & ob hoc me iniustè persecuti sunt falsitatis amatores. Ergo adiuua me, ut pos-

sim

A sim usque ad mortem pro ueritate certare.

Paulominus consummauerunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.

Strage martyrum facta, dum confitentur, & prædicant ueritatem, quam à te adiutus non deserui.

Secundum misericordiam tuam uiuifica me: & custodiam testimonia oris tui.

Martyres enim, quia misericordia Dei adiuti, & uiuificati sunt, ueritatem, quæ uita est, non negantes, pro eadem moriendo, uicerunt.

LAMED.

Inæternum domine permanet uerbum tuum in cœlo.

Permanet uerbum in angelis custodientibus sine defectione æternam militiam.

In generatione & generatione ueritas tua: fundasti terram, & permanet.

B Post cœlestem Hierusalem, respexit & filiam eius ecclesiam, quæ in hoc mundo conuersatur, & dixit, In generatione & generatione ueritas tua. Hac autem repetitione uel omnes generationes significauit, à quibus non defuit ueritas Dei: uel duas intelligi uoluit, unam scilicet ad legem & prophetas, alteram uerò ad Euangelium pertinentem, supra fundamentum æternum, quod est Christus: & terra hæc permanet, quæ tali fundamento constabilita, non inclinatur in seculum seculi.

Ordinatione tua perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi.

Omnia, scilicet, de quibus loquebatur, & quæ ad æternum pertinent diem.

Nisi quia lex tua meditatio mea est: forsitan perissem in humilitate mea.

Lex ista, fidei est, quæ per dilectionem operatur: in cuius meditatione permanens, auxilium gratiæ promeretur, ut in tribulationum humilitate non pereat.

Inæternum non obliuiscar iustificationum tuarum: quoniam in ipsis uiuificasti me.

Ecce unde factum est, ut non periret in humilitate sua: quoniam unde C est iustificatus, inde est uiuificatus.

Tuus sum ego, saluum me fac domine: quoniam iustificationes tuas exquisiui.

Non uoluntates meas exquisiui, quibus fui meus: sed iustificationes tuas, ut essem iam tuus.

Me expectauerunt peccatores, ut perderent me: testimonia tua intellexi.

Non hic morte corporis perire metuebat, quæ erat pro ueritate subeũda. Expectabant ergo peccatores, ut eis consentiret ad mala, tunc enim eum perderent. Sed ideo non præualuerunt, quia testimonia Dei intellexit: id est, quia ueritatem confitens, etiam si oppeteret, non periret.

Omnis consummationis uidi finem: latum mandatum tuum ualde.

Qui intellexit testimonia, & sciuit sibi usque ad mortem pro ueritate certandum, non ignorauit omnem exitum piorum quàm beatus finis exceperit. Mandatum autem Dei ualde latum, charitas intelligenda est, qua diligi Deus iubetur, & proximus. quo quid esse latius potest, cùm ibi pendeat tota lex, & prophetæ? D

MEM.

Quomodo dilexi legem tuam domine: tota die meditatio mea est.

Sic, inquit, dilexi legem fidei, quæ per dilectionem operatur, ut tota die, id est, omni tempore, meditatio mea sit.

Super inimicos meos sapere me fecisti mandato tuo: quoniam inæternum mihi est.

Rom. 10. Finis legis Christus est, ad iustitiam omni credenti, ut iustificetur gratis per gratiam ipsius, in quem inimici huius non crediderunt. Hic autem, qui iustitiam non suam quæsiuit, sed quæ ex Deo est, quem supra inimicos suos sapere Deus fecit, ipsum mandatum sibi inuenit inæternum, quoniam non temporalia pro eo præmia concupiuit. Diligentis enim remuneratio est, ipse dilectus.

Super omnes docentes me intellexi:

Super omnes doctores intellexit, quem pater docuit: quod ex persona uerbi difficile intelligitur, nisi quis utcunque capere ualeat, id esse filium à patre doctum esse, quod genitum. A quo enim ei est esse, ab ipso & simul doctum

A doctum esse. Ex persona uerò hominis, ubi formam serui accepit, facilius intelligitur à patre didicisse, quæ dixit. In qua forma puerum putauerunt homines maioris ætatis docendum. Sed ille quem pater docuit, ulterioris erat intelligentiæ, quàm docentes.

Quia testimonia tua meditatio mea est.

Ideo super omnes docentes se intelligebat, quia testimonia Dei meditabatur, quæ de se prænunciata, ipse melius nouerat, & implebat.

Super senes intellexi: quia mandata tua exquisiui.

Mandata tua, non mandata hominum: mandata tua, non mandata seniorum: qui uolentes esse legis doctores, non intelligunt, neque quæ dicunt, neque de quibus affirmant. 1. Timoth. 1.

Ab omni uia mala prohibui pedes meos: ut custodiam uerba tua.

Membrorum est uox ista, non capitis. Non enim ipse saluator, corporis nostri ullis concupiscentijs pulsabatur, ut ei necesse esset pedes suos à uia malignæ cupiditatis inhibere. Nostros ergo motus, nostros cohibet appetitus, ut in praua itinera noxijs desyderijs non trahamur.

B *A iudicijs tuis non declinaui: quoniam tu legem posuisti mihi.*

Perseueranter, inquit, iudicijs tuis credidi: quia tu mihi legem in corde posuisti, tanquam digito tuo scribens: ut eam, non tanquam seruus sine amore metuerem, sed tanquam filius casto timore diligerem.

Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua: super mel & fauum ori meo.

Hæc est illa suauitas, quam dominus donat: ut terra nostra det fructum suum: & ut bonum uere benè, id est, non mali carnalis formidine, sed boni spiritalis delectatione faciamus.

A mandatis tuis intellexi:

Spiritalium membrorum Christi uox ista est. Hoc enim rectè dicit corpus Christi in eis, quibus mandata seruantibus, propter ipsam custodiam mandatorum præbetur uberior doctrina sapientiæ.

Propterea odio habui omnem uiam iniquitatis.

Necesse est enim, ut oderit omnem iniquitatem amor iustitiæ, qui augetur & inflammatur. Ideoque obtemperat Deo, & in mandatis eius intelligit.

Lucerna

Lucerna pedibus meis uerbum tuum domine: & lumen semitis meis. C

Verbum, hîc intelligendum est, non illud, quod est æquale gignenti, & quod est uerum lumen, illuminans omnem hominem: sed uerbum quod factum est ad prophetas, uel quod prædicatũ est per Apostolos: uerbum
Rom. 10. scilicet Christi, de quo scriptum est: Fides ex auditu, auditus autem per uerbum Christi. Nam & uerbum propheticum lucernæ comparans apo-
2. Pet. 1. stolus Petrus, Habemus, inquit, certiorem propheticum sermonem, cui benefacitis, intendentes uelut lucernæ in obscuro loco. Quod itaq; hic ait, Lucerna pedibus meis uerbum tuum domine, & lumen semitis meis: Verbum est, quod scripturis sanctis omnibus continetur. Non itaque sermo deitas, sed sermo deitatis.

Iuraui, & statui custodire omnia iudicia iustitiæ tuæ.

Hoc appellauit iuramento, quod statuit præter sacramentum: quia ita debet esse mens fixa in custodiendis iudicijs iustitiæ Dei, ut sit omnino pro ratione quod statuit.

Humiliatus sum usque ualde domine, uiuifica me secundum uerbum tuum.

Pro eo quod iurauit, & statuit custodire iudicia iustitiæ Dei, persecutionem maximam passus est: & ne in tanta humiliatione deficeret, uiuificari se, secundum uerbum promissionis, exposcit. Quia in nocte tribulationum lucerna est pedibus, & lumen semitis, ipsa promissio. D

Voluntaria oris mei fac beneplacita domine, & iudicia tua doce me.

Voluntaria oris, quæ adprobari petit, sacrificia sunt laudis, confessione charitatis, non timore necessitatis oblata. Iudicia autem Dei doceri se cupit, non quia ignorat, sed ut proficiat.

Anima mea in manibus tuis semper: & legem tuam non sum oblitus.

Ita dictum, tanquam ad non obliuiscendam legem Dei, memoria eius, illius manibus adiuuetur.

Posuerunt peccatores laqueum mibi, & à mandatis tuis non erraui.

Vnde hoc, nisi quia anima eius, in manibus Dei semper est?

Hæred

A *Hæreditatem adquisiui testimonia tua inæternum, quia exultatio cordis mei sunt.*

Vt testis, inquit, tuus esse cuperem, tu donasti: & ut pro ueritate mori non metuerem, tuæ hæreditatis, tuæ est gratiæ: quod mihi donum inæternum est, quia non est in eo gloria temporalis, propter quod etsi corpore afflictus sum, tamen corde lætatus sum.

Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas inæternum, propter retributionem.

Qui dicit, inclinaui cor meum, ipse iam dixerat, Inclina cor meum in testimonia tua: ut intelligamus simul hoc esse & diuini muneris, & propriæ uoluntatis. Faciat autem hoc propter retributionem, ut quia iustificationes Dei dilectione sectatur, inæternum mereatur habere, quod diligit.

SAMECH.

Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.

Qui legem Dei diligit, probat se in hominibus iniquis id, quod contra legem est, odisse, non homines.

B *Adiutor meus & susceptor meus es tu: & in uerbum tuum supersperaui.*

Adiutor & susceptor, ad mala euadenda.

Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei.

Mandata Dei scrutari, nisi quieta mens, non potest: ut ergo exerceatur hoc studium, abigenda sunt studia malignorum.

Suscipe me secundum eloquium tuum, & uiuam: & non confundas me ab expectatione mea.

Poscit magis magisque suscipi à domino is, qui sperat intentus: ut tum demum, cùm illa adeptus fuerit, se sciat esse uicturum: quia præsentia morti sunt similiora, quàm uitæ.

Adiuua me, & saluus ero: & meditabor in iustificationibus tuis semper.

Vt uiuam, ut non confundar, ut in tuis iustificationibus semper exercear, Adiuua me, inquit, & saluus ero: quia ad promissiones tuas, nisi tuo

tuo auxilio, non uenitur. C

Ad nihilum deduxisti omnes discedentes à iustificationibus tuis, quoniam iniusta cogitatio eorum.

Omnia opera, uel bona, uel mala, à cogitatione procedunt: qui ergo corde iniquus est, ad nihilum deducitur, qui à Dei iustificationibus iniusta cogitatione discedit.

Præuaricatores existimaui omnes peccatores terræ, ideo dilexi testimonia tua.

Cùm præuaricator dici non possit, nisi qui legis mandata transgreditur: quæritur, quomodo omnes peccatores terræ, præuaricatores debeant existimari? quorum multos cõstat sine lege peccatores. & inuenitur omnes quidem gentes, præter populum Israël, extra legem fuisse: sed omnem hominem teneri lege naturæ: ut quod pati non uult, sciat alij non esse faciendum. Quamuis ergo multo amplius præuaricator sit, qui non solùm naturalis, sed etiam diuinæ transgressor est legis: nullus tamen, nisi transgresione, peccator est: quia etiam quem non condemnat litera, arguit conscientia. Inter hos etiam paruuli congruè deputantur, propter originalis uincula peccati. Quia etiam ipsi in similitudine præuaricatoris Adæ, ad illam præuaricationem pertinere monstrantur, quæ in paradiso D prima commissa est. Cùm ergo omnes peccassent, & egerent gloria Dei, nec cuiquam in sua iustitia salus esset, restabat, ut per gratiam saluatoris, Rom. 3. donata à Deo fidei iustificatio, subueniret. Vnde ait Apostolus: Per legem cognitio peccati. Cognitio, non abolitio. Nunc autem sine lege, inquit, iustitia Dei manifestata est, testificata per legem, & prophetas. Meritò igitur adiecit: Propterea dilexi testimonia tua: tanquam diceret: Quoniam lex, siue in paradiso data, siue naturaliter insita, siue literis promulgata, præuaricatores fecit omnes peccatores terræ: propterea dilexi testimonia tua, quæ sunt in lege tua, de gratia tua.

Confige clauis à timore tuo carnes meas:

Gal. 6. Quid in his uerbis uult intelligi, nisi quod ait Apostolus: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mun Gal. 2. dus crucifixus est, & ego mundo? Et iterum: Christo confixus sum cruci. Viuo autem iam non ego: uiuit uerò Christus in me.

A iudicijs enim tuis timui.

Si iam timuit, uel timebat, cur adhuc, ut à timore suo Deus crucifigeret carnes eius, orabat, nisi quia addi sibi uolebat timorem, qui sufficeret mortific

A mortificandis concupiſcentijs,affectibusq́ carnalibus? Aliter quoq; ita intelligitur: Confige clauis à timore tuo carnes meas,à iudicijs enim tuis timui: hoc eſt,à timore tuo caſto,qui permanet in ſeculum ſeculi, carnalia à me deſideria comprimantur, à quibus me iudiciorum tuorum formido frenauit. Cum ergo uoluntatem tuam facere, & rectè uiuere, non metu pœnæ, ſed iuſtitiæ amore deſiderem: da hunc ergo caſtum & liberum timorem,ad quem petendum me tanquam pędagogus legis ille perduxit,quo à iudicijs tuis timui.

AIN.

Feci iudicium & iuſtitiam,non tradas me nocentibus me.

Quiſquis timore Dei caſto, crucifixas habet carnes ſuas, & nulla carnali corruptus illecebra facit iudicium, opusq́ iuſtitiæ, orare debet, ne aduerſantibus tradatur, id eſt, ne timendo perpeti mala, ad facienda mala perſequentibus cedat. A' quo enim accipit uictoriam, ne concupiſcentiæ uoluptate ſuperetur, ab illo etiam robur patientiæ, ne dolore frangatur. Quoniam de quo dicitur, Dominus dedit ſuauitatem; de illo etiam dicitur, Ab illo eſt patientia mea.

Suſcipe ſeruum tuum in bonum,ut non calumnientur mihi ſuperbi.

B Id eſt, ne illi impellant ut cadam in malum, tu ſuſcipe in bonum. Illi calumniantur in ſuperbia:tu humilitate defende, & non mihi noceant calumniæ ſuperborum.

Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum, & in eloquium iuſtitiæ tuæ.

In eloquium iuſtitiæ Dei, hoc eſt, in promiſsionem Chriſti, defeciſſe dicit oculos cordis ſui: Non quia intentio deſiderantis animi, uicta ſuccubuerit: ſed quia in expectationem gratiæ Dei,toto mentis ardore tranſierit. Iuſtitia autem Dei,Chriſtus eſt,qui iuſtos facit.

Fac cum ſeruo tuo ſecundum miſericordiam tuam:

Non utique ſecundum iuſtitiam meam.

Iuſtificationes tuas doce me.

Illas proculdubio, quibus facit iuſtos, non ipſe ſe.

Seruus tuus ſum ego:

Neq; enim bene mihi ceſsit, quando eſſe uolui liber meus, non ſeruus tuus.

Da mihi intellectum, ut discam testimonia tua. C

Nemo tam intelligens, nemo tam doctus est, qui hac postulatione non egeat. Non enim horum donorum ita ulla augmenta sufficiunt, ut non semper supersit, quod & intelligi desideretur, & sciri.

Tempus faciendi domino, dissipauerunt superbi legem tuam.

Quid est, dissipauerunt legem tuam, si præuaricationis iniquitate, integritatem eius non custodierunt? Dissipata ergo lege, tempus fuit, ut per
Rom. 5. unigenitum filium Dei, misericordia mitteretur. Lex enim subintrauit, ut abundaret delictum, quo delicto lex dissipata est: & oportuno iam tempore Christus aduenit, ut ubi abundauit delictũ, superabundaret gratia.

Ideo dilexi mandata tua super aurum & topazion.

Id agit gratia, ut mandata Dei dilectione impleantur, quæ impleri timore non poterant. Diliguntur autem super aurum & topazion, id est, super ea, quæ pretiosa habentur in terra, quando in obseruantia mandatorum, non aliquod temporale præmium quæritur, sed ipsa iustitia: quia nihil est melius eo bono, quo ipse homo fit bonus.

Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: D

Quia illis rectis, ut etiam ipse rectus essem, dilectione cohærebam.

Omnem uiam iniquitatis odio habui.

Vnde enim fieri poterat, ut iniquam uiam non odisset, diligẽs rectum.

PHE.

Mirabilia testimonia tua: propter hoc scrutata est ea anima mea.

Omnia quidem opera Dei, testimonia sunt maiestatis, & bonitatis eius: nihilq; eorum est, quod nõ stupendum sit, atq; mirandum. Sed multa mirabilia sunt testimonia legis ipsius: quorum utilitas & iustitia altissimè latet, cùm quæritur, quare data sit lex quæ uiuificare nõ possit, & ex qua nõ iustificaretur omnis caro coram Deo. Meritò ergo hanc altitudinẽ scrutatus est, qui intellexit per legis difficultates, id egisse misericordiã Dei, ut qui legem implere non poterant, conuerterentur ad gratiam: sed diuina ope adprehenderent, quod proprijs uiribus adsequi non ualebant.

Manifestatio uerborum tuorum illuminat, & intelligere facit paruulos.

Gal. 3. Scrutãdo hoc, intellexit hic paruulos, quod & apostolus Paulus, ideo datam

A datam legem, quę uiuificare nō posset, quia conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide IESV Christi daretur credentibus. Huius ergo mysterij manifestatio, illuminat, & intelligere facit paruulos. Non enim hoc secretum gratiæ, nisi humilibus infirmisq́ue reserat: qui cōfugiētes ad adiutorium Dei, uiribus suis, se iustificari non posse profitentur.

Os meum aperui, & abstraxi spiritum, quoniam mandata tua desiderabam.

Desyderabat mandata diuina, ut faceret, sed non erat unde faceret infirmus fortia, paruulus magna. Aperuit os confitens, quòd facere per se ipse non posset.

Respice in me, & miserere mei, secundum iudicium diligentium nomen tuum.

Id est, secundum iudiciū quod in eos fecisti, qui diligunt nomen tuum: quoniam, ut diligerent te, prius dilexisti eos.

Gressus meos diriges secundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniustitia.

Quid orat, nisi ut Dei præcepta, quæ imponit iubendo, impleri faciat adiuuando?

B *Redime me à calumnijs hominum, & custodiam mandata tua.*

Tu, inquit, age infuso spiritu tuo, ne me calumniæ hominum terroribus uincant, & à tuis mandatis, ad sua malefacta traducant. Si enim me hoc modo redemeris, ut mihi inter persecutiones calumniantium constantiam dones, atque patientiam, custodiam mandata tua.

Faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me iustificationes tuas.

Præsentiam, inquit, tuam, subueniendo, & opitulando manifesta: & ita me iustificationes tuas doce, ut mihi eas didicisse, fecisse sit.

Exitus aquarum descenderunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.

Descensio oculorum, per effusionem lachrymarum, humilitatem indicat pœnitentis. Cur autem non custodita lege sic fletur, nisi ut impleretur gratia, quæ cōfitentis delet iniquitatem, & credentis adiuuat uolūtatem?

ZADIC.

Iustus es domine, & rectum iudicium tuum.

Mandasti iustitiam testimonia tua, & ueritatem nimis.

Idem affectus pœnitentiæ perseuerat, reddens rationem, cur multum C
flere debuerit: quia nisi ipse se condemnaret, rectissimè plecteretur. Magna est ergo in utroque iustitia Dei, rectumque iudicium, quo & pœna peccatori decernitur, & pœnitenti iustificatio non negatur.

Tabefecit me zelus domus tuæ: quia obliti sunt uerba tua inimici mei.

Zelus iste, amoris est, non liuoris: sancta enim æmulatione inimicos suos uult esse correctos: dolens & tabescens, quòd obliti sint uerborum Dei.

Ignitum uerbum tuum ualde, & seruus tuus dilexit illud.

Diligens diuinum eloquium, ea charitate feruebat, ut ad amorem Dei, etiam inimicos suos uellet accendi.

Iunior ego sum & contemptus, iustificationes tuas non sum oblitus.

Bene hic duorum populorum intelligitur significatio, qui etiam in Re-
Rom. 9. beccæ utero luctabantur: quando non ex operibus, sed ex uocãte dictum est: Maior seruiet minori. Contemptum ergo se dicit hîc iunior, & ideo factus est maior. Quia ignobilia & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt tanquam sint, & quæ sunt, euacuantur: id est, ut superbi destruã- D
tur, & humiles iustificentur.

Iustitia tua iustitia inæternum, & lex tua ueritas.

Quomodo enim non ueritas lex, per quam cognitio peccati, & quæ testimonium perhibet iustitiæ Dei?

Tribulatio & necessitas inuenerunt me: mandata autem tua meditatio mea est.

Sæuitia inimicorum, infert huic iuniori tribulationem, sed non adimit charitatem: Meditatio enim ipsius mandata sunt Dei, ex quibus his qui eum oderunt, dilectionem rependit.

Iustitia testimonia tua inæternum, intellectum da mihi, & uiuam.

Intellectum poscit iunior hic, qui supra seniores se intellexit, in tribulatione, in necessitate: ut intelligat quàm sit contemnendum, quod & auferri potest, qui propter æternam iustitiam Dei, temporalia negligens, uitam sperat æternam.

COPH.

Clamaui in toto corde meo, exaudi me domine, iustificationes tuas exquiram.

Clamor

A Clamor cordis, est silenti sono uocis magna cogitationis intentio: qua ad hoc iste toto corde clamauit, & hoc sibi desiderauit à domino exaudiente præstari, ut iustificationes eius exquirat: quas non solùm scientia comprehendat, sed etiam opere exerceat.

Clamaui ad te, saluum me fac, & custodiam testimonia tua.

Salus animæ facit, ut pro custodiendis testimonijs Dei, uita corporis contemnatur: etsi hoc flagitat extrema tentatio, ut usque ad mortem pro ueritate certetur.

Praueni intempesta nocte, & clamaui, & in uerbis tuis speraui.

Nox intempesta, tempus est noctis mediæ, rebus quæ per diem aguntur incongruum: quo significatur quoddam obstaculum præsentis seculi, quod in comparatione futuri seculi nox uocatur: & quo promissiones Dei, donec æternæ lucis ueniat manifestatio, differuntur. In hoc ergo tempore intempestæ noctis clamat ad dominum, tempus retributionis desiderio suo præuenit, qui promissa Dei uigilanter exposcit. Quod etiam ad illa referri tempora potest, quibus ecclesia, propheticis uocibus Christi, postulabat aduentum, & sperabat implendum, ut in semine Abrahæ benedicerentur omnes gentes.

B

Præuenerunt ad matutinum, ut meditarer eloquia tua.

Matutinum factum est ecclesiæ, quando qui sedebant in tenebris, & in umbra mortis, lux orta est eis. Quod matutinum spes credētium præbebat. Et meditabatur eloquia Dei, quæ in lege ac prophetis, hanc lucem prænuntiabant.

Vocem meam exaudi domine secundum misericordiam tuam: & secundum iudicium tuum uiuifica me.

Prius enim Deus, secūdum misericordiam, aufert à peccatoribus pœnam: eisq; posteà iustis, secundum iudiciū, dabit uitam: quia nō frustra illi hoc ordine dicitur: Misericordiam & iudicium cantabo tibi domine.

Adpropinquauerunt persequentes me iniquitate, à lege autem tua longè facti sunt.

Tunc adpropinquant, qui persequuntur, quando usq; ad carnem cruciandam, perimendam'ue pereunt. Sed quantò uiciniores sunt persequēdis istis, tantò longinquiores sunt à lege iustitiæ.

Propè es tu domine, & omnes uiæ tuæ ueritas.

Etiam in tribulationibus suis, quòd eas non immerito patiantur, Deo

tribuere ueritatem, sanctorum est usitata confessio. Sed quæri potest, quomodo hoc dictum sit: Omnes uiæ tuæ ueritas, cùm in alio Psalmo legatur: Vniuersæ uiæ domini misericordia, & ueritas. Si ergo omnes homines consideremus, quorum alij misericordia liberãtur, alij à ueritate damnãtur, Vniuersæ uiæ domini misericordia, & ueritas. Si autem solos sanctos intueamur, non discernuntur hæ uiæ: Indiuidua enim ibi est & à misericordia ueritas, & à ueritate misericordia: quia beatitudo sanctorum est, & de munere misericordiæ, & de retributione iustitiæ. C

Ab initio cognoui de testimonijs tuis, quia in æternum fundasti ea.

Quæ sunt ista testimonia, nisi quibus testatus est Deus, daturum se regnum suis filijs sempiternum? & ideo ipsa testimonia in æternum fundata, quia id quod promisit, æternum est: qui, quia fundamentũ promissionis est Christus, in quo huius spei testimonia uera sunt, quæ hic ab initio cognouisse se dicit, quia uerbis ecclesiæ loquitur, quæ ab initio humani generis exorta, nullis generationibus defuit.

RES.

Vide humilitatem meam, & eripe me, quia legem tuam non sum oblitus.

Vox ista totius ecclesiæ est, & omnium membrorum corporis Christi. D
Hoc autem loco, ubi ad liberandam humilitatem dominus inuocatur, nullam Dei legem conuenientius intelligimus, quàm illam qua immobiliter fixum est, ut omnis qui se exaltat humilietur, & omnis qui se humiliat, exaltetur. Superbus ergo malis, ut humilietur, innectitur: Humilis à malis, ut exaltetur, eripitur.

Iudica iudicium meum & redime me: propter eloquium tuum uiuifica me.

Eiusdem sensus repetitio est: hoc est enim, iudica iudiciũ meum, quod, uide humilitatem meam: & hoc est, redime me, quod, eripe me. Nec aliud sonat, propter eloquium tuum, quàm illud, Quia legem tuam non sum oblitus. Tantundem est uiuificari humilem, quantùm & exaltari: quia sanctorum exaltatio, uita æterna est.

Longè à peccatoribus salus: quia iustificationes tuas non exquisierunt.

Longè est à superbis salus, quia non exquisierunt gratiam tuã, quæ sola iustificat, & non de te tibi, sed de se sibi, placere uoluerunt.

Miserationes tuæ multæ domine:

Etiam

A Etiam hoc, inquit, quod exquirimus ad iustificationes tuas, pertinet ad miserationes tuas.

Secundum iudicium tuum uiuifica me.

Noui enim, quia & iudicium tuum, sine miseratione non erit super me.

Multi persequentes me, & tribulantes me: à testimonijs tuis non declinaui.

Vox ista est ecclesiæ in martyribus suis, qui inter tormenta, & multiplicata supplicia, persequentibus non cesserunt, & quorum exemplis gloriosissimis totus mundus illustris est: qui tamen uictoriam suam non sibi, sed Deo tribuunt, dicentes in alio Psalmo: Nisi quòd dominus erat in nobis, forsitan uiuos deglutissent nos. Psalm. 123.

Vidi non seruantes pactum, & tabescebam:

Qui sunt qui pactum non seruauerunt, nisi qui tribulationes multorum persequentium non ferentes, à Dei testimonijs declinauerunt? Hos ergo, inquit, cùm uiderem, tabescebam, dolens eos à tanta gloria decidisse.

B *Quia eloquia tua non custodierunt.*

Hoc erat pactum non perseuerare, promissa Dei perdere.

Vide quoniam mandata tua dilexi:

Ipsa est fructuosa tolerantia, quæ sæuitiam persequentium dilectione suscipit mandatorum.

Domine in tua misericordia uiuifica me.

Cuius misericordia obtinuit palmã, eius misericordia poscit & uitam.

Principium uerborum tuorum ueritas, & inæternum omnia iudicia iustitiæ tuæ.

Iudicia iustitiæ Dei sunt, quibus prænuntiatur inæternum uita iusto, pœna impio.

SIN.

Principes persecuti sunt me gratis: & à uerbis tuis formidauit cor meum.

Terreni reges ecclesiam Christi gratis persecuti sunt, quia nullam cau-

ſam perſecutionis habuerunt, cùm eos Chriſtiani in nullo lęderent, & ipſi C Chriſtianis negationem ueritatis extorquere non poſſent. Habuerunt ergo uerba minacia, intulerunt ſæua ſupplicia: ſed me tua potius uerba ter-
Matth. 10. ruerunt: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, & poſtea non habent quid faciant. Sed eum timete, qui habet poteſtatem & corpus, & animam perdere in gehennam. Ab his ergo uerbis formidauit cor meum: & ſperans in æternum præmium, contempſi temporale ſupplicium.

Exultabo ego ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa.

Per ipſa uerba uicit, quibus formidauit. Victis enim ſpolia detrahuntur: & multa ſpolia capta ſunt, quando etiam per ſe cuſtodes plurimi admirati patientiam martyrum, in eum, in quem ſæuierant, crediderunt.

Iniuſtitiam odio habui, & abominatus ſum: legem autem tuam dilexi.

Lex, eloquia ſunt Dei, quæ ſic timuit, ut amaret: conſequens enim erat ut diligeret iuſtitiam, qui oderat prauitatem. Timor ergo ille uerborum Dei, à quibus formidauit, non fuit à charitate diſſentiens, ſed metuens, ab eo, quod amabat, uelli.

Septies in die laudem dixi tibi, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ. D

Quod ait ſepties, ſignificat ſemper: hoc enim numero omnes explicantur dies, & tempora uniuerſa uoluuntur. Eccleſia ergo nullis perſecutionibus ſuperata, in iſto tribulationum die, ſemper patientiæ & perſeuerantiæ ſuæ laudat autorem: quia cùm tempus eſſet, ut iudicium inciperet à domo Dei, in omnibus tentationibus atque preſſuris, non infirmitate, ſed coronis martyrum gloriata eſt.

Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt eis ſcandalum.

Ipſa lex diligentibus ſe ſcandalum non eſt: an diligentibus eam nullum eſt undecunque ſcandalum? Sed utrunque rectè intelligitur. Qui enim diligit Dei legem, etiam quod in ea non intelligit honorat, & in profunditate, quam non penetrat, magnum aliquid, ac myſticum latere non dubitat. Et item qui Dei legem diligit, ſi eam non ex mutabilibus hominum moribus pendit, nullum ſcandalum patitur: quia etiam ſi bonæ profeſsionis homines propoſitum ſuum deſerant, legis tamen iuſtitia perſeuerat.

Expectabam ſalutare tuum domine, & mandata tua dilexi.

Omnes quidem ſancti, ante incarnationem Chriſti, eiuſdem ſemper expecta-

A expectauerunt redemptionē. Sed poteſt hæc prophetia etiam eorum conuenire perſonæ, qui ex quo reuelata gratia Euangelium prædicatur, diligentes mandata Chriſti, aduentum eius expectant: ut cùm Chriſtus apparuerit, uita noſtra, tunc & nos cum ipſo appareamus in gloria.

Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua, & dilexit ea ualde.

Cuſtodiuntur Dei teſtimonia, dum non negantur: ſed quia pro teſtimonijs Dei, etiam flammis concremari, ſine charitate non prodeſt, ideo addidit, Et dilexit ea ualde.

Cuſtodiui mandata tua & teſtimonia tua: quia omnes uiæ meæ, in conſpectu tuo domine.

Pleruncp, dum mandata Dei cuſtodiuntur, fiunt inimici, qui eadem mandata contemnunt: & neceſſarium eſt ut tunc pro teſtimonijs Dei fortiter ſtetur. Quod hic ideo feciſſe ſe dicit: Quia omnes uiæ eius in domini conſpectu fuerunt, tanquam diceret: Si auertiſſes à me faciem tuam domine, conturbatus fuiſſem, nec tua mandata, nec teſtimonia cuſtodiſſem. Nunc autem ideo utraque ſeruaui, quia uias meas conſpectus tui lumine direxiſti.

TAV.

B *Appropinquet oratio mea in conſpectu tuo domine: ſecundum eloquium tuum da mihi intellectum.*

Appropinquat oratio, quæ recipitur: quoniam propè eſt dominus his, qui tribulato ſunt corde: & dat intellectum, ſecundum promiſſum ſuum, qui ait, Intellectum dabo tibi.

Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo domine: ſecundum eloquium tuum eripe me.

Repetiuit quodammodo quod petiuit. Nam qui & intellectum accipit, eripitur, ne non intelligens ſubruatur.

Eructabunt labia mea hymnum, cùm docueris me iuſtificationes tuas.

Laudabo, inquit, dominum, & gloriabor in te, cùm docueris me illa doctrina tua, qua, quod iubes fieri, auxiliaris ut fiat.

Pronunciauit lingua mea eloquia tua: quia omnia mandata tua iuſtitia.

Spondet ſe prædicatorē futurum eloquiorum Dei, quia etſi Deus dat increm

incrementum, tamen à ministris uerbi, & plantandum est, & rigandum. C

Fiat manus tua ut saluum me faciat: quia mandata tua elegi.

Vt pronuntiarem eloquia tua, mandata tua elegi, & constantem me fecit dilectio ueritatis. Fiat ergo manus tua, ut saluum me de manu faciat aliena: non ita, ut carnem persecutor non perimat: sed ita, ut animam tormenta non uincant.

Concupiui salutare tuum domine: & lex tua meditatio mea est.

Salutare Christus haud dubium est, & ipsum se concupisse, iusti antiqui ueracissimè confitentur. Ipsum concupiuit ecclesia uenturum de uisceribus matris: Ipsum concupiscit ecclesia uenturum à dextra patris. Legis autem meditatio, nutrit & firmat hoc desyderium, dum testimonijs suis pronunciat Christum.

Viuit anima mea, & laudabit te: & iudicia tua adiuuabunt me.

Illa sunt hæc iudicia, quæ & tempus erat, ut inciperent à domo domini: sed his ecclesia semper adiuta est, quia Deo dante uictoriam, passionibus suis creuit.

Erraui sicut ouis, quæ perijt: quære seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus. D

Hæc est ouis, propter quam pastor eius nonaginta nouem dimisit in montibus, & eam quærens, Iudaicis laceratus est ueprìbus, uerberibus: sed ex parte inuenta, adhuc quæritur: ex ea nanque parte, qua iste dicit, Mandata tua non sum oblitus, inuenta est: sed per eos qui mandata Dei eligunt, colligunt, diligunt, adhuc quæritur, & per sui pastoris sanguinem fusum, atque dispersum, in omnibus gentibus inuenitur.

PSALMVS CXIX.

PRAENOTATIO tituli, canticum graduum indicat inchoari. Nomine uerò graduum significatur ascensio, qua proficientes, quiq; à temporalibus ad æterna, à terrenis ad cœlestia prouehuntur. Idem autem gradus, & ascensionum sunt, & descensionum: non quia deficient qui profecerant, sed quoniam qui se humiliat exaltabitur; & præcipua sublimium uirtus est, compati cum infirmis, & ad eos qui insipientes sunt, hoc est, ad paruulos inclinari, ut omnes quæ sursum sunt sapiant, & frater fratrem adiuuans exaltetur. Habent enim omnes fideles formam descensionis, ipsum dominum Iesum Christum, qui manens

A nens in gloria sua, quæ æqualis est patri, naturam & similitudinem serui recepit: ut quibus gradibus ad nostra ima descendit, ipsis possemus ad eius summa conscendere.

AD *te domine cùm tribularer clamaui, & exaudisti me.*

OMNIS cogitans ingredi uiam domini, & in mandatis ambulare diuinis, necesse est ut multis tribulationibus incipiat laborare: cui nihil est utilius, quàm eius auxilium, ad quem tendit, expetere, qui ait: Sine me nihil potestis facere. Ioan. 15.

Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua dolosa.

Religiosæ uoluntati, & piam uitam agere disponenti, amatores huius seculi contradicunt, & dolosis uerbis sanctum propositum cupiunt deterrere: quorum iniqua labia difficilimum est euadere, dum per quendam affectum uidentur consulere, & ab aspero labore, tanquam parcendo, reuocare: ut uideatur piæ esse solicitudinis, quod est nocentissimæ suasionis.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?

B Vis, inquit, uirtutum gradus scandere, uis dolosæ linguæ officia fraudulenta superare? Dic quid auxilij concupiscas, ut si capax es eruditionis supernæ, eo ipso quo utilia poscis, ascendas.

Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatorijs.

Sagittæ acutæ, uerba sunt Dei, quæ cùm animos fidelium penetrant, inflammant corda, non sauciant. Vt autem mens superno amore transfixa ab omni contraria cupiditate sit libera, spiritalium carbonum petitur ignita purgatio, per quam noxiorum germinum congregatione uastata, fiat in homine salutifera desolatio, si interiora eius uacua sunt ab hospitalitate uitiorum.

Heu me quia incolatus meus prolongatus est: habitaui cum habitantibus Cedar:

Gemitus iste totius ecclesiæ est, omniumq; sanctorum, qui per fidem speculantes supernæ patriæ bona, inter longinqua peregrinationis aduersa suspirant, quia spiritales cum carnalibus habitant, & ad cœlestia proficientibus molesti sunt, terrena sectantes. Vnde & secundum Apostolum in duo genera diuiditur unum semen Abraham: & alij sunt pertinentes ad Ismaël filium ancillæ; alij ad Isaac filium liberæ. Tabernacula autem

autem Ismaël, appellata sunt Cedar, ut intelligātur non esse in lumine, qui C
non sunt in hæreditate.

Multum peregrinata est anima mea.

Ne peregrinationem corporalem intelligeres, animam dixit peregrinari: corpus enim absentatur loco, anima peregrinatur affectu: & ideo cauendum est, ne longè simus ab illo, cui appropinquare debemus mentis ascensu.

Cum eis qui oderant pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.

Christiana perfectio est, pacificum esse, etiam cum pacis inimicis, spe correctionis, non consensu malignitatis: Vt si nec exemplum nec cohortationem sequuntur: causas tamen non habeant, propter quas odisse nos debeant.

PSALMVS CXX.

LEuaui oculos meos ad montes, unde ueniet auxilium mihi. Auxilium meum à domino, qui fecit cœlum & terram.

INGRESSVS uiam uirtutum, in qua sunt gradus ascensionum ad montes, id est, ad sublimes quosque sanctorum, oculos cordis attollit, & per ipsos Dei poscit auxilium, qui fecit cœlum & terram. Terram scilicet, de qua cupit surgere: & cœlum, quò optat ascendere. Quis enim sicut dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit? D

Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.

Ipsa sibi fidelis anima, ex Dei inspiratione respondet, & desyderantem profectus contra superbiam munit, quæ & angelo, & homini prima fuit causa labendi. Det igitur tibi custos tuus perseuerantiam humilitatis, ne ulla elatione mouearis: ne cùm tu non habueris uigilantiam standi, protegens te dormitare uideatur.

Ecce non dormitabit, neque obdormiet, qui custodit Israël.

Si uis, inquit, habere custodem non dormitantem, esto Israël, id est, uidens Deum. Vide igitur Deum primò per fidem, ut posteà possis ui-
Exod. 33. dere per speciem. Sicut enim Moysi dictum est à domino, Nō poteris ui-
dere

A dere faciem meam, posteriora mea uidebis. Ita & tu uide quæ posteriora sunt, ut possis uidere quę prima sunt. Prima autem sunt, In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum. Posteriora sunt, Et uerbum caro factum est, & habitabit in nobis. Vnde quia hac fide corda mundantur, Beati mundo corde, quia ipsi Deum uidebunt. Ioan. 1. Matth. 5.

Dominus custodit te: dominus protectio tua, super manum dexteræ tuæ.

Frequens insinuatio inculcat auditui, quòd principaliter in Dei protectione fidendum est. Dextera autem est hominis, amor Dei, & eorum quę Deo sociant appetitus: & huius dexteræ manus est, potestas quam dedit Deus credentibus, ut possint esse filij Dei, abstinentes à sinistris, & dextris inhærentes. Vnde per omnia in domino confidendum est, in domino gloriandum: quia possibilitatem in dextris proficienter perseuerandi, ipse dedit, ipse custodit.

Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.

In Sole, significatur Christus, lumen uerum: & Luna significatur ecclesia illuminatione lux facta. Quia ergo omne scandalum quo homo aut infirmatur, aut uritur, ex duabus nascitur causis: cùm aut in confessione deitatis erratur, aut ab ecclesiæ unitate disceditur, hoc præstat protectio B Dei, ut in fide & charitate, quæ ipsius dona sunt, nulla tentatione superemur.

Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam dominus. Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum, ex hoc nunc & usque in seculum.

Custodit dominus ab omni malo, non ut nihil patiamur aduersi, sed ut ipsis aduersitatibus anima non lædatur: cùm enim tentatio adest, fit quidam in id quod impugnat introitus, & cum bono fine, id est, sine uulnere animæ tentatio consummatur, ad æternam requiem de profundo tentationis exitur: sicut Apostolus dicit, Fidelis Deus, qui non permittit uos tentari supra id, quod potestis ferre; sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere. 1. Cor. 10.

PSALMVS CXXI.

LÆtatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domo domini ibimus.

OMNIS homo fide illuminatus, & promissionum Dei cupidus, meritò exultat & gaudet in his, quę à prophetis dicta, quęq; ab Apostolis prædicata, & utriusq; testamenti paginis declarata sunt de uocatione Dei, quæ diligentibus dominum & proximum, æter-

num domus Dei spondet habitaculum. C

Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem.

Non in ista Hierusalẽ, quę occidit prophetas, & lapidauit ad se missos, quæ ob impietates multas stare non potuit: sed in illa cœlesti Hierusalem, quæ est sanctorum omnium mater, filij ipsius se stare lætantur: qui licet in uia sint, & adhuc illò tendant: ita tamen quasi peruenerint gaudent, quia de adipiscendis fides firma non dubitat.

Hierusalem quæ ædificatur ut ciuitas:

In illius, inquit, atrijs Hierusalem, fidei nostræ firmitas stabat, quæ non mole saxorum, sed uirtutum soliditate consurgit, & sanctorum societate, quæ nunquam dissoluetur, extruitur.

Cuius participatio eius in idipsum.

Patuit quòd de æternæ ædificatione Hierusalem, nihil deberet carnale sentiri: quandoquidem participatio eius, id est connexio, in idipsum est. Quid autem est in idipsum, nisi quod uerè & sempiternè est: neq; ulla uarietate mutatur deitas, scilicet trinitatis, quæ nunquam non fuit: quod est, nihil disimilitudinis recipiens, nihil inæqualitatis admittens, cui per incarnationem uerbi unitur humana natura, ut liberata à commutationibus temporalibus, incommutabili æternitate potiatur. D

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus domini, testimonium Israël, ad confitendum nomini domini.

Ascendisse dicuntur ad æternam Hierusalem tribus, id est, populi per suas familias distributi: sed de toto pars intelligenda est: quia in omni genere hominum, alij iusti, alij inueniuntur iniusti. Nec omnes aut persecutores sunt, aut discipuli ueritatis. Ad concordiam itaq; cœlestis Hierusalem non ascendunt, nisi tribus domini, quibus testimonium fides perhibet, quòd sint Israël, id est, uidens Deum, & sine simulationis dolo donum gratiæ præferentes. Ille enim uerè ascendit, qui confitetur non proprij operis, sed diuini esse muneris, quòd ascendit.

Quia illic sederunt sedes in iudicio, sedes super domum Dauid.

Sublimiores quiq; sanctorum throni sunt Dei, sicut scriptum est, Anima iusti thronus sapientiæ est. Et dicit apostolis suis dominus: Sedebitis super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israël. Tota ergo domus Dauid, id est, tota ecclesia, quæ in Christo semen Dauid, & semen Abraham, ueniet in iudicium: cùm & ipsi qui sedebunt, sedes erunt Dei: & per examen iudicantium, omnes dilectores Dei, & proximi, in unitatem

Matth. 19.

A tem adſumentur corporis Chriſti.

Rogate quæ ad pacem ſunt Hieruſalem, & abundantia diligentibus te.

Ad ipſas ſedes Dei propheticus ſermo dirigitur, & ait: Vos qui iudicaturi eſtis, per quos fiet conſcientiarũ interrogatio, quiq; eſtis ipſa Hieruſalem, diſcernite à ſuperbis humiles, ab implacidis ſeparate pacatos: & fiant unitas & abundantia diligentium te. Quia qui tecum habent pacem, tuis inæternum diuitijs abundabunt.

Fiat pax in uirtute tua, & abundantia in turribus tuis.

Virtus tua, ò eccleſia, ò Hieruſalẽ, charitas eſt, qua & diues, & fortis es: in hoc fiat pax filiorum tuorum, hoc abundet tuarum turrium celſitudo: ut unde ipſa magna es, inde tui participes augeantur.

Propter fratres meos & proximos meos, loquebar pacem de te.
Propter domum domini Dei noſtri, quæſiui bona tibi.

Prædicator pacis tuæ, nõ propter me, ſed propter fratres meos extiti: Nec meum honorem, ſed aliorum quæſiui ſalutem: non ut mea creſceret gloria, ſed ut tua dilataretur hæreditas. Nam ipſe apud te minuerer, ſi nõ
B profectibus laborarem.

PSALMVS CXXII.

AD te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis.

MENS proficiens, & aſcendens, quæ ſurſum ſunt ſapit, nõ quę ſuper terram: & ideo dirigit cordis aciem, quò peruenire deſiderat: non corporeis greſsibus, ſed proficientium aſcenſione uirtutum. Habitatio autem Dei, non hoc cœlum intelligẽdum eſt, quod uidetur, & de quo dicitur, Cœlum & terra tranſibunt: ſed de illa Hieruſalem, quæ ædificatur ut ciuitas, non tantum in ſanctorum angelorum ſublimitate, ſed etiam in totius eccleſię glorificatione, quæ in Chriſto fundata, unum eſt cum ſupernis poteſtatibus Dei templum.

Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum.
Et ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ: ita oculi noſtri ad dominum Deum noſtrum, donec miſereatur nobis.

Quæ humilitas, qualiſ'ue ſubiectio, ſcandala oſtendit, cùm inter tentationũ moleſtias, & eruditionũ plagas, gemẽtiũ oculos ad Deum dicit eſſe conuerſos, donec miſereatur, & parcat, à cuius iudicio uenit, quicquid inferri aut iubetur, aut finitur. Quia ſicut ſerui & ancillæ in poteſtate ſunt dominorum ſuorum, atque dominarum; ita ſancti modum caſtigatio-

num suarum, ex Dei sententia pendêre nouerunt. C

Miserere nostri domine, miserere nostri:

Vox uapulantis est, & intelligentiam inter flagella postulantis, quia omnis hæc uita plena tentationum est, plena plagarum.

Quia multum repleti sumus despectione.
Et multum repleta est anima nostra, obprobrium abundantibus, & despectio superbis.

Omnes qui secundum Christum piè uolũt uiuere, necesse est, ut ab impijs & dissimilibus patiantur obprobria, & despiciantur, tanquàm stulti & insani, qui præsentia bona sperant, & inuisibilia sibi ac futura promittunt: sed hęc despectio, & irrisio, in ipsos retorquebitur, cùm & abundantia eorum in egestatem, & superbia transierit in confusionem.

PSALMVS CXXIII.

NIsi quòd dominus erat in nobis, dicat nunc Israël, nisi quòd dominus erat in nobis.

CORPVS Christi, quod est ecclesia, ita distributũ est, ut alia membra eius pericula tribulationũ iam euaserint, alia ijsdẽ adhuc laboribus atterantur. Sed quia & præcedentium, & subsequentium sanctorum unus est liberator, una est omnium exultatio, & illorum, qui iam aduersa uicerunt, & horum, qui sperant se præsentibus periculis liberãdos: & promissione Dei firmam dante cõstantiã, uno utuntur cantico, quia uno muniuntur auxilio, dicẽtes: Nisi quòd dominus erat in nobis, persecutionum nos magnitudo superasset: sed illo præsidente cordibus nostris, illo dante tolerantiam, illo consummante uictoriam, habitantis in nobis simus gloria, non hostium præda. D

Cùm insurgerent homines in nos, forsitan uiuos deglutissent nos.

Tota ergo fidelium salus, tota patientium fortitudo ad Deum, qui in sanctis est mirabilis, referenda est: quia nisi in illis dominus esset, furori impiorum fragilitas humana succumberet. Dicat ergo Israël, dicat populus redemptus, populus regeneratus, pòpulus adoptiuus: nisi quia dominus erat in nobis, cùm insurgerent homines aduersum nos, forsitan uiuos deglutissent nos. Viui autem deglutiuntur, qui persecutione superati, in societatem transeunt impiorum, & amore exiguæ uitæ, in profundum ruunt mortis æternæ.

Cùm irasceretur furor eorum super nos, forsitan uiuos absorbuissent nos.

Viui

A Viui absorbentur, qui fidem quidem suam in conscientia sua retinent, sed metu pœnæ adquiescunt idolorum culturæ: uiuunt itaque tenentes fidem: sed dum contra fidem faciunt, adorantes quod nihil esse nouerunt, non occiduntur & pereunt.

Torrentem pertransiuit anima nostra, forsitan pertransiuit anima nostra aquam intolerabilem.

Vel sine substãtia magnitudo periculi, quod hi quibus dominus inerat, euaserunt, facit eosdẽ qui liberati sunt mirari, quòd tanta oppressi tentatione nõ fuerint. Ideo enim uerbum dubitationis ponitur, ut id superatũ demonstretur, quod humana uinci facultate non potuit. Per uim autem aquarum, significauit populorũ furorem, & ideo ista aqua sine substantia dicitur, quia peccatum nullius substantiæ est: & qui diligit iniquitatẽ, odit animam suam, eo plenam, quod non erit, & quod egentem facit.

Benedictus dominus, qui non dedit nos in uenationem, uel in captionem, dentibus eorum.

Fidelis anima, non in suis uiribus, sed in Dei exultat auxilio: ideo enim uenantium euasit insidias, quia dominus fecit irrita omnia genera ca-
B ptionum.

Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo uenantium.

Laqueus, uel muscipula uenantium, amor est istius uitæ, cuius dolos passeres, id est, humiles quique fidelium, præsidio supernæ protectionis, effugiunt.

Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

Præterit enim figura huius mundi, & omnes præsentium uanitatum illecebræ conterentur, cùm liberati passeres, id est, humiles, à contritione temporalium dicent exultantes atque gaudentes,

Adiutorium nostrum in nomine domini, qui fecit cœlum & terram.

Merito ergo non sunt capti à uenatoribus istius mundi, qui adiutorium quæsierunt in nomine domini, qui cœlum & terram creauit.

PSALMVS CXXIIII.

QVi confidunt in domino sicut mons Sion, non commouebitur inæternum, qui habitat in Hierusalem.

INTER mundi ſcandala, & rerum temporalium uarietates, C non diſcedere à domino, ſed in charitate eius, ac proximi, ſtabilem permanere, tam clarum, atque ſublime eſt, ut qui in hac firmitate cõſiſtunt, montis Sion inſtar obtineant. Ipſi enim fide & ſpe habitant in Hieruſalem, non hac terrena, ſed in iſta cœleſti, & æterna, quæ ædificatur ut ciuitas.

Montes in circuitu eius:

Montium nomine, ſignificantur prædicatores ueritatis, ſiue angeli, ſiue apoſtoli, ſiue prophetæ, qui ſplendorem ueritatis, quem de ſupernis accipiunt, in inferiora diffundunt.

Et dominus in circuitu plebis ſuæ,

Quicquid ergo eſt lucis in montibus, ipſe eſt, qui ſplendere montes facit, & quicquid per miniſtros auxilij uenit illius eſt, qui operatur omnia in omnibus.

Ex hoc nunc & uſque in ſeculum.

Vt à temporalibus transferantur ad æterna.

Quia non derelinquitur uirga peccatorum ſuper ſortem iuſtorum: ut non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas. D

Sæpe in hoc ſeculo peccatores mundanam potentiam conſequuntur, cùm & ipſi ſint iniqui, publicarũ tamen legum ſunt miniſtri: quorũ poteſtas etiã fidelibus honorãda eſt, propter utilitatẽ diſpoſitæ diſciplinæ: ſed ſi in id prorumpãt, ut iuſtos ueri Dei cultu conẽtur auertere, nulla eis obedientia, nulla eſt præbenda cõſenſio. Quia non derelinquet dominus uirgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum, quorum ſors ipſe Deus eſt, qui iuſtis ſuis eam perſeuerantiam dabit, ut imperia ſæuientium non metuant impiorum, & ab omni opere iniquæ actionis abſtineant. Ita ergo & à plebibus principes, & ſeruis domini ſunt ferendi: ut ſub exercitatione tolerantiæ ſuſtineantur temporalia, ſperentur æterna. Auget enim meritum uirtutis, quicquid propoſitum non uiolat religionis.

Benefac domine bonis & rectis corde.

Recti ſunt corde, qui de præceptis Dei, & conſtitutionibus non queruntur, nec uarietate rerum temporalium deprauantur: quia iuſtum eſt æquanimiter ferri, quod iudicaturus uoluit tolerari.

Declinantes autem in obligationem, adducet dominus cum operantibus iniquitatem:

Impias

A Impias, inquit, querelas, à fidei limite deuiantes, & in imitationem inultorum scelerum transeuntes, adducet dominus ad iudicium retributionis, paribus conscientiarum uinculis obligatos, ut quem non crediderunt iudicem, experiantur ultorem.

Pax super Israël.

Hierusalem interpretatur uisio pacis: & Israël uidens Deum: qui ergo uidet Deum, pacem uidet, & pax super ipsum est, cui Deus semper placet, & in nullo ab ipsius uoluntate discordat.

PSALMVS CXXV.

CVm auerteret dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati.

PROPHETICVS Psalmus ad ascensionem pertinet graduum, quibus bene currentium crescit profectus. Sub appellatione unius urbis, & populi, ea quæ de uniuersa ecclesia sunt intelligenda significat. Sion quippe in toto mundo est sanctorum omnium corpus, & ciuitas, à captiuitate Babylonis, quæ confusio interpretatur, educta: ab ipso enim Adam, totum genus humanū iugum subijt
B seruitutis, per quem omnia mundi secula, & generalis captiuitas, à filijs adoptionis auertitur, & quicunque ad redemptionem pertinent sanguinis Christi, in spem non dubiæ salutis habent gaudium consolationis.

Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione.

Gaudium quidē propriè animi est, sed quia ore promitur, quod corde concipitur, ipsam linguam exultatione dixit impletam, cuius se ministerio in actionem gratiarum, abundantia mentis effundit: quod etiam tacente lingua fieri potest, quia & interior homo habet os inuisibile, & linguam secretam, cum quo tacito sono clamat affectu,

Tunc dicent inter gentes, magnificauit dominus facere cum eis.
Magnificauit dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes.

Inter omnes gentes sunt ciues Sion, qui redemptione, ac pretio sanguinis Christi, de captiuitatis iugo quotidie liberantur, & dicunt: Magnificauit dominus facere nobiscum, qui nos per magnificentiam gratiæ suæ cœlesti patriæ reformauit. Lætantes, quia spei manifestæ uera sunt gaudia.

Conuerte domine captiuitatem nostram, sicut torrens in austro.

Vita præsens multis tentationibus impugnatur, ut etiam redempti ca- C
ptiuitatis mala metuant, & indesinenter opem redemptoris implorent: pe tentes, ut in uia domini per ascensionem gradus absoluti, cursus habeant libertatem. Et sicut aquæ, quæ gelu fuerint ligatæ, austro flante laxantur: ita ipsi per spiritum sanctum resoluta glacie peccatorum, ueloci ad patriam reditu ferantur more torrentium.

Qui seminant in lacbrymis, in gaudio metent.
Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua.
Venientes autem uenient in exultatione, portantes manipulos suos.

Omnes qui uolunt in Christo piè uiuere, persecutionem patientur: & molestia laborum sanctarum est causa lachrymarum. Sed tempus flendi, tempus est seminandi: quia opera charitatis, quæ reuelandis hominum miserijs adhibentur, æternorum messem pariunt gaudiorum. De fructu enim bonorum operum pij coronabuntur agricolæ: & cum manipulis gloriæ, id est, meritis actionum, aduentui domini saluatoris exultanter occurrent.

PSALMVS CXXVI. D

PSALMI huius titulus est, Canticum Salomonis. Et mirum est, quòd ascensionis canticum eius nomine prænotatur, quem notum est, ab his uirtutum gradibus decidisse. Sed illo cadente, si quæ per ipsum dicta sunt, delerentur: existimaretur, quòd quæ spiritus Dei loquutus est, ipse dixisset: & repudiari, quasi eius propria, debuissent. Nunc autem sequestrato hominis merito, quod à Deo factum est, non tacetur, & doctrina spiritalis secernitur à præuaricatione doctoris. Manet ergo autoritas prophetiæ, quæ non humana est, sed diuina: & quia templum Dei, non nisi ipsius operæ ædificetur, ostendit.

NIsi dominus ædificauerit domum, in uanum laborauerunt ædificantes eam.

1.Cor.3. APOSTOLI uox est, dicentis populo fideli, Dei ædificatio estis, Dei agricultura estis. Qua uoce etiam propheta utitur, protestans uanum laborem esse ædificantium domum, nisi auxilio domini opus ædificij inchoatũ fuerit, & effectum. Quod utique de tota ecclesia intelligendum est, quæ est Hierusalem, in omnium compage sanctorum una domus, & unum templum, & una ciuitas, cuius extru

A extructio, ab initio usque in finem, domino ædificante, consurgit: sine cuius gratia nihil est solidum, nihil firmum: sed uana omnia atque ruitura.

Nisi dominus custodierit ciuitatem, in uanum laborauit qui custodit.

Omnis sancti ædificij status, sicut domino operante proficit, ita domino custodiente consistit: quoniam utilis præpositorum custodia est, cùm spiritus Dei populo suo præsidet, & non solum gregem, sed etiam ipsos dignatur custodire pastores.

In uanum est uobis ante lucem surgere:

Præsumptionis spiritus increpatur, cui uanum est suis uiribus releuari: cùm gloriæ Christi particeps esse non possit, nisi qui fuerit humilitatis eius uerus imitator, & amator. Si ergo quis ante lucem surgere, & obscurum noctis uult effugere, fallitur. Inordinata quippe excellendi cupiditas, cui humilitate crescendum fuerat, dum præproperè leuatur, in profunda demergitur.

Surgite postea quàm sederitis, qui manducatis panem doloris.

B Cùm dicitur, Surgite, proijciendæ sublimitatis hortatio est: cùm autem dicitur, Postquàm sederitis, prius humilitati studendum esse monstratur. Quoniam qui se humiliat, exaltabitur. Et ne dubitaretur penes quos esset hoc meritum, Qui manducatis panem, inquit, doloris: hoc est, qui propter iustitiam patimini, & in lachrymis tribulationum tempus uitæ præsentis exigitis: ut qui de corpore estis domini, uiam capitis ambuletis, seruantes participationem tolerantiæ usque in finem: quoniam spes uobis in Christo certa est, & gloria resurgendi.

Cùm dederit dilectis suis somnum:

Electi Dei, sunt sancti eius, quorum mortem similem facit somno, de quo Christus surrexit à mortuis: ita surgent & hi, qui membra sunt ipsius: sequentes enim præuiam lucem, post labores humilitatis, introibunt in consortium glorificationis.

Ecce hæreditas domini filij, merces fructus uentris.

Hæreditas domini filij sunt ecclesiæ, in quibus & merces est fœcunditatis, & gaudium de fructu uentris sui, quoniam utero fidei ipsa eos concepit, parturiuit, & peperit: simul quidem cum reprobandis uentre gestatos, sed postmodum pro sui qualitate discretos, transacto somno, quem dilectis suis dominus dedit, ut sessionem resurrectio consequatur.

Sicut

Sicut sagittæ in manu potentis, sic filij excussorum. C

Filij excussorum, intelliguntur apostoli, filij prophetarum, quorum prophetia multis fuit tegminibus obumbrata, quam prædicatores Euangelij excutiendo reserarunt. De prophetis ergo postea orti Apostoli excusserunt patres suos, & secreta eorum uentilando * eruerunt: ut essent tanquam sagittæ missi in uniuersos fines terræ, arcu dominicæ iussionis.

*ruminati sunt

Beatus qui implebit desyderium suum ex ipsis.

Beatitudinis Apostolicæ fit particeps, qui ea concupiscit, quæ illi desyderando adepti sunt, & adipiscendo docuerunt. Ex ipsis ergo impleri dicitur desyderium, quia imitatione ipsorum ad eadem gaudia peruenitur.

Non confunditur, dum loquitur inimicis suis in porta.

Quis est, qui loquitur in porta, nisi qui euangelizat in Christo: quoniam ipse est ianua intrantium Dei regnum. Inimici autem eorum sunt, qui prædicationi ueritatis resistunt: & dum deitati incarnationis domini contradicunt, ab ingressu portæ merentur excludi.

PSALMVS CXXVII. D

BEati omnes qui timent dominum, qui ambulant in uijs eius.

MVLTI homines malæ conscientiæ timent dominum, agnoscentes quæ operibus suis retributio debeatur: sed cùm permanent in peccatis, quorum delectatione superantur, non medelam capiunt ex suo timore, sed pœnam. Igitur timor beatitudinis particeps est, qui in Dei uias ambulant, & metuunt ne quid de bono, quo beatificatur, amittant, spe gaudentes, & in tribulatione patientes.

Labores fructuum tuorum manducabis, beatus es, & bene tibi erit.

A plurali numero ad singularem propheta translatus est: quia omnes in Christo unum sumus: ex multis membris unum corpus efficimur, dum siue pluribus, siue in singulis unus est Christus: quia & caput in compage, & compago omnis in capite. Iste ergo timens dominum, & in uijs eius ambulans, quomodo fructum laborum sit manducaturus, inquiritur: & inuenitur, quòd iusti non solùm fructibus laboris sui, sed etiam ipso illo, quo ad fructum tendunt, labore pascuntur, dum priusquam

A quàm præmia pij laboris accipient, fit eis tolerantiæ amor, futuræ portio uoluptatis.

Vxor tua sicut uitis abundans in lateribus domus tuæ.

Cùm multi sanctorum non habuerint coniugia, neque filios: quomodo accipientur huius benedictionis fuisse participes, nisi harum affectionum societas in totius ecclesiæ corpore intelligatur? per illud scilicet spiritale coniugium, quo uiro suo Christo, id est, sponso, sponsa connectetur. Sacramentum uerò istius copulæ, multis nominibus significatur, ut qui adhærent capiti, nunc membra eius, nunc mater & fratres, nunc uxor & filij, nunc templum & uinea nuncupentur: dum per has necessitudinum species illa indiuidua unitas fidei, & spei, & charitatis ostenditur: & quicquid Christo subiungitur, sibi quoque inuicem colligatur, ut totius domus latera fœcundæ uitis abundantia uestiantur.

Filij tui sicut nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ.

Qui uxoris uocabulo appellati sunt, ijdem commemorantur nomine filiorum, de fructu pacis nouellis oleis comparati: quoniam pacifici filij Dei uocabuntur, qui mensam dominicam sacramentorum, atque doctrinæ, cum unanimitate circundant, ut quod inde percipitur, nulla dissensione uioletur.

B

Ecce sic benedicetur omnis homo, qui timet dominum.

Caput & corpus, Christus & ecclesia unus homo, unus est Christus, qui in suis atque in se habens benedictionem, & sumit & confert.

Benedicat te dominus ex Sion, & uideas quæ bona sunt in Hierusalem omnibus diebus uitæ tuæ.

Non humana hæc, sed diuina benedictio est, nec terrenæ, sed cœlestis Hierusalem bona incorruptibilia promittuntur: quamuis enim, etiam temporalia commoda, dona sint Dei, non ea tamen spondet propriè sanctis, quæ communiter largitur & reprobis. Aeternæ igitur ciuitatis æterna sunt gaudia, & stantium dierum perpes infinitas, nec uariabitur, nec labetur. Ibi uidebuntur filij filiorum, id est, fructus sanctorum operum, & perpetua iustitiæ præmia, quæ pacis nomine uniuersaliter exprimuntur: quia omnis illa beatitudo Hierusalem, incommutabili pace gaudebit, & erit bonum omnium, quod fuerit singulorum.

Et uideas filios filiorum tuorum, pax super Israël.

Omnis promissio æternorum bonorum, pacis nomine comprehensa est, quæ

est, quæ specialiter ad eos pertinet, qui sunt Israël, id est, uidentes Deum: C
Matth.5. de quibus dicitur, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt.

PSALMVS CXXVIII.

Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israël:
Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea:

PROPHETIAE spiritus ecclesiam Dei ad perseuerantiã cohortatur, ut de superatis persecutionibus in domino glorietur. Ab initio enim in sanctos, qui sunt Israël, impij sæuierunt: sed ecclesia, siue in iuuentute sua, siue in ætate maiore, siue in senectute ultimi iam seculi, nullis oppresionibus, nullis est uicta supplicijs, cui per passiones, & mortes suorum, coronæ semper, triumphiq; creuerunt.

Etenim non potuerunt mihi.
Super dorsum meum fabricauerunt peccatores: prolongauerunt iniquitatem suam.

Omnis malorum intentio contra bonos, hoc est, ut eos similes sui faciant, & in consensum iniquitatis suæ à fide, ac probitate, traducant. Quod cùm obtinere non possunt, obprobrijs & criminationibus impe- D tunt innocentium uitam, construentes super dorsum eorum congeriem falsitatum: Quia perfectorum fidelium est, etiam tales & iniustorum odiorum onera sustinere, etiam si prolongent iniquitatem suam, & nulla correctione mutentur: quæ pertinacia malorum longè ab innocentibus separatur, & qui est rectus, nulla eorum societate polluitur.

Dominus iustus, concidet ceruices peccatorum:

Generale quidem nomen est peccatorum, quod nec sancti quidem à se existimãt alienum. Sed aliud est quod quotidie aufertur, aliud quod semper augetur. Vnde ex ipsa ultionis specie, quales hic peccatores commemorentur ostenditur: cùm dominus non manus peccatorum, sed ceruices concisurus denunciatur. Per ceruices enim superbia significata est eorum, qui in nullo se reprehendi uolunt, & Dei uerba, tanquam deliramenta, contemnunt.

Confundantur & reuereantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.

Oderunt Sion, qui oderunt ecclesiam, & qui Dei præcepta contemnũt. Sed quia super dorsum fabricauerunt, quid faciet ecclesia, nisi tales spe correct

A correctionis ipſorum toleret uſq; in finem: ueniet enim quod ſequitur:

Fiant ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur, areſcit.
De quo non implebit manum ſuam qui metit, & ſinum ſuum,
qui manipulos colligit.

Contemptores eloquiorum Dei, & amatores mundi, fœno, quod ſuper tecta, & ſuper parietes naſcitur comparantur. Qui ante tempus meſſis areſcunt, & cùm uidentur ſtare, ceciderunt: nec inueniunt meſſores, id eſt, angeli quod de eis dominicis horreis inferatur, quia igni deputabitur, quicquid carebit ſubſtantia charitatis.

Et non dixerunt qui præteribant, benedictio domini ſuper uos.

Superbi & uani, in agro domini nihil operati ſunt, nec meruerunt ab eis, qui per temporalia ad æterna tranſibunt, gratiam benedictionis accipere. Omnes enim prophetæ, & Apoſtoli, uniuerſiq; ſancti, bene uiuentibus benedixerunt in nomine domini: non in ſuo, ſed in illius, cuius gratia erant, quod erant, & cuius pollicitationes bonis & fidelibus promittebãt.

PSALMVS CXXIX.

B *DE profundis clamaui ad te domine, domine exaudi uocem meam.*

QVI profunditatem malorum uitæ huius intelligit, & à terrenis erui cupit, iam de his eſt, qui ad aſcenſionum pertinent gradus, & qui ſuperno auxilio cupiunt adiuuari, ut per uirtutum profectus, ab imis ad ſumma conſcendant. Clamandũ ergo eſt uoce deſiderij ſperantis ad dominum, ut non de uno tantũ, ſed de multis profundis humanarũ miſeriarũ eruat laborantes: quia etiã qui ualde profecerunt, habent uſq; in finẽ de quibus cupiant liberari, etſi magnorum & fidelium iſta conditio eſt, ut quandiu in ſeculo mundani maris profunda patiunt, quæ extremitas demerſos habet eos, qui ipſis imis profunditatibus delectantur, & tantò magis ſunt miſeri, quantò ſe putãt eſſe fideles.

Fiant aures tuæ intendentes, in uocem deprecationis meæ.
Si iniquitatem obſeruabis domine, domine quis ſuſtinebit?

Quia qui uenit ſoluere opera diaboli: hoc eſt, peccata: & uenit quærere quod perierat, dedit ſpem etiam in ultimo profundo iacenti, per quam ſe ad opem ſaluantis erigeret: & ideo quantalibet mole malæ conſuetudinis peccator oppreſſus, habet in Pſalmi huius forma quod ſequatur implorationis exemplũ, ne de ſua liberatione deſperet: quia ſi diuina iuſtitia hoc hominibus in hac uita redderet, quod merẽtur, nemo poſſet retributionis

ſuſtinere iudicium. Quid ergo ſpei ſit cõfitenti, aperit ſermo qui ſequitur: C

Quoniam apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te domine.

Quæ eſt propitiatio, niſi ſacrificiũ? & quod ſacrificiũ, niſi occiſio illius agni, qui tulit peccatum mundi, & uenit ut legem ueteris teſtamenti, noua lege Euangelicæ ueritatis impleret? Lex autem perfectio charitatis eſt, qua Deus, proximuſq; diligitur, & per quam dicitur conditori legis: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Bene enim ſuſtinet promiſsiones Dei, qui mandatum eius exequitur: Nec fruſtra ſperat parcendum peccatis ſuis, qui ignoſcit alienis, dicente Apoſtolo, Inuicem onera ueſtra portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.

Matth. 6.

Gal. 6.

Suſtinuit anima mea in uerbum tuum:

Expectationis, inquit, meæ ſubſtantia Chriſtus eſt, & uerbi tui promiſſione non fallor, quia ipſe eſt ueritas, qui promiſit.

Sperauit anima mea in domino.

A uigilia matutina uſque ad noctem: à uigilia matutina ſperet Iſraël in domino.

D

Spes fidelium, expectatioq; ſanctorũ, non unius diei concluditur fine, cùm etiam intra breuia tempora iſtius uitæ, multorum dierum ortus atq; occaſus, ſæpe renouentur: uirtus igitur patientiæ, de illa ſumenda eſt uigilia matutina, in qua dominus IESVS Chriſtus, in noſtræ naturæ carne, ſurrexit à mortuis, ut quod præceſsit in capite, hoc in ſe ſperarent omnia membra faciendum, quæ ſpes nullis terrenda aduerſitatibus, nullis terroribus obſcuranda, ſed uſq; in finem præſentis uitæ, ubi nox quędã mortis interuenit, fortiter cuſtodienda eſt, ut omnis Iſraël quouſq; de hac uita exeat, hoc quod in domino factum eſt, in ſe quoq; faciendum ſperare non deſinat. Hæc enim ſpes propria eſt Iſraëlitarum ſpiritalium, quorum deſiderium, non uana, neque temporalia concupiſcit, ſed à uigilia matutina reſurrectionis Chriſti, uſque in noctem finis ſui, eò currit, eò tendit, quò iam in præcedente peruenit.

Quoniam apud dominum miſericordia eſt, & multa apud eum redemptio eſt.

Fiducia ſperantium, miſericordia Dei eſt: nec ideo quiſquam debet de capeſſenda domini promiſsione dubitare, quia ſe participatione eius nouit indignum, cùm ipſa confeſsio per commutationem actionis, & mentis indulgentiam mereatur, & multiplex ſit redemptio eius, qui nihil donorum

A rum suorum correctis negat, & uniuersa uincula captiuitatis abrumpit.

Et ipse redimet Israël ab omnibus iniquitatibus eius.

Non ergo timeat aliquas iniquitates accessurus ad dominum, tantùm ut toto corde se uoueat, & ea in quibus etiam sibi displicet agere ac uelle desistat: nec dicat quod illa forte iniquitas remittenda sit, illa autem pro sua qualitate plectenda: sed clamet de profundis, & à uigilia matutina, speret usque in noctem, quia redemptor sine peccato, ideo pro iniustis pretiosum sanguinem fudit, ut omnium in se credentium omnia peccata deleret.

PSALMVS CXXX.

Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Neque ingressus sum in magnis, neque in mirabilibus.

SVPERNA cuiuslibet spiritualis Israëlitæ, in qua totum Christi corpus ostenditur, sanctæ humilitatis ueritas commendatur. Et hanc Psalmi uocem omnes ecclesiæ filij suam esse cognoscunt: quorum temperantia nihil humanæ gloriæ cõcupiscit, neque optat de operum mirabilibus gloriari, ut pro ostentatione uirtutum pretium laudis acquirat: cùm omnis gratia Dei, quæ in quocunque
B fidelium dignatur operari, à nullo membro corporis Christi possit abiungi: & suum quisque faciat bonum, quod per alium gaudet effectum.

Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam.
Sicut ablactatum est super matrem suam, sic retributio in animam meam.

Mens perfectæ humilitatis delectat à proposito, intrepidè de hac se lege constringi, ut cuidam maledictioni fiat obnoxia, si alta sapere, & de aliquibus miraculis uoluerit superbire. Sicut ergo malè agitur cum infante nondum idoneo ad perfectionem solidioris cibi, si à matris uberibus auferatur, cùm substantia alimoniæ eius in matre sit: Ita, inquit, retribuatur animæ meæ, ut cùm panem angelorum edere nõ ualeam, potum materni lactis amittam: & cùm ea quæ supra me sunt, adprehendere non queam, humilitatis bono caream, in quo salubrius est proficere, quàm timere.

Speret Israël in domino ex hoc nunc, & usque in seculum.

Verus ergo Israël, quæ sibi sint in domino præparata prospiciens, totam spem suam confirmet in domino, & quæ sursum sunt sapiat, non quæ super terram: non temporalem quærat gloriam, sed æternam: ne

dum bona fallacia amat, uera non capiat. C

PSALMVS CXXXI.

MEmento domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius:

CONGRVIT quidem perſonæ beati Dauid, ut apud dominum memoriam haberi cupiat mãſuetudinis ſuæ, cuius obſeruantiſsimus fuit, & de qua ſecundum hiſtoriam teſtis eſt ordo geſtorum. Sed altiore intellectu ſermo propheticus accipiẽdus eſt, ut ſcilicet ad illum hominem, qui in capite, & in corpore, id eſt, in Chriſto & eccleſia unus homo eſt, hæc uerba referantur: quibus plenè utitur tota Dei ciuitas, & omnis compago ſanctorum, manſuetudine potentium, & humilitate ſublimiũ, huiusq́ propoſiti uotum offerentiũ Deo, ut tabernaculum ipſius efficiantur, & templum, quod anima omnis fidelis quodam inſolubili iuramento profitetur & ſancit, cupiens ſe inæternum à domino poſsideri, & habitaculum eſſe ſpiritus ſancti.

Sicut iurauit domino, uotum uouit Deo Iacob:
Si introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero in lectum
ſtratus mei:
Si dedero ſomnum oculis meis, aut palpebris meis dormitationem, D
Et requiem temporibus meis, donec inueniam locum domino,
tabernaculum Deo Iacob.

In his omnibus uoti perſeuerantia, & fidei feruor oſtenditur. Vt enim quis locus ſit domino, & tabernaculum Deo Iacob, à propria utilitate, ad bonum debet commune tranſire: non in ſe requieſcere, nec in ſuis delectationibus dormitare: quod faciunt, qui ſua quærunt, nõ quæ IESV Chriſti: quæ autẽ ſunt IESV Chriſti, nõ ſingulorũ membrorũ, ſed totius corporis bona ſunt, & nullus nõ habet, de quibus nemo nõ gaudet. Fit ergo locus domini, & tabernaculum Dei Iacob, qui eccleſiæ coaptatur, qui corpori Chriſti per ſpiritum charitatis unitur, nec uſquã alibi beatus fieri cupit, niſi in illa domo, de qua dicitur: Beati omnes, qui habitant in domo
Pſal. 38. tua, in ſecula ſeculorum laudabunt te.

Ecce audiuimus ea in Effrata, inuenimus eam in campis ſyluæ.

Effrata nomen Hebræum, interpretatur Latine ſpeculum, in quo propheticæ ſignificationis imago præceſsit: per ſpeculum enim prophetiæ, adnunciata hæc ſedes, uel habitatio Dei, de qua dicitur, Ecce audiuimus ea in effrata, id eſt, in eloquijs prophetarũ. Inuenimus eam in campis ſyluæ: hoc eſt, in altitudine gentium, in quibus fuerunt uepres idololatriæ, concretiones

A cretiones errorum,& syluestres incultarum mẽtium feritates. Quod ergo audiuimus ex libris Iudæorum,manifestum est in fide gentium.

Intrabimus in tabernacula eius,adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius.

Qui intrant,ut inhabitent,ipsi sunt,qui,ut inhabitentur,intrantur: & hi sunt in domo Dei,qui sunt domus Dei,ut uerè in regno Dei sint, quibus dici potest,Regnum Dei intra uos est. Adorant ergo isti in loco ubi Luc. 17.
steterunt pedes,uel ipsius domus permanentes in domino: uel ipsius domini,qui domus perseuerantis habitator est. Sicut autem non est locus adorandi,nisi in ecclesia catholica: ita nemo potest dicere dominum IESVM Christum,nisi in spiritu sancto. 1. Cor. 12.

Exurge domine in requiem tuam,tu & archa sanctificationis tuæ.

Ecclesia,id est,corpus Christi,capiti suo dicit: dormisti per conturbationem crucis, surge in requiem æternitatis, tu & archa sanctificationis tuæ:ut gloria resurrectionis,non solùm in capite membrorum, sed etiam in membris capitis impleatur: quæ membra archa sunt sanctificationis Deo,siue per incarnationis ueritatem, siue per gratiæ electionem: ut in persona mediatoris Dei & hominum hominis Christi IESV intelligatur,& altare propitiationis,& archa sacrificij,& archa doctrinæ.
B

Sacerdotes tui induantur iustitia,& sancti tui lætentur.

Te,inquit,resurgente à mortuis,& eunte ad patrem, regale illud sacerdotium induatur fide, quia iustus ex fide uiuit: & accepto pignore spiritus sancti,lætentur membra spe resurrectionis,quæ præcessit in capite.

Propter Dauid seruum tuum,non auertas faciem Christi tui.

Hoc Deo patri dictum est, ab ecclesia supplicante, ut meminerit promissionum suarum in domum Dauid: ne omne Israëliticum genus pereat,propter facinus impiorum:qui licet receperint, & recipiãt quod merentur,multa tamen ex ipsis milia iustificata sunt per fidem, & inde Apostoli,inde doctores,inde tot martyres, & primogeniti, totius adoptionis electi,ut frumenta discernerentur à paleis, & reliquiæ saluæ fierent. Pro quibus & dominus in cruce orabat dicens: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Luc. 23.

Iurauit dominus Dauid ueritatem,& non pœnitebit eum,

Sicut iuramenti nomine, in Deo constitutio significatur incommutabilis ueritatis:ita pœnitentiæ appellatione, conuersio sententiæ demonstratur. Vnde ideo dicitur dominus non pœnitere, quod statuit nunquam

quam immutare: quo quid aliud, quàm æternitas donorum, & iudiciorum eius ostenditur? C

De fructu uentris tui ponam super sedem tuam.

Dauid in quo persona est capitis & corporis, id est, Christi & ecclesiæ, hanc promissionem accepit, quòd fructus uentris eius super sedem ipsius esset ponēdus, cuius regnum manet in æternum: qui ideo fructus uentris dicitur, quia saluator secundum carnem uirginis matris est filius conceptus, non per uirilem coitum, sed per spiritum sanctum.

Si custodierint filij tui testamentum meum, & testimonia mea
hæc quæ docebo eos:
Et filij eorum usque in æternum sedebunt super sedem tuam.

Custodibus testamenti, hæreditas pollicitationum, & æterni regni beatitudo promittitur, qua non solùm filij Dauid, sed etiam filiorum eius filij ditabuntur: sed hanc gloriam, semen fidei, non carnis propago consequitur, & in toto mundo qui sunt in fide sanctorum patrum, ipsi in honore numerantur hæredum.

Quoniam elegit dominus Sion, præelegit eam in habitationem sibi. D

Sion ipsa est ecclesia, & ipsa est Hierusalem cœlestis, ad cuius pacem currunt, qui etiam nunc peregrinantur: ipsa est ciuitas Dei, quæ ex meliore sui parte, semper cum autore suo mansit: & partem, quæ per Dei gratiam quotidie ab exilio reuocatur, expectat, ut simul tota sit sui habitatoris ædificatio.

Hæc requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam præelegi eam.

Apparet quàm ineffabili dilectione, ecclesiam suam diligat Deus, quādo eam requiem, qua ipsam facit requiescere, suam dicit: cum inde mutabilem deitatis tranquillitatem nullius unquam laboris perturbatio fatigaret. Huius uerò tanti muneris quæ principalis causa sit, plenissimè demonstratur, cùm dicit, Quoniam præelegi eam: secundum quod in Euangelio dominus ait: Non uos me elegistis: sed ego elegi uos. Ioan. 15.

Viduam eius benedicens benedicam: pauperes eius saturabo panibus.

Tota ecclesia Dei, in dominum sperans, & humilitate proficiens, formam uiduæ gerit, quę, quoniam consolationem huius mundi non habet,

instat

A instat oratione nocte & die, & solo, & diuino fidit auxilio. Pauperes quoque hi significantur, de quibus dicitur: Beati pauperes spiritu. Et: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur: Cibo utique gratiæ, & pane iustitiæ, ut educant illum, qui dicit: Ego sum panis, qui de cœlo descendi. Viduitas igitur, & paupertas, non in solis mulieribus maritorum consortio destitutis, neque in eis tantùm, qui inopia laborant intelligatur: sed in omnibus membris corporis Christi. Quia aliud est, quod tolerat labor necessitatis, aliud quod elegit amor religionis. Matth. 5. Ioan. 6.

Sacerdotes eius induam salutari: & sancti eius exultatione exultabunt.

Salutaris, id est, salutem adferens, Christus est, quo quisquis regeneratus induitur, dicente Apostolo: Quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis. Et hoc uniuersa ecclesia sub nomine adsequitur sacerdotum: quia totus populus Christianus sacerdotalis, atque regalis est. Verùm plenius hoc ipsi rectores plebis accipiunt, qui specialius summi pontificis, & mediatoris personam gerunt. Gal. 3.

Illic producam cornu Dauid:

B In cornu altitudo significatur, non in se, sed in domino gloriantium: quia sublimitas cornuum, mensuram totius carnis excedit.

Paraui lucernam Christo meo.

Id est, præmisi ante ipsum prophetiã, cuius lumine uterentur, qui erant in ignorantiæ tenebris constituti. Vnde & beatus Petrus apostolus dicit: Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis intendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco. Et ipse dominus ait de Baptista Ioanne, Ille erat lucerna ardens & lucens. Merito ergo, sancti exultatione exultabunt, quia non in se, sed in domino glorificantur. 2. Pet. 1. Ioan. 5.

Inimicos eius induam confusione: super ipsum autem florebit sanctificatio mea.

Apertè significatum est, quid debeatur inimicis gratiæ Christi, & quæ in ipso sanctis gloria præparetur, cum Christus in toto suo corpore refulgebit, & erit dominus omnia in omnibus.

PSALMVS CXXXII.

ECce quàm bonum & quàm iocundum, habitare fratres in unum.

BONA & iocunda habitatio eſt, quæ inter filios adoptionis efficit unitatem, & præter corpoream ac localem habitationem, fraternos animos fidei pace connectit: quod tunc uerè impletur, cùm in unum caput, totius corporis Chriſti, omnia fidelium membra concurrunt. C

Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam illius Aaron.

Per Aaron ſacerdotem, ille indicatur ſacerdos, qui ueri pontificis ſacramentum, non in alieni generis hoſtia, ſed in oblatione corporis & ſanguinis ſui ſolus impleuit: idem ſacerdos, idem uictima, propitiator, & propitiatio, omniumq; myſteriorum, quibus nuntiabatur, effector: qui mortuus, ſepultus, reſuſcitatus, aſcendit in cœlos, naturam humanam ſuper omne nomen exaltans, & mittens ſpiritum ſanctum, cuius unctio omnem eccleſiam penetraret. A' capite enim, id eſt, à Chriſto, manans benedictio, non ſolum in barbam, ſed etiam in ora ueſtimenti eius, id eſt, uſq; ad infima membra deſcendit. In barba autem, quæ unguentum fluens à capite prima ſuſcepit, Apoſtoli ſignificantur, & martyres, in quibus uirtus capitis, & ſacramento eminet, & exemplo.

Quod deſcendit in ora ueſtimenti eius, ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.

D

Roris deſcenſio, ſupernæ gratiæ ſignificatio eſt, quæ ſanctorũ eſt origo meritorum. Hermon autẽ interpretari dicitur flumẽ exaltatum, quod intelligitur Ieſus Chriſtus, qui aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Ab ipſo enim in Sion, id eſt, in eccleſiam, uenit pluuia chariſmatum, exoritur ex tota compage fructus benedictionum, & fortitudo uirtutum.

Quoniam illic mandauit dominus benedictionem, & uitam uſque in æternum.

Gratia roris Hermon, ibi deſcendit, ubi per unitatem charitatis habetur participatio benedictionis: ipſi enim in unum habitant, qui in Chriſto concorditer uiuunt: & in diligendis non ſolum fratribus, ſed etiam inimicis, ſeruant præceptum, quo pro perſecutoribus ſuis iubẽtur orare: quando pro inimicis ſuis eſt mortuus dominus, qui eos facit participes æternitatis, quos imitatores habuerit dilectionis.

PSALMVS CXXXIII.

ECce nunc benedicite dominum, omnes ſerui domini:
Qui ſtatis in domo domini, in atrijs domus Dei noſtri.

NVNC

A NVNC, inquit, id est, in hoc tempore tribulationum, & angustiarum, in tempore persecutionum, & lachrymarum, benedicite dominum, omnes qui uno corde, & uno spiritu, in confessione, & in laude domini permanetis: stantes, id est, perseuerantes, in latitudine fidei, & spei, & charitatis.

In noctibus extollite manus uestras in sancta, & benedicite dominum.

In aduersitatibus, ait, quæ diem uitæ huius obscurant, nolite deficere, sed manus uestras in opere sanctitatis extollite, ut benedictiones, quæ uoce promuntur, in conuersationis uestræ pietate uideantur.

Benedicat te dominus ex Sion, qui fecit cœlum & terram.

Plures hortatus est ut benedicerent dominum, & ipse unum benedicit, quia ex pluribus unum fecit, ut omnis ecclesia, cuius corpus unum, & anima una, benedictionem tanquam homo unus accipiat.

PSALMVS CXXXIIII.

B *Laudate nomen domini, laudate serui dominum:*
Qui statis in domo domini, in atrijs domus Dei nostri.

BONA cohortatio, & utilis, qua in domini laudem serui ipsius incitantur, cùm utique hoc non egeat Deus, cuius gloria, nec minor se potest esse, nec maior. Sed quia tali officio proficiunt laudatores, & discunt eum timere, atque amare quem laudant, persistat fidelis deuotio, in diuinarum confessione uirtutum, ut obseruantia consuetudinis, fiat sacrificium uoluntatis. Quales autem esse debeant prædicatores Dei, consequenter ostenditur, cùm dicitur: Qui statis in domo domini, in atrijs domus Dei nostri: id est, qui in præceptis Dei infatigabiles permanetis, ex hoc ipso quòd in domini domo statis, ipsi gratias agitis, qui soluit compeditos, illuminauit cæcos, erexit elisos, & dedit uobis spiritum intelligentiæ, qui uos in dilectionem, & in laudem eius accenderet.

Laudate dominum, quoniam bonus dominus: psallite nomini eius, quoniam suauis est.

Laus domini, nec uberius significari, nec plenius potest, quàm cùm dicitur bonus: uerùm hoc non cum cæteris bonis, quæ non sunt, nisi per ipsum,

ipſum, ſed præ omnibus ſingulariter intelligendum eſt: quia aliud eſt C bonum, omnia bona faciens, & autorem ſui non habens: aliud, quod niſi fieret, eſſe non poſſet. Vnde dicitur: Nemo bonus, niſi unus Deus. Nec eſt ulla creatura comparabilis creatori, quæ ſi quid boni habet, non eſt ei proprium, ſed acceptum. Hoc itaq; ſummum, & incommutabile bonum, laudatoribus ſuis participationem ſuæ ſuauitatis impertit, per hoc quòd æqualis patri filius Dei factus eſt, mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus. Ipſe eſt enim ſecundum quod uerbum caro factum eſt, panis hominum, qui deſcendendo ad nos, per nos, nobis ad ſe, per ſe fecit aſcenſum: & bibendo calicem noſtræ infirmitatis, fecit nos calicem ſuæ guſtare uirtutis: ut agnoſceremus & confiteremur quoniam ſuauis eſt dominus.

Quoniam Iacob elegit ſibi dominus, Iſraël in poſſeſsionem ſibi.

Tota ſuauitas bonitatis Dei in gratia ipſius demonſtratur: quia Iacob elegit ſibi dominus, & Iſraël in poſſeſsionem ſuam fecit: excipiens illam ſibi domum, quam ſpecialius eligeret, & ornaret. Quamuis enim omnes gentes ipſe condiderit, hanc tamen non ſicut aliam commiſit angelis, ſed ſuo nomini propriè deputauit, ita diſponens ſacramentum uocationis ſuæ, ut electio Iſraël, ad ſalutem omnium gentium pertineret promiſsionis filijs, in æternam hæreditatem, non ex carnis propagine, ſed ex regenerationis adoptione uenturis. D

Quoniam ego cognoui quia magnus eſt dominus, & Deus noſter ſuper omnes Deos.

Contemplatio prophetica altiora operum Dei ſecreta conſpiciens, Ego, inquit, cognoui quàm magnus eſt Deus, & quòd propoſitum eius, atque conſilium nullo explicatur eloquio: ſed quia ſuper omnem potentiam excellit omnipotens, neque ulla natura eſt, ſuper quam non creator eius emineat: commemorentur de conditis, per quæ intelligantur mirabilia conditoris.

Omnia quæcunq; uoluit dominus fecit in cœlo & in terra: in mari, & in omnibus abyſsis.

Quidquid creaturarum eſt in cœlo, & in terra, in mari, & in abyſsis, Deus fecit: nec eſt ulla natura, ulla'ue ſubſtantia, quæ non præcepto eius extiterit. In creanda autem uniuerſitate rerum, atq; formarum, non operatio fuit laboris, ſed ratio uoluntatis, quam nullum præceſsit tempus, nullus eſt moratus effectus. Hanc potentiam homo totius mundi conſyderatione cognòſcens, confiteatur: quia cùm in agro cordis ſui, aliquid boni

A boni nascitur, de opere, & munere est cœlestis agricolæ, qui ea quæ instituit per naturam, & corrupta sunt per inobedientiam, dignatur reparare per gratiam.

Suscitans nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit.
Qui producit uentos de thesauris suis.

Hæc omnia in toto mundi corpore, Dei nutu, & Dei aguntur arbitrio: quæ utique cum multa admiratione laudanda sunt, & in eis intelligendum est, quæ operetur Deus in ipsis hominibus, quos ad imaginem & similitudinem suam fecit, & refecit.

Qui percussit primogenita Aegypti ab homine usque ad pecus.

Primogenita hominum, sunt principia bonæ, & probabilis uitæ, quæ initium sumit ex fide. Cùm igitur aliquid Christiani, aut schismata, aut hæreses mouent, & ecclesiam Dei, quibus possunt afflictionibus, impetunt, fiunt Aegyptij, quorum nomen, interpretatur, afflictio populi Dei: & percutiuntur in primogenitis suis, id est, in fide, quæ dum à charitate ecclesiæ desciscit, extinguitur. Hæc autem pessima plaga in homines. Percutiuntur & pecora, hoc est, qui sapientium, doctorumque speciem gerunt: & hi qui pro causa stultitiæ & imperitiæ, possunt pecoribus comparari.

B *Immisit signa & prodigia in medio tui Aegypte, in Pharaonem & omnes seruos eius.*

Nihil habent bonæ significationis eorum nomina, in quos iram suam dominus effundit: nam & Phare dissipationẽ: & Aegyptijs adflictionem sonat. Adflictio regem habet dissipationem, quia illi, qui adfligunt ecclesiam, dissipati adfligunt, & regi suo sua primum euersione famulantur.

Qui percussit gentes multas, & occidit reges fortes.
Seon regem Amorreorum, & Og regem Basan, & omnia regna Chanaan.

Interfectiones quidem regum, & gentium aduersantium populo Dei, ita ut narrantur, impletæ sunt: sed quia propheticus est textus historiæ, non carent figuris scriptorum nominum qualitates, ut per interpretationum significationem, cognoscat ecclesia, quorum maximè hostium cæde saluetur. Interpretatur namque Seon, tentatio colorum, & Amorrei interpretantur, amaricantes. Cùm itaque tentatio colorum non sit, nisi mendacium, quod ut facilius obrepat, colorem sibi ueritatis adsumunt, quid mirum si amaricantes, mendacis regis simulatione ducuntur? quoniam

& ipse

& ipse mendacij pater diabolus, transfigurat se in angelum lucis: & tentatio colorum contrarios ueritati faciat esse, quos decipit: sed hi homines spiritaliter occiduntur, cùm moriuntur diabolo, ut uiuant Deo: & qui crediderãt mendacio, credant potius ueritati. Manus autem Dei quia successiones, & uiuificationes facit, Og regem, & Basan, populum eius interimit. Og enim interpretatur conclusio: & Basan interpretatur confusio. Talis quippe conclusio intercludit uiam, quæ ducit ad dominum, & interceptos ad confusionem perducit, & iniquos modo concludit, ne credant in Christum: quando Christus apparuerit, confundentur, nisi nunc gratia conuertente mutentur. Chanaan uerò, interpretatur paratus humilitati. Quæ humilitas pœnalis intelligenda est, quæ paratur superbis, qui modo non in humilitate, sed in elatione sunt positi, & præordinantur in id quod retribuendum est uanitati. C

Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israël populo suo.

Fit hoc quotidie: nam quod alij per meritum suum perdunt, alij per gratiæ munus acquirunt: quoniam Iacob elegit sibi dominus Israël in possessionem sibi: & habenti dicitur: Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.

Apocal. 3.

Dominus nomen tuum inæternum: & memoriale tuum in generatione & generationem. D

Id est, uirtutum tuarum miracula non cessabunt, & quæ operatus es significando, operaberis indesinenter implendo. Memoriale autem domini in eo intelligitur, quòd non obliuiscitur promissionum suarum, sed omnino efficit, quod spopondit, & hoc fit à generatione in generationem: quia alia est generatio hominum, qua nascuntur mundo, alia qua renascuntur Deo: Sed in utraque sub altissimo iudicio Dei, & opus naturæ impletur, & gratiæ.

Quoniam iudicabit dominus plebem suam, & in seruis suis deprecabitur.

Excepto iudicio futuro, iam iudicata est plebs Iudæorum. Quid est iudicata? separati inde sunt iusti, & remanserunt iniusti. Audi dominum dicentem, In iudicium ueni in hunc mundum, ut qui non uident, uideant, & qui uident cæci fiant: excæcati enim sunt superbi, illuminati sunt humiles: & hoc in uno populo, qui & Iacob, & Israël generaliter appellatur: una enim persona est domus Iacob, & domus Israël: una gens, una plebs: hanc inuitat, & hanc dimittit, mites à ferocibus, credentes ab infidelibus separando.

Ioan. 9.

A separando. In seruis suis igitur deprecabitur dominus: id est, inuocabitur, uel exorabitur, & in omnibus nationibus erunt homines Israeliticæ dignitatis, cùm Iudæi ex maxima sui parte erunt impij, & ueritatis inimici: sed quia spiritalis Iacob ex omni gente adsumitur, idolorum cultoribus infidelitatis cæcitas exprobratur.

Simulacbra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.

Omnes ex quacunque natione uerum Deum nescientes, & Christi Euangelio resistentes, idolorum cultores sunt: & cùm in cordibus suis falsitatum dogmata fabricantur, id quod finxerint, simulachrum est: & si quid ratiocinando munierint, id argenteum uidetur, aut aureum: qui ita humanæ sapientiæ argumentis & eloquio coloratur, ut reuerentiam sibi pro mendaciorum arte conciliet. In huiusmodi ergo figmentis, opera sunt manuum hominum, quæ humanus error excogitauit, non doctrina ueritatis instituit.

Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non uident:
Aures habent, & non audiunt: nares habent, & non odorabunt:
Mánus habent, & non operantur: pedes habent & non ambulabunt.
Non clamabunt in gutture suo: nec enim est spiritus in ore eorum.
B *Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.*

Propriè quidem hæc de paganis dici uidentur: sed etiam hæreticos comprehendunt, qui dum falsis inhærent, & impia hominum commenta sectantur, omnia rationalis uitæ officia perdiderunt. Nam quid est habere oculos, & non uidere, quàm in errorum nocte uersari? Habere aures, & diuinæ inobedire doctrinæ? Habere nares, & bonum Christi odorem non capere? Pedes habere, & uocantem non sequi gratiam? Habere linguam, & non loqui ueritatem? Habere manus, & sine opere esse iustitiæ? Quia omne quod non est ex fide, peccatum est. Mendaces igitur conformabuntur mendacio: & quo magistro fidunt, cum eodem confundentur: & tamen ex ipsis quotidie commutantur per miracula Dei: quotidie aperiuntur oculi cæcorum, & aures surdorum: inspirantur nares insensatorum: resoluuntur ora mutorum: fiunt operariæ manus paralyticorum: diriguntur pedes claudorum: ex lapidibus excitantur filij Abrahæ, quibus omnibus simul dicatur: Rom. 14.

Domus Israël benedicite dominum: domus Aaron benedicite dominum.
Domus Leui benedicite dominum:

Quia omnes hos gradus, quos una gens habuit, per ipsam fidem, qua

Qq illa

illa iustificata est, totus mundus obtinuit: & in cunctis iam nationibus C inuenitur Abraham credentium pater.

Qui timetis dominum, benedicite dominum.
Benedictus dominus ex Sion, qui habitat in Hierusalem.

Habitatio Dei, non est illa Hierusalem, quæ cecidit: sed est in cordibus fidelium, atque sanctorum, ex quibus ædificatur æternum templum Dei, cum compage angelorum, qui nunquam à domino recesserunt. Benedicit ergo ecclesia dominum, ex Sion, id est, de specula, ex qua promissiones Dei prospicit uenturas in Hierusalem, id est, in uisionem pacis, ubi iam nullum periculum infirmitatis, nulla erit aduersitas tentatoris.

PSALMVS CXXXV.

Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

PSALMVS iste laudem continet Dei, & eodem modo in omnibus suis uersibus terminatur, ut quicquid operum Dei percurritur, ideo intelligatur effectum, ut bonitatis, & misericordiæ eius manifestaretur æternitas. Quamuis enim post iu- D dicium, quo in fine seculi, uiui & mortui iudicandi sunt, missis iustis in uitam æternam, impijs autem in ambustionem æternam, non sint deinceps futuri, qui diuinæ gratiæ dispensatione saluandi sint: rectè tamen intelligi potest, inæternum futuram misericordiam eius, quam suis sanctis, fidelibusque largitur, quoniam ea beatitudo, quam ex Dei misericordia consequentur, nulla unquam tentatione pulsabitur: sed in æterna pace, & gloria, incommutabilis permanebit: quod opus ineffabilis pietatis, quia in sempiterno Dei proposito, atque consilio fuit, ut per temporalia præordinarentur æterna: mirè totius mundi, elementorumque conditio propter hanc misericordiam dicitur instituta, cui perficiendę omnium rerum ordo seruisset.

Confitemini Deo deorum, quoniam inæternum misericordia eius.
Confitemini domino dominorum, quoniam inæternum misericordia eius.

Deorum nomen cùm in bono positũ reperitur, secundum gratiam in- 1. Cor. 8. telligendum est, non secundum naturam, dicente Apostolo: Nam etsi sunt, qui dicuntur Dij, siue in cœlo, siue in terra: quemadmodum sunt dij multi, & domini multi: sed nobis unus Deus pater, ex quo omnia, & nos per ipsum. Qui ergo sunt filij Dei, & per adoptionis sacramentum diui- næ fiunt

A næ fiunt consortes naturæ, habent huius nominis donum: quia uni Deo seruiunt, uni domino uoluntaria subiectione famulantur. Dij autem gentium dæmonia, quæ quoniam gaudent se ab errantibus coli, inæternum ignem cum suis cultoribus damnabunt.

Qui facit mirabilia magna solus, quoniam inæternum misericordia eius.

Possunt ea mirabilia accipi à Deo solo facta, quæ neq; per angelos, neque per homines sunt effecta: sed sola Dei operãte uirtute: quamuis enim ipse operetur omnia in omnibus, naturas tamē cunctarum creaturarum, cœlum, & cœlestia, terram & mare, cum uniuersis, quæ in eis sunt, solus instituit: non quòd sine filio suo uerbo, aut spiritu sancto aliquid fecerit pater: sed quia trinitas unus Deus est, qui creaturas, non per creaturam fecit, sed sola potentia Deitatis. Quod autem in secundis dicitur, Quoniam in seculum misericordia eius: ad reparationem humani generis referendum est, quod Dei misericordia per sacramentum regenerationis uitæ reddit æternæ.

Qui fecit cœlos in intellectu: quoniam in seculum misericordia eius.

B In intellectu facti sunt cœli, ad erudiendam eam creaturam, quæ ad cognitionem sui prçordinabatur autoris: inuisibilia enim Dei, sicut ait Apo- Rom. 1.
stolus, à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque uirtus eius, & diuinitas: & hic idem propheta dicit: Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciant firma- Psal. 18.
mentum. Quia maiestatis inuisibilis pulchritudo, & per corpoream creaturam incorporeus creator agnoscitur.

Qui firmauit terram super aquas: quoniam in seculum misericordia eius.

Bene quidem intelligitur super aquas terra fundata, in eo, quod circunfluentibus aquis supereminet, & ita etiam in infimis natura inuenitur humoris, ut ei solidum subdatur elementum. sed secundum sacramentum ecclesiæ, quod per totum mundum in regenerationis lauacro celebratur, sacratius hoc accipitur dictum de præparatione baptismatis, supra quod naturæ humanæ terra fundatur, ita ut ab aquis tota æterni templi structura consurgat.

Qui fecit luminaria magna solus: quoniam in æternum misericordia eius.

Ideo & hic addidit solus, quia cætera mirabilia, quæ dicturus est, aut

per homines, aut per angelos fecit. C

Solem in potestatem diei: lunam, & stellas in potestatem noctis.

Splendor solis in die potens est, & lunæ, & stellarum in nocte: sed hæc præter utilitatem, quam mundo uicibus suis præbent: & præter decorem, quo totius mundi augetur ornatus, dant significationem spiritualium gratiarum. Nam præcipuum fidelium cordium lumen est, ueniens ab ipso iustitiæ sole sapientiæ: secundum autem lumen est, scientiæ, quæ inter seculi huius obscura dat quodammodo lunare solatium: deinde plurimorum charismatum munera stellarum ignibus merito comparantur, ut ambulantibus per difficilem uiam nunquam desit cœleste præsidium.

Qui percussit Aegyptum cum primogenitis eorum.

Nulla pars mundi est, quam non percutiat gladius ueritatis, ut Christo præcipua quæque subdantur.

Qui eduxit Israël de medio eorum.

Quotidie sancti ab iniquis, & aduersis tribulationibus eruuntur.

In manu potenti, & brachio excelso. D

Ioan. 12. Quid potentius eo, de quo dictum est, Et brachium domini cui reuelatum est?

Qui diuisit Rubrum mare in diuisiones.

Rubri maris diuisione significatur baptismus Christi, in quo fiunt diuisiones, ut una res alijs sit in uitam, alijs in mortem: in uitam fidelibus, in mortem persecutoribus.

Et eduxit Israël de medio eius.

Et educit populum suum dominus innouatum per lauacrum regenerationis.

Et excussit Pharaonem, & uirtutem eius in mare rubrum.

Perit in aquis rex peccati: & baptizatis reatus excutitur.

Qui traduxit populum suum in deserto.

Traducit & nos per huius mundi ariditatem, & sterilitatem, ne in ea pereamus.

Qui

A *Qui percußit reges magnos, & occidit reges fortes.*

Percutit, atq; occidit etiam per nos diabolicas, & noxias potestates, quoties dat uictoriam per dominum nostrum IESVM Christum.

Seon regem Amorreorum.

Germen inutile, quod interpretatur Seon: & regem Amorreorum, quod interpretatur amaricantium, percutit per ecclesiam suam dominus.

Et Og coaceruantem Basan.

Hoc est, confusionis: quid enim coaceruat diabolus nisi confusionem?

Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israël populo suo.

Dat etiam, quos diabolus posidebat, hæreditatem semini Abrahæ, quod est Christus.

Quia in humilitate nostra memor fuit nostri, & redemit nos ab inimicis nostris.

B Redemit nos sanguine unigeniti sui.

Qui dat escam omni carni.

Hæc est esca, de qua dominus dicit: Caro mea uera est esca, quæ datur Ioan. 6. omnibus gentibus. Quia nullus renatorum fidelium ab esu eius excipitur.

Confitemini domino cœli, confitemini domino dominorum: quoniam in æternum misericordia eius.

Quod hic ait, domino cœli, hoc uidetur superius dixisse Deo deorum: & quod ibi subdidit, hoc etiam hic connexuit: Confitemini domino deorum: ut si sunt qui dicantur dij, & domini, siue in cœlo, siue in terra, nobis tamen unus sit Deus pater, ex quo omnia, & nos in ipso: & unus dominus IESVS Christus, per quem omnia, & nos per ipsum, cui confiteamur: quoniam in æternum misericordia eius.

PSALMVS CXXXVI.

SVper flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, cùm recordaremur Sion.

PROPHETIA Psalmi non solum hoc denuntiat, quod secundum gerendarum rerum ordinem ad Israëliticum populum proprie pertinebat, sed etiam quod in omni ecclesia Dei, quæ in toto mundo est, agitur, & impletur: uniuersi enim fideles, qui ciues sunt Hierusalem, & in hoc seculo peregrinantur, aptè his uocibus, & congruenter utuntur, ut dicant quod Psalmi uerba pronuntiãt. Nam qui fide iustificati sunt, & spe salui facti, ad patriam cœlestem, angelicamq; desiderant recordantes promissionis Dei: flent, & gemunt de habitatione terrena, quæ in quacũq; sui parte Babylonia est, & flumina eius sunt omnes illecebræ temporales siue in moribus, siue in opinionibus, quas sibi quisq; delegerit, in quibus nihil stabile, nihil firmũ est, sed omnia fluida, & in maris profunda ducentia. Qui autem quæ sursum sunt sapiunt, non quæ super terram, sedent quidem super mundi flumina, atque torrentes, sed tamen cursu aquarum labentium non trahuntur, nec miscentur confusioni, quam interpretatur Babylon, sed recordantes Sion, quæ exprimitur specula, in quod Deus promisit, intendunt, & à temporalibus ad æterna proficiunt. C

In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra.

Habent organa sua ciues Hierusalem, scripturas Dei, præcepta, & promissa Dei, & meditationem quandam futuri seculi: sed cum aguntin medio Babyloniæ, organa sua in salicibus eius suspendunt. Ligna autem Babylonis fluminibus rigata, & nullum fructum afferentia, similitudinem gerunt hominum sterilium, qui mundanis pascuntur illecebris, & nulla sunt uirtute fœcundi, nec possunt eis ulla diuinarum semina scripturarum inseri, quia capaces non sunt præceptorum Dei: & meritò in eis differendo suspenditur, quod pro sua insipientia audire non possunt. D

Quia illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos,
uerba canticorum:
Et qui adduxerunt nos, hymnum cantate nobis de canticis
Sion.

Omnes homines prima trãsgreßione à diabolo captiuati sumus: quoniam qui facit peccatum, seruus est peccati: sed ab hac captiuitate redemit nos suo sanguine IESVS Christus. Pars ergo qui captiuatoribus suis uolens seruit, & eis delectatur, quæ hostibus placent, præbet se ministram ad impugnandos redemptos, & per ipsam diabolus, quicquid contra sanctos audet exequitur: ut meritò ipse agere dicatur, quod per homines sibi subditos gerit. Interrogant ergo Christianos pagani, & impij eorum quorunq;

A quorunque dogmatum sectatores, quæ nobis religionis sit ratio, quæ utilitas in fide Christi, qui'ue sit fructus: & interrogatio eorum non ueritatem uult discere, sed credentium corda turbare: unde à talium auribus suspendenda sunt organa: nec canticorum, hymnorumque nostrorum sacramenta pandenda: nec sanctum detur canibus, & iaciantur margaritæ ante porcos. Volentibus igitur de confessione fidei nostræ instruere calumnias suas, respondendum est quod ait Psalmus:

Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena?

Homo deditus carni, deditus mundo, seruiens uanitatibus, plenus erroribus, terra aliena est, in qua seri sacra semina, quæ sunt diuina cantici uerba, non possunt: quia nisi in Sion, id est, in ecclesia, non congruè celebratur diuina laudatio: ne ergo per alienorum contagia quædam cœlestis patriæ irrepat obliuio, quodam iureiurando confirmanda est fides, & dicendum:

Si oblitus tui fuero Hierusalem, obliuiscatur me dextera mea.

Dextera nostra est uita æterna, sinistra est uita temporalis: illa plena spe beatitudinis, hæc plena periculo perditionis. Quicquid fit propter B uitam æternam, dextera operatur: sinistrum uerò est quicquid propter gaudia transitoria aut optatur, aut agitur: & in obliuionem uenit dextera sinistræ, quum uirtutis amor, & consuetudo superauerit. His ergo, qui ab Hierusalem charitate discedunt, hoc contingit, ut obliuiscatur eos dextera eorum. Vita enim æterna in se manet: illi autem remanent in delectatione mortifera, amplectentes mala pro bonis, falsa pro ueris, sinistra pro dexteris.

Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non præposuero Hierusalem in principio lætitiæ meæ.

Obmutescam, inquit, nisi tui meminero. Quid enim loquitur, aut quid sonat, qui cantica Sion in laude non sonat? Eloquium linguæ nostræ est Hierusalem canticum. Os autem carnalia loquens, & secularia canens, mutum est, & obstructum: quia inde delectatur, unde confunditur. Verus ergo Hierusalem amator, & ciuis, hac se lege constringit, ut huius pœnæ subeat damnationem, si non omnibus iucunditatibus præposuerit cœlestis patriæ charitatem.

Memento domine filiorum Edom in die Hierusalem.

Homo Israëlita inter alienigenas constitutus precatur dominum, ut

meminerit, quia inter filios Edom, id est, Esau, & inter filios Iacob concordia esse non possit: & illæ inimicitiæ maneant, quas iam in matris utero significabat nondum natorum lucta geminorum: & post ita discreuit præscientia creatoris, ut diceret: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. C

Malach. 1. Rom. 9. Vnde omnes filij promissionis personam gerunt Iacob: Esau uero nomine tota pars infidelium figuratur. Petit igitur, ut meminerit Deus, quomodo Esau insurrexerit in Iacob: meminerit etiam diem laborum Hierusalem, quæ superbiam toleret impiorum: uel diem felicitatis eius, qua à seruitute captiuitatis quotidie eruitur, & ad æternæ patriæ bona uera perducatur.

Qui dixerunt, exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.

Persecutoribus populi Dei non sufficit qualiscunque uastatio, nisi etiam fidem, quæ sancti est ædificij fundamentum, sæua exinanitione subuertant.

Filia Babylonis misera.

Ipsa est eadem, quæ Babylon: quæ in propagine sua & mater, & filia est: mater generando: filia succedendo: infelix utique, & misera, quæ ad perditionem & generatur, & generat. D

Beatus qui retribuit tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis: beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.

Omnes primo ortu in Babylonia geniti sumus, & ab ipso carnali exordio paruulos nos accepit mundana confusio, nec aliud nobiscum egit hoc seculum, quàm ut per uarias opiniones, & diabolicas artes diuersis implicaremur erroribus. Sed de hoc generali malo innumeros eruit Dei gratia, & adhuc inter oblectamenta Babylonis morantes iam inter Hierusalem computat ciues, quòd qui beatus est, & beatos facit, eruit de tenebris, & de potestate tenebrarum, ut sint filij lucis & regni, allisi ad petram Christum, ut moriendo mundo, uiuerent Deo, deiecti & erecti, destructi & ædificati, in puluerem comminuti & in petra petra instaurante solidati.

PSALMVS CXXXVII.

Confitebor tibi domine in toto corde meo: quoniam audisti omnia uerba oris mei.

A PSALMI titulus sub nomine Dauid eum significat, qui est ex semine Dauid secundum carnem, ad quem prophetica est directa confessio, quæ laudis est diuinæ, non iniquitatis humanæ: confessionis enim nomine solet indicari confessio pœnitentis, sed hic manifestatur gratulatio laudatoris, quæ toto corde profertur: quia nulla illi alia affectio sociatur: & ideo exaudita sunt uerba oris eius: cuius oris, nisi cordis? unde sumunt ipsa uerba principium, ea ibi auribus Dei uox mentis auditur.

In conspectu angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.
Super misericordia tua, & ueritate tua,

Si in uera exultatione cordis spiritualiter Deo psallimus, coram angelis psallimus: quia non terrena, sed cœlestia sapimus: in quo pietatis officio beatitudo excellit angelica: nam carnalia desideria non psallunt nisi coram hominibus, quorum se animi supra terrena non erigunt, & qui sanctorum gaudijs interesse non possunt: quia nec adorant ad templum sanctum Dei, quod est Hierusalem, unà simul & mater, & filia: mater in angelis, filia in hominibus, quibus dicitur: Templum dei estis, & spiritus 1. Cor. 3.
Dei habitat in uobis. Confessio autem religiosa ueritatem, & misericor-
B diam Dei prædicat: ueritatem in iudicando, misericordiam in subueniendo. Non enim aliæ sunt uiæ, quibus ad nos uenit, aut aliæ quibus nos ad se prouehit.

Quoniam magnificasti super nos nomen sanctum tuum.

Magnificauit dominus super omnes nomen sanctum suum, super Abraham, & Isaac, & Iacob, super duodecim tribus Israël, quas erutas de iugo seruitutis introduxit in terram promissionis, & super uniuersas nationes, de quibus tanquam de lapidibus suscitat quotidie filios Abrahæ, ut in nomine domini Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris.

In quocunque die inuocauero te, uelociter exaudi me.

Quare uelociter? quia ipse dixisti: Adhuc loquente te dicam, Ecce ad- Esa. 58.
sum. Quare uelociter? quia non in diuersa tendo, nec superflua concupisco: sed quod docuisti peti, hoc mihi concupisco præstari.

Multiplicabis me in anima mea, in uirtute multa.

Expressum uotum secundum desiderium, & ab omni carnali cupidi-

tate

tate purgatum. Si multiplicabis me, tantummodo diceret, uideri poterat terrena aliqua conceptio: sed cum addidit, iniustitiæ, nihil est quod posit plenius, & perfectius postulari, quia summi boni significatio est in appellatione uirtutis. C

Confiteantur tibi domine omnes reges terræ: quoniam audierunt omnia uerba oris tui.

Vbique Euangelium prædicabitur, ubique apostolica doctrina discetur: In omnem enim terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ
Psal. 18. uerba eorum. Confiteantur ergo tibi domine omnes reges terræ: & quia non habent necessitatem sublimiora cupiendi, laudent te de excellentia, quam dedisti: quia latere eos iam non potest, quod eorum sceptra tua dona sunt.

Et cantent in uijs domini: quoniam magna gloria domini.

In quibus uijs, nisi de quibus dicitur: Vniuersæ uiæ domini, misericor
Psal. 24. dia, & ueritas? ut dum omnia opera Dei in his consummantur, nemo nisi in ipsius gloria glorietur.

Quoniam excelsus dominus, & humilia respicit, & alta à longe agnoscit. D

Sub oculis domini est & humilis, & elatus: sed humilem, quia placet, proximus uidet: superbum, quia displicet, longinquus agnoscit: & cum iuxtà sit his, qui tribulato sunt corde, longè tamē est à peccatoribus salus.

Si ambulauero in medio tribulationis, uiuificabis me.

Si præsentia, inquit, non amauero, & si ad promissiones tuas tendens terrenis illecebris non inhæsero, uiuificabis me, & cito exaudies, quia tribulationem mihi adferent temporalia, quem spes inuitat æterna.

Super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, & saluum me fecit dextera tua.

Protectio, inquit, brachij tui defendit me ab inimicis meis, & ut aduersitatibus nō uincerer, fecit dextera tua, quæ me à sinistris oībus liberauit.

Domine retribue pro me.

Ego, inquit, debitor sum, & conditione proprij debiti liber esse non possum: tu domine pro me retribues, qui nihil debes: & qui mortem, dum moreris, occidis, soluens mea, ut sequar tua.

Domine

A *Domine misericordia tua in æternum: opera manuum tuarum ne despicias.*

Illam, inquit, misericordiam quæro, qua temporalibus eruis, & ad æterna perducis, domine: opera manuum tuarum ne despicias, quia siue in eo quòd homines sumus, siue in eo quòd ex nostra impietate mutati, & iustificati sumus, tuarum manuum sunt opera, quibus nos & condis, & renouas.

PSALMVS CXXXVIII.

DOmine probasti me, & cognouisti me: tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam.

IN PROPHETIA Psalmi uerba sunt ipsius domini Iesu Christi, qui secundum deitatem conformis, & æqualis sit patri: tamen secundum quòd uerbum caro factum est, & habitum formæ seruilis accepit, dicet patri, Domine: qui ei & pater, & dominus est: pater formæ Dei, dominus formæ serui. Probasti, & cognouisti me: non qui nouerat, sed qui notum alijs fecerat. Sedere autem est humiliari: surgere, exaltari: unde sedit dominus in passione, resurre-
B xit in resurrectione. Quod, inquit, tu uoluisti domine, approbasti: & ideo factum est, quia sic tibi placuit. Qui autem uocem capitis ex persona corporis mauult accipere, confessionē intelligat pœnitentium, qui sedent per humilitatem pœnitudinis, & surgunt per iustificationem remissionis.

Intellexisti cogitationes meas de longe: semitam meam, & limitem meum inuestigasti, & omnes uias meas præuidisti.

Agnoscamus hic uocem illius filij minoris, qui dissipata substantia patris in longinqua discesserat: & personam gerens gentium, quæ defluxerant in idolorum culturam, tandem resipiscens ait: Surgam, & ibo ad patrem meum: & cui reuertenti occurrit pater, quia intellexerat cogitationes eius de longinquo. Semitam igitur, inquit, meam, quia discessi: & limitem meum, quousque perueni, inuestigasti: quia desertorem tua præsentia ubique concludebas. Ideo sinens me laborare uias meas, ut si perpetuò miser esse nollem, redirem ad uias tuas. *Lucæ 15.*

Quoniam non est dolus in lingua mea.

Confiteor, inquit, quòd mihi discedenti à te conteri miserijs utile fuit: Nam si bene mihi esset sine te, nollem forsitan redire ad te.

Ecce

Ecce domine tu cognouisti omnia nouissima, & antiqua. C

Antiquum peccatum, quo in primis parentibus ruimus: nouissimam pœnam, quam omnes per multos labores communi immortalitatis conditione dependimus.

Tu finxisti me, & posuisti super me manum tuam.

Omnes in uteris matrum Deo plasmante finguntur sub ea lege, quam superbiæ merito humanum genus sustinet, superposita diuinæ potentiæ manu, quæ ut humiles erigat, elatos premit.

Mirificata est scientia tua ex me: inualuit, non potero ad eam.

Mea, inquit, superbia, & discessione factum est, ut obscuraretur cor meum, nec possent mihi tua patere iudicia: dum enim meæ potestatis libertate delector, factus sum egentior, atque tenerior: ex me mihi ista difficultas conualuit: ex me extra lumen scientiæ tuæ factus sum, ad quod, nisi ex te, redire non potero.

Quò ibo à spiritu tuo, aut quò à facie tua fugiam?

Discedenti à spiritu Dei nullus inuenitur locus, qui eius præsentia, & D potestate sit uacuus: nemo iram eius fugit, nisi qui ad iratum confugit.

Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades.

Si ad cœlum extollor elatus, te inuenio resistentem: si ea, quæ infra me sunt eligam, te experiar persequentem: quia sicut malum mihi est, præsumptione erigi, ita malum est desperatione demergi.

Si sumpsero pennas meas in directum, & habitauero in postremis maris.

Iam bono consilio utitur, qui pennas suas, geminæ scilicet præsidia charitatis, quibus in directum uolet, meditatur assumere: & in ultimis maris: id est, in fine seculi huius habitare, ut tota intentio animi & temporalis uitæ conclusione sollicita non iam uanis occupetur cupiditatibus, sed ad promissiones Dei de hoc seculo ualeat euolare. Verum hoc ipsum quis efficit suis uiribus, nisi adiuuet ille, qui iubet? Propter quod sequitur, & dicit:

Etenim illuc manus tua deducet me, & adducet me dextera tua.

Considerans autem longiquitatẽ uiæ, & de laboris exitu timens, addit:

Et dixi,

A *Et dixi, fortasse tenebræ conculcabunt me:*

Hoc est, forsitan superabor aduersis, & magis magisq; tenebrabor, si perseuerantiæ finem non apprehendero.

Et nox illuminatio in delicijs meis.
Quoniam tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.

Tempus, inquit, laboris mei tempus est noctis, quam tamen gratiæ tuę splendor illuminat: Verbum enim tuum lucerna factum est gressibus meis, ut quæ mihi erant tenebræ, inciperent esse deliciæ: quia tenebræ, quæ à semetipsis obscurantur, à te lumen accipiunt: Qui ideo agentes opera tenebrarum flagellas, ne temporalium deliciarum oblectatione cæcati, bona non desideremus æterna. Nocte autem nobis lucere soles, & tanquam diem facis, quum per austera remedia ad uitam nos uocas, ut dulcia sint flagella patris, ne sit amara sententia patris. Quia ergo & aduersa uitæ istius, & secunda non carent tentatione, qua aut eleuamur, aut premimur, utrunque fit nox, si desit illa lux, quæ nec superbire nos sinat, nec desperare permittat.

B *Quoniam tu possedisti renes meos domine:*

Tu, inquit, domine non solum cor meum, sed & renes meos possides: & te habitante interiora mea, factum est, ut me aliquid lucis delectaret in nocte.

Suscepisti me ex utero matris meæ.

Qui Paulum apostolum segregauit ab utero matris suæ, ipse & nos segregauit ab utero matris suæ illius Babyloniæ: unde in nouam uitam regenerati, noua spe, nouis delicijs, noua luce gaudemus: quoniam nec felicitas seculi huius nos beatos facit: nec aduersitas miseros, si uera bona, & mansura diligamus.

Confitebor tibi, quoniam terribiliter mirificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet ualde.

Terrorem, inquit, mihi incutiunt miracula gratiæ tuæ: & unde est ratio gaudij, inde est causa formidinis. Cognoscit enim anima mea quanta operaris ut salues, & quæ mihi sint pericula cauenda, ne peream.

Non est absconditum os meum à te, quod fecisti in abscondito.

Est quædam in sanctis hominibus Dei insuperabilis fortitudo, & inui-

cta patientia, quam in eis occultè finxit Deus, & absconditam fecit, habentem osseam firmitatem, quæ nec corrumpatur secundis, nec frangatur aduersis. De qua uirtute in alio Psalmo dicitur: Veruntamē Deo subijcitur anima mea, quoniam ab ipso est patientia mea C

Et substantia mea in inferioribus terræ.

In hac, inquit, substantia fragilis, & infirmi corporis, quod est in infimis terræ, fortitudinem quærit, quæ inter sæuas tribulationes, etiam carni perseuerantiam daret.

Imperfectum meum uiderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur.

In his uerbis persona est ipsius capitis, quod nunc in se, nunc in corpore suo loquitur: quia duo sunt in carne una. De illis ergo, in quibus erat patientiæ roboranda constantia, ut ipsi pro domino pati possent, qui in eius passione titubauerant, dicit ipse: Imperfectum meum uiderunt oculi. & quia qui usque ad desperationem expauerant, usque ad uictoriæ coronas te aspiciente coronati sunt, addidit: Et in libro tuo omnes scribentur. Igitur omnibus timidis, & de propria infirmitate trepidantibus sperandum est supernæ uirtutis auxilium: ut inde non excidat charitas, unde præstatur facultas. D

Per diem errabunt, & nemo in eis.

Siue ut in quibusdam codicibus inuenitur:

Die formabuntur, & nemo in eis.

Imperfecti, inquit, mei, qui omnes erunt in uita æterna, per diem errabunt: hoc est, in me turbabuntur, & nemo erit in eis, quem non timoris tenebræ ad desperationem usque perducant. Si autem legamus, die formabuntur: intelligendum, quòd hi, quorum nemo conturbabitur, die formabuntur: hoc est, illuminatione illius uisionis, qua beatum Petrum nimis trepidum ad remedium patientiæ suo reformauit aspectu.

Mihi autem ualde honorificati sunt amici tui Deus: ualde confortati sunt principatus eorum.

Dinumerabo eos, & super harenam multiplicabuntur.

Ipsi, inquit, qui in die errauerunt, & quorum nullus fuit, qui conturbaretur, amici mei, & ualde honorabiles facti sunt, & totius ecclesiæ habuerunt principatum: & quamuis à me sint dinumerati, super harenam tamē multiplicabuntur: quia in infinitum & multitudo eorū crescit, & gloria.

Exurrexi

A *Exurrexi & adhuc sum tecum.*

Hoc tempus significat, quo adhuc in occulto est, ad dexteram patris, antequàm reueletur in ea maiestate, in qua iudicaturus est uiuos & mortuos. Vnde sequitur, & dicit, quid interea per totum hoc tempus in ecclesia agatur: de bonorum & malorum permixtione, & omnibus afflictionibus uitæ temporalis obnoxium formasti occultum, dum eis differtur aduentus.

Si occideris domine peccatores: uiri sanguinum declinate à me.
Quod dicitis in cogitatione, accipient in uanitate ciuitates suas.

Occiduntur superbi, cùm deseruntur gratia Dei: quibus in cogitatione humilium, & unitate custodientium dominus dicit occultè, Viri sanguinum declinate à me: quod palàm in iudicij sui manifestatione dicturus est, Nunquam noui uos: discedite à me qui operamini iniquitatem. Viri autem sanguinum qui sunt, nisi qui oderunt fratres? sicut Ioannes dicit, Qui odit fratrem suum, homicida est. Isti ergo ab unitate ecclesiæ per superbiam recedentes, qui quasi offensi permixtione palearum, ante discretionis uentilabrum triticum deserunt, accipient in uanitate ciuitates suas: id est, in reprobam societatem, & in uana se concilia congregabunt. 1.Ioan.3.
B quia quod charitate catholica non utitur, hæretica uanitate dispergitur.

Non'ne qui oderunt te domine, odio habui? & super inimicos tuos tabescebam?
Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mibi.

Perfecta in dominum dilectio est, non amare, quod non amat: & ipsos inimicos Dei sic odio habere, ut prauitas eorum odiosa sit potius, quàm natura. quia aliud est in illis, quod ipsi faciunt, aliud quod creator instituit. Hoc est enim perfectè, id est, scienter odisse, ut nec propter uitia homines oderis: nec uitia propter homines diligas.

Proba me domine, & scito cor meum: interroga me, & cognosce semitas meas.
Et uide si uia iniquitatis in me est, & deduc me in uia æterna.

Scrutare, inquit, semitas meas, id est, consilia & cogitationes meas probans & examinans, quo affectu diligam bonos, & quo animo tolerem malos, & deduc me in uia æterna. Nisi ille qui dixit, Ego sum uia, ueritas, & uita: & qui est mediator Dei & hominum, homo Christus IESVS: per quem habemus accessum ad patrem, & qui est exoratio pro peccatis nostris. Ioan.14.

PSALMVS CXXXIX. C

IN FINEM PSALMVS IPSI DAVID.

Rom. 10. FINIS non alius intelligendus est, quàm qui est ab Apostolo declaratus, dicente: Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Titulo ergo suo indicat Psalmus unde locuturus sit: nã & dicendo, Ipsi Dauid: eum significat, qui est secundum carnem ex semine Dauid. Ergo non secundum diuinitatem, qua creator est, non solùm Dauid, uerum etiam uisibilium, atque inuisibilium naturarum: sed secundum carnem filius Dauid esse dignatus est, ut totum corpus eius, id est, ecclesia capitis sui utatur auxilio: & omne membrum eius, uoce ipsius dicat:

ERipe me domine ab homine malo: à uiro iniquo libera me.

Ephes. 6. NON ab uno maligno, sed ab uno genere malignorũ: nec à uasis tantum, sed ab ipso principe: id est, ab ipso diabolo se erui cupit, qui uult ab iniustitia liberari. Dicit enim Apostolus, Nõ est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus principes & potestates, & rectores mundi tenebrarum harum: id est, rectores peccatorum, quibus præsidet & dominatur totius malignitatis incentor. Qui autem est homo malus, idem est & uir iniquus: nullus enim iniustus malitia caret, & in dissimilibus peccatis unius nomen est D peccatoris: qui etiam si sic peccet, ut ab aliorum se læsione contineat, quolibet tamen modo sibi nócens, innocens non est.

Qui cogitauerunt iniustitias in corde, tota die constituerunt bella.

Minus noxia est iniquitas aperta, quàm tecta: & ille est insidiosior inimicus, qui in labijs portat bona, & in penetrabilibus animi occulit mala. in talibus autem secretis non nisi bella constituuntur: hoc est, ea ordinantur, quæ bonis sint aduersa & repugnantia: quia contra omnia uitia continua sunt bella uirtutibus.

Acuerunt linguam suam sicut serpentes: uenenum aspidum sub labijs eorum.

Non est dubium quales sint, qui serpentibus comparantur, qui sine strepitu ac sono leniter serpunt, sed nocenter irrepunt.

Conserua me domine de manu peccatoris: & ab hominibus iniustis erue me, qui cogitauerunt supplantare gressus meos.

Omnes quidẽ maligni, siue occulti, siue manifesti, solicite sunt cauẽdi, nequid excitent periculi, nequid inferãt damni: sed in nullo magis eorum metuenda

A metuenda uersutia, quàm ne nos socios suos faciant, & gressus nostros à uia recta in sua itinera moresq; traducant: ipsa est sæuissima supplãtatio, quando fideles & religiosi relicto proposito bono in imitationem transeunt impiorum.

Absconderunt superbi muscipulam mihi, & restes extenderunt in laqueum pedibus meis.

Totum corpus diaboli breuiter explicauit, dicẽs superbi. Inde est enim, quòd iustos se uideri uolũt, cùm sint iniqui: et nihil magis refugiũt, quàm peccatorum confessionem: cumq; sint falsi iusti, ueris iustis inuident, quia molestè ferunt illorum synceritate suam detegi simulationẽ. Agunt ergo omnia arte fallaciæ, ut subruant gressus bonorum, & imitatores sui faciant, quos ad condemnationem suam dolent esse meliores. Doli autem iniquorum ideo restes dicuntur, quia insidiantes rectorum gressibus adijciunt malitiam super malitiam, & peccatis peccata contexunt.

Iuxta semitas scandalum posuerunt mihi: dixi Domino, Deus meus es tu.

Semitæ iustorum mandata sunt Dei, in quibus scandala cõstituere mali nequeunt: sed iuxta insidias tendunt, & ueris uerisimilia adiungunt, ne
B à lege iustitiæ discordare uideãtur. Non ergo discedatur à semitis, & tendiculæ non nocebunt. Ambulans autem per uiam mandatorum Dei dicat domino, Deus meus es tu, quæ uox propriè iustorum est: Cum Deus etiam malorum sit Deus: sed hac confessione non adiuuantur, quandiu domino conditione potius, quàm uoluntate subduntur.

Percipe auribus uocem deprecationis meæ domine: domine uirtus salutis meæ.

Cum uideatur rectè potius se dicere: percipe auribus deprecationem meam: id est, nõ sonum, qui est etiam animalium, sed uocem quæ est sperantium, atq; uiuentium. Nam infernorum soni sunt: uoces autem nisi rerum uiuentium non sunt. Magnus tamen affectus precantis ostenditur, cum & domini appellationem repetit, & salutis suæ non in se esse causam, sed in domini uirtute profitetur.

Obumbrasti super caput meum in die belli:.

Præsens uita, quæ tota tentatio, dies est belli; quia uel foras, uel intus nunquam deest aduersitas, cui debeat repugnari. Laborans igitur in hoc bello, rectè sibi obumbrationem petit gratiæ Dei, ne æstu laborum fatigatus arescat.

Ne tradas me à desiderio meo peccatori.

Ideo ait obumbratum se in die belli, ut non ureretur ęstu desiderij: quo C qui uincitur, traditur peccatori, & aduersæ subijcitur potestati. Pertinacia enim malæ uoluntatis ducit in laqueum, à quo eximitur cuius concupiscentia superna obumbratione sedatur.

Cogitauerunt aduersus me: ne derelinquas me, ne fortè exaltentur.

Cogitatio aduersantium fraudulenta est: sed ut mihi, inquit, non noceat, ne derelinquas me, ne de mea abiectione lætentur.

Caput circuitus illorum, labor labiorum ipsorum teget eos.

Me, inquit, umbra alarum tuarum tegat in die belli: illi autē mendacio suo se tegere laborabunt, & hoc erit caput circuitionis ipsorum: non enim unquā quiescēt in suis cōmentis ueritatis inimici: qui uolentes suis se operire mendacijs, ad hoc laborant, ut non finiendis laboribus implicentur: quia uelare se non poterunt, nisi mendacium labore labiorum.

Cadent super eos carbones ignis, in terra deijcies eos.

2. Cor. 2. Sicut prædicatio crucis Christi alijs erat odor uitæ in uitam, alijs odor mortis in mortem: sic & isti carbones eius sunt operationis, quæ & illustrare ualeat fideles, & punire peccatores. Fit autem hæc malorum pœna D in terra: id est, in hoc seculo, & in hac uita, cadente super eos igne supplicij temporalis, antequam ueniat ignis æternus.

In miserijs non subsistent.

Victi, inquit, tribulationibus cadent, & non subsistent: quia debitis plagis non emendabuntur, sed peiores fient.

Vir linguosus non dirigetur super terram.

Linguosus non capit scientiam ueritatis: amans enim semper loqui, non potest erudiri. Praua ergo studia ipsius non dirigentur: quia loquacitas imperita mauult docere, quàm discere.

Virum iniustum mala uenabuntur in interitum.

Venient mala, & non subsistent iniusti: cùm aliqua clade opprimūtur, intereunt: non enim quæ inciderint mala, pro iustitia patiuntur: & ideo non subsistent, quia in miserijs suis nulla possunt bonæ spei fiducia sustinere.

Cognoui quia faciet dominus iudicium inopis, & in causam pauperum ostendit iniquis.

Pauperes

A Pauperes sunt humiles,& sancto semper desiderio suspirantes: qui esuriunt & sitiunt iustitiam, qua saturabuntur: quorum causam Deus non negligit: & in quorum gloria uidebunt impij quid amiserint.

Veruntamen iusti confitebuntur nomini tuo: habitabunt recti cum uultu tuo.

Glorificabuntur, inquit, iusti, & æterna beatitudine ditabuntur: sed tamen nihil operum tuorum suis meritis uindicabunt. Confitebuntur tibi opera misericordiæ tuæ, & omne bonum suum tuæ gratiæ deputabũt: & in hoc inhabitabũt cũ uultu tuo: hoc est, æterna uultus tui uisione potientur. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Matth. 6.

PSALMVS CXL.

DOmine clamaui ad te, exaudi me: intende uoci deprecationis meæ dum clamauero ad te.

ORATIO corporis Christi non separatur à capite, quod in suscepta membrorũ natura manet, & orare totam ecclesiã facit, dicente domino, Clamaui ad te: nõ alta uoce, sed forti fide. Nec quia exaudisti, ideo clamare cessabo: cum humilitatis meæ con-
B ditio talis sit, ut nõ cessantibus tribulationibus semper gaudeat adiuuari.

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium uespertinum.

Hoc de ipso capite intelligendum omnis Christianus agnoscit, Declinante enim die in uesperam, dominus in cruce emisit spiritum. Rursum inferendum corpori, ut spes omnium fidelium hoc in se non dubitaret implendum quod in capite præcessisset. Supra omnia ergo holocaustomata hoc sacrificium fuit, quod imitantur corda sanctorum, cùm de bona flagrantia orationum tanquam de ara ad Deum odor tendit incensi. Cuius oblatio non fit sine illa confessione, quam Christus ex persona sui corporis suam fecit, dicens, Verba delictorum meorum: ut agnosceremus semper nobis necessariam confessionem peccatorum, quæ inesse nobis, ipsius qui nos suscepit uoce cognoscimus.

Pone domine custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labijs meis.

Nunquid hoc præsidio, & hac munitione indiget caput? Sed agit causam corporis sui: & quæ membri sunt, profutura sibi postulat: quoniã qui dicit, Cùm uni eorum fecistis, mihi fecistis. & persequenti ecclesiam ait, Quid me persequeris? Ipse est, qui ex persona suorum poscit & dicit, Pone

domine custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labijs meis. C

Non declines cor meum in uerba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis:
Cum hominibus operantibus iniquitatem.

Custodiam ergo sibi apponi os fideliũ petit,& ut ostio continentiæ muniatur: quod nec clausum sit ad confitenda, nec apertum ad excusanda peccata. Sunt enim qui scelera sua nolunt sibimet imputari, & pondera malæ consuetudinis ad necessitatem retorquent naturæ: ut accusatione conditionis defendant crimina uoluntatis: cum quibus homo corporis Christi non uult habere consortium, dicens,

Et non communicabo cum electis eorum.

Hoc est, Non sociabor cum electis eorum, quos in his excusationibus pręcipuos habent quadã scĩetia tumidos,& causam facinorũ quasi doctius defendentes, ne uideantur peccata esse hominũ, quæ facta sunt siderũ. Nomen itaq; electorũ in bonis donum est gratiæ, in malis mendaciũ superbię: qui etiam perdita innocentia defensione commissorũ scelerum gloriantur.

Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me:

Castigatio iusti non sæuitia est odij, sed medicina charitatis, quæ non laudat, sed arguit delinquentem. Melior est ergo seuera iusti misericordia, quàm blanda adulatio peccatoris, de qua dicitur, D

Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Intima, inquit, conscientiæ meæ non oblectet falsa laudatio: quoniã argui me malo, quàm decipi. Quis enim gloriabitur castum se habere cor, aut mundum se esse à peccato, cùm quotidie caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: sciatq; & suum esse quòd patitur concupiscentem, & gratiæ esse quòd superat rebellantem?

Quoniam adhuc oratio mea in beneplacitis eorum.

Oratio, inquit, Christi, siue quam docuit, siue qua quotidie interpellat pro nobis, adhuc placebit eis, qui ridendam putant confessionẽ nostram, qua dicimus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus. In toto enim mundo hæc supplicatio conualescit, & qui se falso iustificant, probabunt hanc homines ueram esse sapientiam: ut nemo de se præsumat, sed qui gloriatur, in domino glorietur.

Absorpti sunt iuxta petram iudices eorum.

Iudices

A Iudices eorum,id eſt,magiſtri ipſorum, qui ſibi iudiciũ uindicãt de mundanorum dogmatũ diſciplinis,ſi petræ iungãtur, id eſt, ſi Chriſto cõparẽtur, abſorpti ſunt,id eſt,nihil loci habebũt,ſed in ſua uanitate deficiẽt:quia etſi aliquid recti uericꝗ dixerint,nõ cuiuſquã hominis,ſed eſt ipſius ueritatis.

Audient uerba mea, quoniam præualuerunt.

Euangeliũ ueritatis nulla perſecutione ſuperabitur: cedent impij,cedẽt loquaces,& ingenia aduerſantiũ diſcipulos Chriſti facient doctores.Non eos exilia,nõ damna,nõ mortes,nõ crux ipſa terrebit: quoniã præualebũt uerba mea, & paſsionibus martyrum multiplicabitur gloria triumphorum.

Sicut craßitudo terræ diſrupta eſt ſuper terram, diſperſa ſunt oſſa noſtra ſecus infernum.

Mortibus martyrum,& ſanguine occiſorum ſanctorum, quorum oſſa diſperſa ſunt,incraſſata eſt terra: & ſicut agri de cinere ac de ſtercore,ac de uiliſsimis excrementis uires ubertatis accipiunt,ita cruore cæſorũ teſtium Chriſti totus fœcundatus eſt mundus, ut ubicꝗ ſeges martyrum creſceret, & insererentur cœlo, qui deputabantur inferno.

Quoniam ad te domine oculi mei: in te ſperaui, ne auferas ani-
B *mam meam.*

Contra ſæuitiam perſequentium uox ad dominum emittitur in tribulatione poſitorum:ne fidei fortitudinẽ ſuperet atrocitas paſsionũ. Petitur igitur tolerantia,ut ualidior ſit dilectio Dei, quàm magnitudo ſupplicij.

Cuſtodi me à muſcipula, quam ſtatuerunt mihi: & ab ſcandalis operantium iniquitatem.

Quæ erat muſcipula, niſi uox perſecutoris, dicentis: Si conſentis parco:ut per cibum præſentis uitæ iretur in laqueos mortis æternæ? Quæ autem erant ſcandala,niſi exempla lapſorum, quorum impio defectu patientia perſeuerantium grauabatur?

Cadent in retiaculo eius peccatores.

Non quia cuiquam uirtutem non cadendi iuſtitia ſua dederit, cùm gratia Dei multos etiam ex impijs martyrio coronarit: ſed ideo dicuntur peccatores caſuri,quia iſte caſus etiã eos, qui iuſti uidebãtur, facit peccatores.

Singulariter ego ſum, donec tranſeam.

Solus Chriſtus martyrũ fortitudo, pro quo nullus eſt prius mortuus, quàm

Ioan.12. quàm ipſe moreretur: ſicut dicit: Cum exaltatus fuero à terra, omnia ad C
me traham. &, Niſi granum frumenti cadens in terra mortuũ fuerit, ſolũ
manet: ſi autem mortuũ fuerit, multũ fructũ adfert. Priuſquã ergo more-
retur, & reſurgens tranſiret ad patrẽ, ſingularis fuit, nec habuit ſocios paſ-
ſionis, qui poſtea in multiplicẽ ſegetẽ de unius grani fœcũditate creuerũt.

PSALMVS CXLI.

VOce mea ad dominum clamaui, uoce mea ad dominum de-precatus ſum.

QVOD dixit clamaui, expoſuit dicendo deprecatus ſum uoce mea: id eſt, interiori affectu, nec corporis uoce, ſed mentis.

Effundo in conſpectu eius precem meam.

Id eſt, in ſecreto cordis, quod ſolus Deus audit, & uidet, in quo cubiculo clauſo oſtio iubemur orare, ne penetralia noſtra pateant tentatori. Duo quippe ſunt, quibus maxime hominis interiora pulſant, amor ſcilicet, & timor: quibus geminis motibus animus aut aperitur, aut clauditur: ſed cum terrenũ eſt, quod cupit, uel timet, diabolo prębet introitũ: cũ autẽ quę ſurſum ſunt ſapit, nõ quæ ſuper terrã, Deus recipitur, & tentator excluditur. D

Tribulationem meam ante ipſum pronuncio.

Quod dictum eſt, in conſpectu eius: hoc eſt, & ante ipſum: ſed repetitione oſtenditur quàm inceſſanter hoc faciat, & quàm nihil ſine Deo agat, qui ſemper ipſum ſe habere & adiutorem profitetur, & teſtem.

In deficiendo in me ſpiritus meus.

Confeſsio eſt humilitatis, qua potens fit qui in tribulatione non deficit: uinceretur enim qui ſpiritum non profiteretur infirmum: quia ille ſpiritu Dei agitur, qui ſuo ſpiritu non inflatur.

Et tu cognouiſti ſemitas meas.

Quò, inquit, deſiderium meum tendat, & ad quem finem omnes meæ properent actiones, ſcientiam tuam non latet: quia ſemitas meas cognoſcis eſſe miſericordias tuas. Cognitio autẽ Dei ſalus eſt cogniti: cum enim non cognoſcit, in quo opera ſua, & dona non inuenit.

In uia hac, qua ambulabam, abſconderunt laqueos mihi.

Via ſanctorum omnium Chriſtus eſt, in quo uolentes pie uiuere, per-
ſecutionem

A secutionem patiuntur: quia crux Christi Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitia est. Qui ergo Christo aduersantur, in uia se ponere scandalum putant, cùm Christianis crucifixi nomen exprobrāt. Sed cùm ab eius Euangelio gressus fidelium non absterrent, nihil possunt in uia collocare laqueorum: quia in ueritate falsitas non latet: nec ualent tenebræ in luce delitescere. Secundum animum ergo insidiantiū dictum est, quòd in uia absconderunt laqueos: qui proxima quæq; suis fraudibus obsidentes, nulli per uiam gradienti nocere potuerunt.

Considerabam ad dexteram, & uidebam: nec erat qui cognosceret me.

Dextra sunt, quæ Dei sunt, & ad Dei promissa perducunt: quibus animus eius qui persecutionem sustinet, non auertitur. Hæc ergo quæ dextra sunt intuens, promissa perseuerantibus præmia uidet, & accipit: perseuerantiam tolerantiæ, & dilectionem Dei adsequitur, ne superetur. Hanc tamen intentionem nemo cognoscit: quia impossibile est homini penetralia alieni cordis aspicere; unde meritò dixerat Deo, Tu cognouisti semitas meas.

Perijt fuga à me, & non est qui requirat animam meam.

B Circumclusus quidem à persecutoribus perdidit licentiam fugæ, qua uti posset absq; peccato, si manente fide, supplicijs membra hærerent. Sed cùm in proposito mentis sit, lapsum magis timere, quàm pœnā, perijt ab eo fuga, qui mauult omnem sæuitiam tolerare, quàm cedere. Secundum autem multitudinem persequentium dixit, non esse qui requirat animam eius: quia præter donum Dei nulla hominum consolatio. Hoc cuiquam potest conferre præsidij, ut inter urgentia mala fides illæsa permaneat.

Clamaui ad te domine, dixi, tu es spes mea, portio mea in terra uiuentium.

Ostendit unde tribulationum magnitudinem tolerauerit, quia scilicet & hic tota spes ipsius Deus est, & in futuro totum præmium ipsius Deus est, qui erit omnia in omnibus.

Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus nimis: erue me à persequentibus me.

Nimia humiliatio, nimia persecutio; cuius uim sola protectio Dei uincit. Potest quidem præstare sanctis, ut in eos non habeant aduersarij potestatem: sed mirabilius tribuens ut omnem superent passionem. In persecutoribus autem non humana tantum cauenda sunt odia, sed multò magis inimicitiæ

inimicitiæ ſpirituum malignorum, qui opere miniſtrorum ſuorum iuſtos C
Ephes. 6. Dei latenter impugnant: de quibus dicit Apoſtolus: Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem: ſed aduerſus principes, & poteſtates, & rectores huius mundi tenebrarum harum. Quem uero rectorem habent iniqui, niſi diabolum? quum & fideles non habeant niſi Chriſtum.

Quomodo corroborati ſunt ſuper me.

Vox eſt eccleſiæ conquerentis, quòd multum creuerit numerus impiorum, quòd abundet iniquitas, & refrigeret charitas multorum.

Educ de carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo.

Omnes quidem anguſtiæ & concluſiones turbationum carcerem faciunt, quia coartant animam, & auferunt libertatem: ſed ipſa inhabitatio corporis poteſt carcer intelligi: non quia malum ſit quod Deus fecit, qui omnia quidem bona condidit: ſed corpus quod corrumpitur, adgrauat animã. Non à corpore, ſed à corruptione corporis animã ſuam optat educi, ut confeſſionẽ laudationis Dei nulla neceſſitas mortalitatis impediat.

Me expectant iuſti, donec retribuas mihi.

Totus Pſalmus ipſius capitis uoce concluditur: cui & quod membra D
eius patiuntur infertur, & in quo omnis eccleſia glorificabitur, quæ beatorum retributionum expectat autorem, dicentem patri: Volo ut ubi
Ioan. 17. ego ſum, & ipſi ſint mecum.

PSALMVS CXLII.

DOmine exaudi orationem meam, auribus percipe deprecationem meam in ueritate tua: exaudi me in tua iuſtitia.

TITVLVS Pſalmi paſsionem indicat Chriſti: ipſe eſt enim uerus Dauid, qui & in ſe & in ſuis perſecutionem, & falſorum fratrum, & falſorum ſuſtinet filiorum. Clamat ergo ad Deum & caput in corpore, & corpus in capite: hoc eſt, eccleſia in Chriſto, & Chriſtus in eccleſia: & cùm orans in Dei iuſtitia poſcit audiri, mirabili confeſsione exprimit gratiam Dei: ne quiſquam in ſua iuſtitia precem ſuam exiſtimet recipi: Cùm ſi quid boni meretur, ex Deo ſit: nec poſſit peccator bene agere, niſi ab illo iuſtificatus, qui neminem hominum, niſi in peccatorum remiſsione iuſtificat.

Et non intres in iudicio cum ſeruo tuo: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens.

Cito

A Cito aperuit, quare nollet se diuinæ comparare iustitiæ, & cum Deo metueret iudicari: Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuẽs. Quomodo præsumam de innocentia, cùm à te conuincendus sim de iustitia? Aut, quid mihi boni proprij uindicabo, qui quod non dederis nõ habeo. Expauesco igitur discuti, metuo iudicari: quia nemo in hac mortali carne uiuentium ueraciter potest dicere, se peccati contagia non habere: cùm etiam ipsi præcipui arietes ouium Christi sic orare iubẽtur, ut dicãt, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Quoniam persecutus est inimicus animam meam: humiliauit in terra uitam meam.

Collocauerunt me in obscuris, sicut mortuos seculi.

Et à corpore hoc dictum, & à capite cõgruenter accipitur: quoniam & diabolus persecutus est animam Christi: & Iudas animã magistri: idemq; diabolus ad persequendum corpus Christi manet. Nec Iudas deest in falsis fratribus succedendo. Quid enim nobiscum quilibet aduersarius agit, nisi ut relicta spe cœlesti, corruamur in terram? Sed contra hos uigilãdum est, ut possimus dicere, Nostra autem conuersatio in cœlis est. Quod ergo dictum est, Collocauerunt me in tenebris, sicut mortuos seculi: in quo melius quàm in domino intelligitur? qui solus fuit inter mortuos liber: & B cum iniquis deputatus est? qui cum unus fuit qui proprie & singulariter diceret, Non est inuenta in me iniquitas. *Philipp. 3.*

Anxiatus est in me spiritus meus.

Agnoscitur dominus, dicens, Tristis est anima mea usque ad mortem: in quo utique & nos eramus, quia nostræ naturæ erat illa tristitia, & uetus homo noster simul crucifixus est cruci cum illo. *Matth. 26.*

In me conturbatum est cor meum.

Conturbatio hæc uoluntaria fuit, & in ipso tantummodo mansit consilium misericordiæ eius. Nam cæteri recesserunt non intelligentes magnæ pietatis sacramentum, nec resurrecturum credentes, qui & passioni subdebatur, & morti.

Memoratus sum dierum antiquorum, & annos æternos in mente habui: & meditatus sum in omnibus operibus tuis.

Hæc commemoratio antiquorum dierum, & recordatio omniũ temporum, atq; in eis diuinorum contemplatio nõ ex capitis, sed ex corporis sensu est. Nam autori omnium rerum quid unquam non conspicuum est, apud quẽ & preterita adsunt, & futura iam facta sunt? Membrorũ igitur uoce Dei gratia prædicatur, & opera misericordię Dei lingua ecclesiæ cõ-

fitetur: quæ totius æui seriem reuoluens nihil inuenit nisi Dei prouidētia, C
& bonitate subsistere: & à quo cuncta sunt condita, in ipso, & per ipsum esse renouata: quoniam uetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua.

In facturis manuum tuarum meditatus sum, & extendi manus meas ad te.

Meditatio, inquit, mea, qua uidi omne bonum à tua bonitate manare, & tui esse operis, quicquid in nobis tuæ potest placere iustitiæ, ad hoc me confirmauit, ut omnem spem meam in te constituerem, & tui per omnia peterem roris alimoniam.

Anima mea uelut terra sine aqua tibi: uelociter exaudi me domine, defecit spiritus meus.

Ariditas, inquit, animæ meæ tibi sitit, quia à te desiderat irrigari, & tu accendisti æstum cordis mei, ut me exaudiri uelociter petam: Defecit enim spiritus meus, ut impleat me spiritus tuus: & fecisti me pauperem spiritu, ut tribuas mihi, quod humilibus spopondisti, quorum est regnum cœlorum.

Ne auertas faciem tuam à me, & ero similis descendentibus in lacum. D

Auerso à me uultu tuo conturbatus sum, & factus sum terra sine aqua: quia excitasti ergo desiderium, redde conspectum, ne auersa à me facie tua, similis efficiar descendentibus in lacum. Qui autem isti sunt, nisi de quibus dicitur: Peccator cum uenerit in profundum malorum, contemnit: id est, non conuertitur: in quod profundum descendentes in æternæ miseriæ lacum decidunt: quia per contumacem superbiam remedia confessionis pœnitentiæ perdiderunt.

Auditam mihi fac mane misericordiam tuam, quia in te speraui.

Oriatur, inquit, in me lux misericordiæ tuæ, fiatque quod credidi, ut spes, quæ auditu concepta est, impleatur.

Notam mihi fac domine uiam, in qua ingrediar.

Dux mihi sit ueritas tua, & gressus mei tua gratia dirigantur.

Quoniam ad te leuaui animam meam.

Quoniam non de me præsumo, sed ut mihi auxilieris posco.

Exime

A *Exime me de inimicis meis domine, quoniam ad te confugi.*

De illis se inimicis erui cupit, per quos etiam humana odia commouentur: id est, diabolo, & angelis eius, qui sunt rectores tenebrarum, & incentores impiorum, à quibus fugiens ad dominum confugit, ne ueteris hominis sequatur exemplum, qui se à facie domini mala conscientia conturbatus abscondit.

Doce me facere uoluntatem tuam, quia tu es Deus meus.

Imple in me, inquit, affectus gratiæ tuæ, ut & hoc uelim, quod uelle te noui: & non aliud sit in meo opere, quàm quod in tua est uoluntate. Hoc autem ideo peto, quia tu es Deus meus, qui operaris omnia in omnibus.

Spiritus tuus bonus deducat me in terram rectam: propter nomen tuum domine uiuificabis me in tua iustitia.

Ab omni me errore bonus spiritus tuus eruet, & in terram rectam, quę est uiuorum regio, perducet, non propter meritum meum, sed propter nomen tuum: quia omnis mihi doni causa est misericordia tua.

B *Educes de tribulatione animam meam, & in misericordia tua disperdes inimicos meos.*

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam seruus tuus ego sum.

Quanta dignitas, & quanta beatitudo est, esse Dei seruum, cui nullo præcedente merito tanta præstantur?

PSALMVS CXLIII.

PSALMI titulus rei gestæ tangit historiam, qua Golias bellator potens à puero Dauid singulari certamine superatus agnoscitur. Sed & Golias significat diabolum, & Dauid indicat Christum, qui etiam in corpore suo, id est, ecclesia, intelligitur: quia in nullo membra separantur à capite. Sic ergo accipiendus est Psalmus, ut historicas actiones formas esse rerum spiritalium nouerimus: & uictoriã Dauid, qua Goliam perculit, ad ipsum dominum, qui est ex semine Dauid, & ad omnia eius membra referamus.

Benedictus dominus Deus meus, qui docet manus meas in prælium, digitos meos ad bellum.

VOX est membrorum corporis Christi, quibus ad superādum C Goliam diuinum necessarium est semper auxilium, ut siue in prælio, siue in bello, & manus doceantur, & digiti. In manibus enim significatur omnis operis plenitudo. In digitis autem laborum quædam diuisio, ut totæ uires ad conficienda bella pertineant: ad partes animi uirtutum, diuersæ species præliorum. Vnde quibus armis, quibusq́ præsidijs milites Christi instruantur, manifestat Apostolus, di-
1. Cor. 12. cens: Alij quidem datur per spiritum sermo sapientiæ: alij sermo scientiæ secūdum eundem spiritum: alij fides in eodem spiritu: alij donationes curationum in uno spiritu: alteri genera linguarum: alij prophetia: alij iudicatio spirituum: omnia autem hæc operatur unus atque idem spiritus, diuidens propria unicuiq́ prout uult. His ergo digitis siue in bello, siue in prælio pugnat corpus Christi, & omnem hostem, siue uisibilem, siue inuisibilem, lapidis iaculatione, hoc est, Christi soliditate prosternit.

Misericordia mea, & refugium meum: susceptor meus, & liberator meus.

Recte, & ueraciter dicimus domino, misericordia mea, quia non solum miseretur nostri, sed & nos ipsos misericordiam facit, ne sit iudicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam. Refugium autem est, à quo reparationem, & conscientiam sumit infirmitas. Susceptor est, qui D pugnanti præstat ne cadat. Liberator est, qui tribuit ne uulneretur dimicans, propter quod addit, & dicit:

Protector meus, & in ipso speraui, qui subdis populum meum sub me.

Voce capitis dictum uidetur, Qui subdis populum sub me: id est, ecclesiam mihi per fidem subdis. Voce autem corporis intelligi potest, spiritalis quisquis bellator, qui populum rebellem cupiditatum, & morum carnalium desideriorum, legi mentis suæ per opem gratiæ subditum confitetur.

Domine quid est homo, quoniam innotuisti ei: aut filius hominis, quoniam æstimas eum?

Magna dignitas hominis, qui sic à Deo creatus, ut suum nosset autorem: & tanti æstimatus esset, ut unigenitus Dei sanguinem pro redemptione eius impenderet.

Homo uanitati similis factus est: dies eius sicut umbra prætereunt.

Naturæ suæ homo immemor in similitudinem uanitatis uoluntaria

præua

A prævaricatione mutatus est, ut qui factus fuerat in æternis, esset in uanis, id est, in occiduis, & non permanentibus, diesq́ eius sicut umbra transcurrerent: in comparatione quippe æternorum uana sunt temporalia, nec uera sunt quæ uel esse desinunt, uel quod sunt perdunt. Mira ergo circa homines bonitas, & dilectio Dei, quod etiam ad se cognoscendum uocat talem, & dignum æstimat, quem tanto pretio redimat, & ab umbra uanitatis educat. Qui enim filio proprio non pepercit, sed pro nobis Rom.8. omnibus tradidit eum, quomodo non & cum illo omnia nobis donauit?

Domine inclina cœlos tuos, & descende: tange montes, & fumigabunt.

Corusca coruscationes, & disperge eos: emitte sagittas tuas, & conturbabis eos.

Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis.

Cœli sunt prædicatores ueritatis enarrantes gloriam Dei, per quorum inclinationem, & tolerantiam passionum innotescit mundo coruscatio Euangelij, & fulgura miraculorum illustrant corda credentium. Montes enim, id est, elati quiq́, & tumidi, tangente eos Dei gratia fumigabunt, &
B accensi cordis uaporem cum lachrymis confessionis emittent. Sagittæ autem Dei, uerba sunt Dei, quibus dissipatur consideratio superborum, & percutiuntur male sani, ut sanentur bene uulnerati: & hoc fit per emissam manum Dei de alto: quoniam brachium Dei, quod est Christus, homo factus est, & membra sui corporis non relinquit, & eruit ecclesiam suam de aquis multis: id est, de populis infidelibus, siue foris oppugnantibus, siue intus insidiantibus.

De manu filiorum alienorum, quorum os locutum est uanitatem: & dextera eorum, dextera iniquitatis.

C De quibus aquis eruit dominus humilitatem Dauid: id est, humilitatem corporis Christi: nisi de manu filiorum alienorum? omnes enim infideles alienigenæ sunt, nec in filiorum Dei adoptione numerantur: & os eorum loquitur uanitatem, quorum lingua à confessione ueritatis aliena est: & dextera est illis iniquitas, quia in his, quæ iniusta sunt, gaudent, & prauis tanquam rectis lætantur.

Deus canticum nouum cantabo tibi, in psalterio decem chordarum psallam tibi.

Canticum nouum est canticum gratiæ, & noui hominis, ac noui testamenti, quod in decachordo, id est, in decem præceptis legis canitur: quia

perfecta est in charitate cantatio; Charitas legis est plenitudo. C

Qui das salutem regibus:

Hoc est, qui tangis montes, & fumigabunt, ut humiliati subdantur tibi cum satisfactionis confessione.

Qui redimis Dauid seruum tuum.

Non caret Dauidis nomine, qui corpus est Christi, & cui contra Goliam decertatio est.

De gladio maligno eripe me.

Non sufficit ut, de gladio, diceret, nisi adderet &, maligno: quia est
Marc. 10. sine dubio & benignus, de quo dominus dicit: Non ueni pacem mittere in terram, sed gladium. Malignus ergo est, qui separat à Christo: benignus, qui abscindit à mundo.

Et eripe me de manu filiorum alienorum.

Qui scilicet utuntur gladio maligno: Filij quippe hominum dentes eorum arma, & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Qui ergo sunt filij alieni, ipsi sunt gladius malignus, ipsi sunt aquæ multæ: & ideo eadem subiungit, quæ prius dixerat, ut de quibus loquatur, apertius pandat, dicens: D

Quorum os locutum est uanitatẽ, & dextera eorum dextera iniquitatis.

Quam ergo uanitatem filij alieni loquantur, & quæ sit dextera iniquitatis ipsorum, subiecta demonstrant.

Quorum filij sicut nouellæ, constabilitæ à iuuentute sua.
Filiæ eorum compositæ, & ornatæ sicut similitudo templi.
Cellaria eorum plena eructuantia ex hoc in hoc.
Oues eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis: boues eorum crassi.
Non est ruina maceriæ: neque transitus, neque clamor in plateis eorum.

Hæc abundantia, atque prosperitas communis est & malis, & bonis: sed à malis in dextera habetur: à bonis autem in sinistra reputatur: non quia & ipsa non Dei dona sunt: sed quia terrenis, & temporalibus cœlestia, & æterna supereminent: & sicut utuntur sancti præsentibus tanquam non utantur, sintque habentes quasi non habentes. Filij autem alienigenæ, qui

A qui dextram sibi in transitorijs bonis, & in lubrica felicitate constituunt, non de opulentia arguuntur, sed de peruerso rerum amissibilium amore culpantur: cuius & uanitas, & iniquitas eius sententiæ est, ut neque fide, neque spe, neq; charitate, quæ sursum sunt sapiant, sed infirma, & caduca præmia diligant, quæ deserunt, & à quibus deseruntur.

Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.

Vanitate pleni, fide uacui, iniquitate armati, & à sorte æternæ hæreditatis alieni in hoc proruperūt, ut dicerent beatum populum, cui hæc sunt. Sed dicant filij promissionis,

Beatus populus, cuius est dominus Deus ipsius.

PSALMVS CXLIIII.

EXaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomen tuum in seculum, & in seculum seculi.

TOTVS Psalmus Dei laude contexitur: & cum in titulo Psalmi Dauid sit prænotata laudatio, euidenter ille ostenditur prædicari, qui est secundum deitatem dominus, creatorq; Dauid:
B & secundum quod uerbum caro factum est, filius Dauid est: & non duplex persona, sed unus est Christus, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Huius ergo laudatio etiam in præsenti tempore continuanda est, quæ in æternitate mansura est: à quo officio qui in hoc seculo alienus est, futura laudationis Dei gaudia non intrabit.

Per singulos dies benedicam te, & laudabo nomen tuum in æternum, & in seculum seculi.

Dubium non est ad præsentem quoque uitam pertinere Dei laudem: quandoquidem per singulos dies benedictio Dei celebranda disponitur, non obsistente rerum mutabilium uarietate: quia siue lætus de secundis: siue tristis de aduersis ducatur dies, nunquam à Dei laude cessandum est: qui enim nunquam tentatur, nunquam probatur: & melius est cum tribulatione exerceri, quàm cum prosperitate puniri.

Magnus dominus, & laudabilis ualde: & magnitudinis eius non est finis.

Nullo fine laudatio eius concluditur, cuius magnitudinis nullus terminus inuenitur: & in cuius prædicatione quicquid laudator poterit cogitare, non sufficit. Qui ergo omni laude semper est maior, sine fine laudetur: ex

tur: ex hoc ipſo homo ſpem ſuæ æternitatis accipiat: quia nunquam non C erit qui dominum laudare non deſinit.

Generatio, & generatio laudabit opera tua, & uirtutem tuam adnunciabunt.

Omne humanum genus generatio repetita ſignificat, quæ ab initio ſui uſque in finem per conſiderationem creaturarum rationabiliter intelligit uniuerſitatis autorem, ut de his quæ uidere poſsibile eſt, & in quibus tanta admirationum materia eſt, ea quæ cerni nequeant, æſtimentur: & ille omnem aciem mentis exuperet, de quo parum dignè ſentit, qui putat ſufficere quod intelligit. Poteſt autem per unam generationem prima ſignificari uita mortalium: per alteram uero generationem reſurrectio accipi: quia & ipſa regeneratio nuncupatur: ſecundum quod dictum eſt: In regeneratione autem cum ſederit filius hominis in maieſtate ſua. Laudatur ergo in hoc ſeculo, & multo magis laudabitur in futuro: Nam ſi nunc hoc faciunt compediti, quomodo non amplius facient coronati?

Matth. 19.

Magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua enarrabunt.

Et uirtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam enarrabunt. D

Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructuabunt, & iuſtitiam tuam exultabunt.

Veri laudatores Dei nihil operum eius, iudiciorumque non laudant, & ſic omnia facta mirantur, ut mirabilior ſit ipſe qui fecit: quia quicquid in creatura laudabile reperitur, ad illius recurrit gloriam, qui operatur omnia in omnibus: unde & terribilia eius, laudis honore ſunt plena: Non enim blanditur, & non minatur: ſi non blandiretur, nulla eſſet correctio: miniſtri igitur eloquiorum Dei & miſericordiam eius, & iuſtitiam prædicabunt: & ſicut regnum æternum, ita regnum perpetuum non tacebunt, ut in uia, qua ad retributionem tenditur, conſtituti, ſciant quid eligere debeant, quid cauere. Magnitudinem autem Dei, quæ non habet finem, quomodo enarrabunt, niſi quia ſemper hoc prædicabunt, quòd finis eius nequeat inueniri? ineffabilium enim nullus eloquentior eſt narrator, quàm qui fatetur inexplicabilia eſſe quæ loquitur. Hi ergo, inquit, narratores magnitudinis tuæ memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructuabunt, quia non es oblitus noſtri, noſque tui meminiſſe facis. Doctrina itaque ſana hoc de abundantia ſuauitatis diuinæ eructat, facitque ructari, ut omnes boni Dei gratia ſe regi, Dei gratia nouerint cuſtodiri, & per ipſam ſibi, ut de illa poſsint gaudere, præſtari.

Miſeric

A *Misericors, & miserator dominus, longanimis, & multum misericors.*

Suauis dominus uniuersis: & miserationes eius super omnia opera eius.

Misericordia & gratia, bonitas & patientia Dei per omnia declaratur: & nemo desperet, nemo præsumat: quia sicut suauis est lenitate, ita iustus est ultione: & nihil longanimitati eius perit, quem & conuersus benignũ, & obduratus experitur seuerum: miserationes enim eius in omnia opera eius: quia in his qui saluabuntur, damnauit aliena.

Confiteantur tibi domine omnia opera tua, & sancti tui benedicant te.

Quæcunque sunt in uniuersitate rerum à summis usque ad infima, opera utique sunt Dei: & quamuis rationales tantum, intellectualesque creaturæ diuinæ laudis affectione moueantur, non frustra tamen ad confitendum Deo omnia opera ipsius incitantur: quia nihil est tam exiguum, tam'que à sensu remotum, in quo non mirabilis sit creator: quem cum angeli, & homines confitentur, & laudant, ipsæ infinitæ mundi partes, & species, atque naturæ suum semper loquuntur autorem: & utilitate ac pulchritudine sua immensam dant materiam laudatoribus: & uidentur laudantia, quæ sunt
B laudabilia, dum quod non possunt loqui, faciunt non taceri.

Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur:

Vt notam faciant filijs hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui.

Omnis species, & uirtus, & pulchritudo creaturæ regnum est Dei, quia diuersorum ipse est autor, & dominus: sed ab his, quæ uidentur, distinguuntur & ea, quæ nondum innotuerunt: & intelligitur ex decore uisibilium quantũ excellãt, & in qua gloria emineant, quæ regnum Dei specialius nominãtur: unde quotidie dicimus, Adueniat regnum tuum: cuius nec magnitudinẽ, nec gloriã, nec decorem ulla possunt corda concipere: sed quia sicut promittitur, ita creditur, certissimo desiderio, donec adsit, expetitur.

Regnum tuum regnum omnium seculorum, & dominatio tua in omni generatione, & progenie.

Repetitio generationis, & præsens seculum indicat, & futurum: quia & resurrectio generatio dicitur, quæ sanctos ad incorruptionem beatæ æternitatis creauit.

Fidelis dominus in uerbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.

Multa

Multa dominus, & magna promisit, & quædam credita impleuit: C quædam seruanda seruauit, ut secura esset expectatio, cui uires tot præcepta præberent.

Confirmat dominus omnes, qui decidunt, & eriget omnes elisos.

Septies cadit iustus, & resurgit: impij autem infirmabuntur in malis. Aliter ergo sancti, aliter decidunt infideles: & horum nunc fit commemoratio, quorum nullus confirmatur à domino: ruisse enim quodammodo uidentur, cùm omnibus temporalibus carent, & inhonori, ac pauperes spernuntur à potentibus mundi, & inter abiecta quæque reputantur: Sed Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Oculi omnium in te sperant, & tu das escam illis in tempore opportuno.

Sicut bonus medicus nouit qua esca ægrotus, & quo tempore sit cibandus: ita dominus seruos suos opportunè salubribus cibis reficit: & quid cuique congregat, ineffabilis scientiæ benignitate discernit, ut subiectio fidelium de omnibus proficiat, quæ illi adhibenda censuerit, siue aspera, siue blanda, ut in nullo murmurent ægri, sed quodlibet curationis genus æquanimiter ab autore suæ salutis accipiant, dicentes, quod ad erudi-
Marc. 26. tionem patientiæ nostræ ipse saluator dignatus est dicere: Pater si fieri po- D
test, transeat à me calix iste: uerum non quod ego uolo, sed quod tu uis: pater fiat uoluntas tua.

*omne animal

*Aperis tu manum tuam, & imples * omnem animam benedictione.*

Ex Dei largitate est quicquid benedictionis adsequitur: quia nemo eam concupisceret, nisi ad incitandum ipsum desiderium manum suæ bonitatis aperiret.

Iustus dominus in omnibus uijs suis, & sanctus in omnibus operibus suis.

Vniuersæ, inquit, uiæ domini, misericordia, & ueritas, siue circa nos seuerior, siue sit mitior: quia qui etiam flagella meditatur, ideo castigat, ut parcat.

Propè est dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus, qui inuocant eum in ueritate.

Multi non in ueritate inuocant dominum, aliud ab illo quàm ipsum desid

A desiderantes: à quibus longe abest: quia diuersum, & remotum est ab ipsius uoluntate, quod cupiunt: Si autem id concupiscunt, quod præcipit, iustus, & bonus, propinquus omnino est his, quos inspirauit affectibus: & timentium se uoluntatem facit: quia quæ erat domini, esse cœpit & serui.

Voluntatem timentium se faciet, preces eorum exaudiet, & saluos faciet eos.
Custodit dominus omnes diligentes se, & omnes peccatores disperdet.

Quos omnes peccatores, nisi perseuerantes in peccatis,& quotidie contra Deum disputantes? Pars autem dextera, cui nullum est cum sinistra parte consortium, quia semper illi iudicia Dei uniuersa placuerunt, quid in æternum sit factura profitetur, & dicit:

Laudem domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomen sanctum eius in æternum, & in seculum seculi.

PSALMVS CXLV.

B *LAuda anima mea dominum, laudabo dominum in uita mea: psallam Deo meo quàm diu sum.*

SANCTA, & spiritalis anima ipsa se ad laudandum dominum cohortatur: excellentiore sui parte ea, quæ in se minora sunt, incitat. Non enim alia est quæ dicit, & alia cui dicit: aut carnis hæc uox est, quę ab anima & uitam sumit,& sensum: nec sine anima aliquid potest uelle, & non uelle. Quia uerò ipsius animæ duplices actiones sunt,& alio officio erigitur ad dominum,alio inclinatur ad carnem: si bene spiritui seruit, bene præsidet carni: & per id quod adhæret Deo,id etiam,quod adhæret corpori,ad superiores inuitat affectus, ut rationali dominatu tantum subditus tribuat, quantum ad salutem sat est: ne si Deo non est subiecta, minuatur. Mens itaque summa quædam pars animæ semetipsam in omnibus suis incitans cònatibus, dicit: Lauda anima mea dominum. Non quia hoc non faciat, quantum potest: sed quia parum est, quod infirmitate corruptibilis corporis potest, ad illam perfectam, & æternam laudationem proficere concupiscit: & memor præsentis conditionis, in qua desiderij sui non inuenit uires, quantum hoc per se factura,respondit, dicens: Laudabo dominum in uita mea, psallam Deo meo quàm diu sum. Nunc enim quamuis fide,& spe, & charitate roboremur,tribulationibus tamen, & scandalis, ac mœroribus non caremus: & inter

inter innumera mortalitatis obstacula, & æternæ uitæ officia non imple- C
Sapien.9. mur: Quoniam corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. In uita igitur mea, quam nulla ægritudo infirmat, nulla egestas facit inquietam, laudabo dominum tota mei libertate, atque uirtute, & psallam Deo meo, quàm diu sum: quia sicut esse erit mihi æternum, ita erit mea in domino æterna laudatio.

Nolite confidere in principibus: neque in filijs hominum, in quibus non est salus.

Qui in defensione principum, & hominum præsidio gloriantur, in uanitate confidunt: solus enim Deus, de quo speranda sit salus: & bene ab eo expectatur, quo ipse non indiget. Nam quid sit filius hominis, breuiter in eo, quod sequitur, demonstratur.

Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Totum ergo, quod in hoc mundo agitur, temporale est, & transitorium: & nemo ueraciter spondet alteri, quod præstare non potest sibi: mortalis enim est emisso spiritu, in terram suam terrena carne redeunte: quicquid disposuit, quicquid cogitauit, interdicit. D

Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in domino Deo ipsius, qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt.

Beatus, inquit, homo, cui adiutor est Deus: non ille quem sibi ignorantia humana confingit, sed Deus Iacob, qui ipsum Iacob Israël fecit, ut fide, & intellectu uideat uniuersitatis autorem.

Qui custodit ueritatem in seculum, facit iudicium iniuriam patientibus:

Et timendum Deum commendauit, & amandum: timendum, quia iniqua facientes ueritate damnauit: amandum, quia pro iustitia laborantes misericordia coronauit.

Dat escam esurientibus.
Dominus soluit compeditos, dominus sapientes facit cæcos.
Dominus erigit elisos, dominus diligit iustos.
Dominus custodit aduenas.

Omnibus quidem animantibus prouidentia Dei constituit, & præstat alimon

A alimoniam: ſed hominibus nō terrenum tantum, ſed & ſpiritalem cibum præbet, quem hi accipiunt, qui deſiderant, de quibus dicitur: Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ſaturabuntur. Talis ergo eſt & compeditorum abſolutio, qui mortalitatis compedes æternitate adoptionis euadēt. Talis & illuminatio cæcorum, qui ſapientes ex inſipientibus fiunt. Talis quoque eliſorum eleuatio, qui uoluntaria humilitate proſtrati ad altitudinem cœleſtium prouehuntur. Dominus enim diligit iuſtos, quoniam ipſe eſt iuſtitia eorum: & ipſe cuſtodit aduenas, qui omnes gentes in Chriſto unum facit, & in Abrahæ filios lapidea corda cōuertit. *Matth. 6.*

Pupillum, & uiduam ſuſcipiet, & uiam peccatorum exterminabit.
Regnabit dominus in æternum, Deus tuus Sion, in generatione,
& generatione in ſeculum ſeculi.

Iſtis quidem pupillis, qui mortuis patribus indefenſi remanent, Deus opitulatur, & omnes uiduas Deus protegit. Sed hic illos orphanos, & illas uiduas melius intelligimus, quibus in hoc ſeculo nullum eſt præſidium, nulla eſt conſolatio, ſed ſpes eorum in domino Deo. Ipſorum anima ergo, quæ in bonis temporalibus non fidit, ſed mundi iſtius peregrina eſt, ſupernum patrem, & ſupernam deſiderans matrem, merito pupilla appellatur, & uidua: quæ donec & patrem uideat & ſponſum, nunc
B uidetur eſſe longinqua. Via uero peccatorū exterminabitur, cum omniū iniquitatum defecerint actiones, & uanitas in latitudine ambulantium in ſupplicia æterna mergetur. In hunc autem finem proruentibus malis, quid audiet ciuitas Sion, quid adſequetur ciuitas Dei? Venite benedicti *Matth. 25.*
patris mei, percipite regnum, quod uobis paratum eſt ab origine mundi. Quoniam tu Sion in eccleſia regnum eris æternum domini Dei tui, & regnante ipſo ſine fine regnabis.

PSALMVS CXLVI.

Laudate dominum, quoniam bonus: & Pſalmus Deo noſtro iucunda laudatio.

BONVM eſt dominum laudare, in gloriam Dei pſallere, non uoce tantum, quæ inceſſabiliter canere non poteſt, ſed multo amplius modulatione rationabilis uitæ, quæ nullo tempore omittenda eſt: Quoniam in conuerſationem ſpiritalium ſeruorum Dei, quicquid domi foriſq; agitur, laus illius eſt, cuius & doctrina, & munere ita uiuitur, ut nihil actionum non Dei laude ſit digum: dicente Apoſtolo: Siue manducabitis, ſiue bibitis, ſiue quod facitis, omnia *1. Cor. 10.*
in gloria Dei facite: quod qui faciunt, nunquam à Dei laudibus ſilent, & à bonis operibus: ipſorum ſemper Deo eſt iucunda laudatio.

Aedificans Hierusalem dominus, & dispersiones Israël congregans. C

Extructio Hierusalē, quæ ædificatur ut ciuitas, pace consurgit: omnem Israël pax ad soliditatem colligit unitatis: non ergo ab operibus uox, nec à uoce debent opera dissonare: & laus quæ uoce promitur, de bona conscientia proferatur. Nam non est firma compago, si in officio laudis non unus sonus est cordis, & uocis.

Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.

Ecce quomodo colliguntur dispersiones Israël, ut sanentur contrito corde: quoniam cor contritum, & humiliatum Deus non spernet: ut humilitas sanet quod superbia uulnerauit. Per allegationes autē cōtritionū, significatur diuersitas remediorum, quæ summus medicus misericorditer & scienter apponit: quia multarum elisionum non est curatio una.

Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina uocans.

Non est præcipuum in laudibus Dei stellas cœli habere numeratas, cui capilli capitum numerati sunt. De illis ergo stellis dignius intelligitur hoc dictum, quæ in ecclesia Dei ad consolandam præsentis temporis noctem, bonæ conuersationis exemplo, & cœlestis doctrinæ luce resplen- D
Philipp. 2. dent: quibus dicat Apostolus: In ista natione praua, & peruersa, in quibus apparetis tanquam luminaria in mundo, uerbum uitæ habentes. Has ergo stellas Deus numerat in æternam prælectas gloriam, & nominatim ex omnibus gentibus aduocatas. Nouit enim dominus, qui sunt eius,
Luc. 13. cum quibus non computabuntur, quibus dicitur: Discedite à me operarij iniquitatis, non noui uos.

Magnus dominus, & magna uirtus eius, & sapientiæ eius non est numerus.

Multa in natura magna sunt, & multarum naturarum magna sunt, & multarum naturarum magna uirtus est: sed in comparationem Dei nihil uerè magnum, nihil uerè dicitur potens: & in illo uera est magnitudo, & magna uirtus. Vniuersa ergo excellentia habent limites suos: & intra modum sibi positum natura quæque subsistit. Deus autem magnitudine gloriæ suæ excedit uniuersa: & omnipotentia sapientiæ eius nullo numero comprehenditur: quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.

Suscipiens mansuetos dominus, humilians autem peccatores usque ad terram.

Non

A Non accedunt ad cognitionem Dei humiles, atq; mansueti, qui etiam quod nondum intelligunt, credunt: & reuelationem occultorum expectant. Hos erudiendos suscipit dominus, & doctrinæ suæ capaces facit, quorum desideria delectatione exercuit, & accendit. Peccatores autem humiliat usq; ad terram: eos utiq; peccatores, qui ad promendum scripturarum intellectum mansuetudine carent: & ea quæ introspicere nequeunt, tanquam superflua, & uana contemnunt. Horum contumaciam Deus in terrena demergit, cum ipsos tradit insipientiæ: ut qui spreuerunt gratiam illuminationis, subeant supplicium cæcitatis.

Præcinite domino in confeßione: psallite Deo nostro in cithara.

Desiderantibus intelligentiam sacramentorum à confessione incipiẽdum est, ut semetipsos accusantes, & sibi adscribentes caliginẽ, & tarditatẽ suã, radiũ supernæ lucis accipiãt. Nec sit eorũ ociosa cõfessio: sed psallant Deo in cithara: id est, in quadã bonarum actionũ consciẽtia: ut misericordiã quam confitendo quærunt, operando mereantur: & quod recte offerunt, recte diuidant.

Qui operit cœlum nubibus, descendit in terram sitientem pluuia gratiarum.

B Ad hoc enim Deus obscurauit dicta prophetica, ut obumbratio pararet imbrem: imber uero & fructum gigneret, & operiret serenum.

Qui producit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum.

Vtilitas pluuiæ spiritalis non solum ualles, sed & montes uberes facit: in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum. Montes autem intelliguntur sublimiores quiq; hominum secularium, qui ita sæpe superioribus opimantur: ut unde fructuosæ sunt ualles, inde altitudines etiam montium sint feraces. Producit ergo Dei gratia in montibus fœnum: & potentes, ac diuites accepto semine charitatis præbent profutura pauperibus: & ministrant herbam seruituti hominum, qui famulatum deuotionis suæ Deo ecclesiæq; dependunt.

Dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.

Iumentorũ, & pecorũ nomine significatur multitudo plebis, quæ necessario cibo nõ fraudatur: & dum spiritaliũ est particeps, fit minister carnalium, ut impleatur illud Apostoli: Qui pascit gregẽ, & de lacte gregis non percipit. Dispensatio igitur misericordiæ Dei non tantum ad Israëliticum genus, sed ad omnium quoq; gentiũ propaginem pertinet. Patres enim idola uenerantes coruorum habuere figuram, mortua & immunda sectãtes: quorum pulli, id est, filij Deum uerum inuocant, & sancti spiritus pascuntur alimonia: quia parentibus nõ inuocantibus Deum, sed in sua obduratione manentibus, credidit posteritas, quod ignorauit antiquitas. 1. Cor. 9.

Non in fortitudine equi uoluntatem habebit, nec in tabernaculis uiri beneplacitum eſt ei. C

Beneplacitum eſt domino ſuper timentes eum, & in eos qui ſperant in miſericordiam eius.

In equi potentia ſuperbiæ indicatur elatio, quę Deo ſemper odioſa eſt. Tabernacula quoq; ſublimia, & magnifica diuitiarum manifeſtant tumorem, in quibus nihil approbat Deus: qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam: non enim illi placent niſi mites, & pauperes ſpiritu, ad hoc timentes dominum, ut ſperent in miſericordiam eius. Ille eſt enim utilis timor, qui ſpe erigitur, non qui deſperatione demergitur.

PSALMVS CXLVII.

Lauda Hieruſalem dominum, lauda Deum tuum Sion.

CVM in titulo Pſalmi Aggei & Zachariæ prophetarũ nomina prænotẽtur, quos in Babylonia cum populo ſuo captos eſſe non dubium eſt, & reparationẽ eius ciuitatis Hieruſalẽ præuidiſſe, ac ſicut facta eſt denuntiaſſe, intelligitur cohortatio Pſalmi ita ad uniuerſam eccleſiã pertinere, ut omnes ciues & filij Hieruſalem in præſenti uita quadã ſe uinctos captiuitate cognoſcãt, & conſolationem D de ſpe futuræ libertatis accipiant. Nemo enim ſanctorũ ſine laboribus, ac moleſtijs poteſt pręſens tempus exigere: & in quadã captiuitate ſe eſſe ſentiunt, cum exurgẽtibus ſcandalis, & manentibus inter ſpiritum carnemq; diſcordijs, nõ omnia, quæ uolunt faciunt, & multa aduerſa patiũtur. Recte ergo ſpe futurorum bonorum ipſam Hieruſalem hortatur uox prophetica in laudem & gloriam Dei, ut cum ſanctis angelis, quorum adipiſcitur indiuiſam ſocietatem, in gaudijs æternæ pacis exultet.

Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum.

Concluſio Hieruſalem & ſerarum eius confirmatio ſecuritatem indicat incommutabilium gaudiorum: quia nullius mali ad bona patebit introitus, neque inde ullus iuſtorum timebit excludi.

Benedixit filios tuos in te.

Extra Hieruſalem nulla benedictio eſt: quia non ſanctificatur, niſi qui eccleſiæ, quæ eſt Chriſti corpus, unitur.

Qui poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te.

Nulla eam ciuitatem bella perturbant, quæ pacis eſt ſepta limitibus, nec

A nec aliquid patitur inquietum,in qua nihil est à Dei uoluntate diuersum. Ne autem tranquillitas istius pacis aliqua indigentiæ necessitate turbetur, adeps ei panis indeficiens ministratur, ut iustitiæ cibus sit in epulis, qui fuit in desiderijs. Beati enim qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Matth. 5.

Qui emittit uerbum suum terræ: uelociter currit sermo eius.

Verbi missio Christi est incarnatio,cuius Euangelio currēte per omnē terram omniū gentiū fit uocatio,præueniente gratia Dei credentiū fidem. Nihil est uelocius & scientia,& opera Dei: qui quæ futura sunt & nouit, & fecit:& quæ nondum sunt orta,iam apud illum sunt præordinata.

Qui dat niuem sicut lanam: nebulam sicut cinerem spargit.

Valent quidem ista ad opimandam terram, secundum literæ superficiem: quia & nubes decidentes habent uellerum speciem: & nebularū ros non aliter quàm cinis spargitur atq; ex eo terra pinguescit: sed sublimius in his gratiæ Dei opera sentiūtur, per niuium uellera uocatione gentium figurata: quæ ad conficiendum uestimentum Christi, quod est ecclesia, in unum confluit,& in id ipsum tota contexitur, non habens maculam,
B aut rugam,sed in illa puritate mansura,quæ æterna glorificatione resplendeat,litq; in ea compage,de qua dicitur, Dominus amictus lumen sicut uestimentum.ad quod significandum pertinuit, quòd uestis Christi trāsfigurati in monte,sicut nix legitur refulsisse. Per nebulam autem caligo ignorantiæ,quæ ad pœnitentiæ cinerem confugit, iudicatur. Non enim quisquam ante uocationem dici iustus potest: quoniam filius hominis nō uenit iustos eligere,sed peccatores,& impios saluos facere.

Qui mittit crystallum suum sicut frusta panis: ante faciem frigoris eius quis subsistet?

Niues antiquius obduratæ conuertuntur in crystallum, quo significantur lapidea corda infidelium,quæ gelu nimiæ uetustatis obstricta nullum calorem sancti spiritus receperunt: sed tam potens est gratia Dei, ut tam annosam glaciem faciat superno igne feruescere: & eos qui crystallino frigore fuerant obdurati,afflatu suo faciat concalescere, ut etiam ipsi, qui uitæ cibum nesciebant,panem uerbi incipiant ministrare, sicut in beato Paulo factum est: qui cum esset credentium persecutor,factus est Euangelij prædicator. Quis autem poterit subsistere, quem ab hoc frigore non liberauit Christus? qui uenit ignem mittere in terram, & ad feruorem fidei,quod gelu infidelitatis obtorpuerat,excitare.

Emittet uerbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus eius, & fluent aquæ. C

Verbo Euangelicæ prędicationis obduratio infidelium soluitur, ut fiat
Psal. 104. hoc, quod alibi dictum est: Rupit petram, & fluxerunt aquæ. Flante autem spiritu calor charitatis emittitur, ut terram sitientem flumina rigent, & in aridis cordibus fiat fons aquæ salientis in uita æterna.

Adnuntians uerbum suum Iacob, iustitias, & iudicia sua Israël.

Dans scilicet intellectum uocatis, & iustificatis: quia omnes ex quibuslibet gentibus electi, Iacob, & Israël nuncupantur, & discunt omnia Dei iusta esse iudicia: nec aliquid ab eo fieri, unde possit ignorantia humana causari: quia abundarent etiam circa iustos causæ ultionum, nisi iustitiam suam misericordia temperaret.

Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.

Altitudinem diuitiarum sapiētiæ suæ nulli genti Deus uoluit esse perspicuam, neq; cuiquam nationi iudiciorum secreta patuere: sed ex omnibus gentibus una est gens, unus est populus, qui se ab æterna perditione D
non suis meritis, sed Dei gratia intelligit liberari, & unumquenque fidelium ministrum misericordiæ Dei, ut quod in ipsis factum est, etiam in alijs fiat, & in unitatem confluat uniuersa dispersio.

PSALMVS CXLVIII.

LAudate dominum de cœlis: laudate eum in excelsis.

POPVLVS Dei cuius conuersatio est in cœlis, & cuius spes in domino Deo ipsius, ad supernā Hierusalem pertinens, & de æterna sanctorū angelorū societate iam gaudens, exultat in spiritu Dei, & uniuersam creaturā in laudē accendit creatoris. Nō quia omnia irrationabilia, & sensu carētia possunt Deum propria cōfessione laudare: sed quia nihil est in uniuersitate rerū à summis usq; ad infima, quod nō sua æqualitate naturę potentiā sui protestetur autoris. Duarum proprie creaturarum est tota ista laudatio, angelicæ scilicet, & humanæ: quæ hunc affectum ex totius mundi consideratione concipiunt: ut cum laudatoribus Dei ipsa laudis materia Deum laudare dicatur: quia ergo in hoc officio cœlestia obtinent principatum, merito ipsis primitus dicitur, ut de excellentia dignitatis, ac pulchritudinis suę in dn̄o glorient̄.

Laudate eum omnes angeli eius: laudate eum omnes uirtutes eius:

Laudate

A *Laudate eum sol, & luna: laudate eum omnes stellæ, & lumen:*
Laudate eum cœli cœlorum: & aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen domini.

Nihil est in sublimitate cœlesti, quod non pulchrum, atque mirandum sit: & quia omnia in creatoris sui concinunt laudem, non quasi cessantibus ab inferioribus dicitur, ut in confessionem diuinæ laudis exurgant: sed ut homo inspiratus ostendat sibi placere quod faciũt, & eo se per spem fidei delectari, ad quod per exhortationes promissionum Dei etiam ipse prouehetur. Cum autem dominus Iesus Christus uerbum sit Dei, in nullo patris laude discernitur, dicente Psalmo:

Quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.

Quod enim Deus dicit, uerbo dicit: & uerbum, per quod facta sunt omnia, mandatum dicentis exequitur.

Statuit ea in æternum, & in seculum seculi: præceptum posuit, & non præteribit.

Omnia, quæ ad cœlestem beatitudinem sunt creata, hanc plenitudinem sui officij susceperunt, ut in Dei laudatione permaneant: cui operi
B etiam natura humana sociatur, propter quod Apostolus dicit: Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextra Dei sedens. Bene ergo spiritalis quisque deuotioni se cœlestium iungit, & in consideratione totius creaturæ laudat artificem, ut pro modulo suo iam faciat, quod sine fine factura est. Colloss. 3.

Laudate dominum de terra dracones, & omnes abyssi.
Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellæ, qui faciunt uerbum eius.

Terræ nomine appellantur, quæ uicina sunt terræ: & quicquid hoc nubilo aëre aut humidum in rore, uel pluuijs, aut in niue, & grandine glaciale, aut in procellis turbidum, uel in coruscationibus apparet ignitum, terræ, & abyssi appellatione perstringitur: quorum nihil fortuitis motibus subiacet, & singula quæque eius legibus seruiunt: qui ut uult, de omnibus, atque in omnibus secundum causas occultæ rationis operatur.

Montes, & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri.
Bestiæ, & omnia pecora, serpentes, & uolucres pennatæ.

Nihil horum non in magna sapientia factum est: & ideo quædam per-

ſtringuntur, ut uniuerſitatis creator in omnibus prædicetur. C

Reges terræ, & omnes populi: principes, & omnes iudices terræ: Iuuenes, & uirgines, ſeniores cum iunioribus laudent nomen domini:

In multitudine hominum diuerſitas eſt graduum, differentia ſexuum, & diſsimilitudo meritorum: ſed in Dei laudibus omni ordini, atq; ætati una materia eſt: tota enim in Chriſto eccleſia unum corpus eſt: & quod recte agit quælibet portio, tota ſibi bene uindicat plenitudo.

Quoniam exaltatum eſt nomen eius ſolius.
Confeſsio eius ſuper cœlum, & terram: & exaltauit cornu populi ſui.

Super omnia enim, & omnium conditor, & unius autoris laus eſt quicquid in uniuerſitate laudabile eſt. Quod ipſa rerum pulchritudo multiformi confitetur ornatu. Ab ipſo ergo eſt honor ſanctorum eius, & ipſos exaltat cornu populi ſui. Quoniam qui magna contulit per naturam, ipſe dat maiora per gratiam.

Hymnus omnibus ſanctis eius: filijs Iſraël, populo appropinquanti ſibi. D

Hymnus eſt canticum, quo lau datur Deus, & quo utuntur omnes ſancti eius, omnesq; filij Iſraël, non illi qui fruſtra carnali ſemine gloriantur: ſed qui per illam, qua Abraham placuit, fidem nati, ueri ſunt filij Iſraël appropinquantes Deo per ipſum qui eſt uia, ueritas, & uita.

PSALMVS CXLIX.

CAntate domino canticum nouum: laudatio eius in eccleſia ſanctorum.

BENE laudantes dominum canticum nouum cantant, non in uetuſtate carnis, ſed in ſpiritus nouitate uiuentes, ut laus Dei in ſanctorum eccleſia celebretur: quæ ſibi ex fide, & moribus, & charitate concordat. Nam ſine hac parilitate nulla eſt canentium ſuauitas, nec eſt modulatio concinens, ubi eſt fides, ac uita diſſentiens.

Lætetur

A *Lætetur Iſraël, in eo, qui fecit ipſum: & filij Sion exultent ſuper regem ſuum.*

Qui ſunt ueri Iſraëlitæ ipſi ſunt filij Sion, ſiue Hieruſalem: utrunque enim nomen unius eſt ciuitatis, quæ conſtat ex angelis, & hominibus ad eandem ſocietatem per fidem, & ſpem, & charitatem de longinqua peregrinatione tendentibus: qui ergo ſpe credit, ſpe gaudeat: quia Deus eſt noui populi, & creator, & redemptor, & rector.

Laudent nomen eius in choro, in tympano, & pſalterio pſallant ei.

Chori nomine concordia ſignificatur laudantium, quorum uoces niſi fuerint conſonæ, placere non poſſunt: rationalis itaque cantus, cuius tota eſt in fide, & charitate modulatio, neque in moribus, neque in confeſsione diſsideat: ſed bene utatur pſalterio, & tympano diligens Deum, diligens proximum: & in tympano & pſalterio manus concinat uoci, & impleatur opere, quod ore cantatur. In tympani autem & chordarum extenſione crucifixio carnis accipitur: quia nerui quanto plus fuerint extenſi, tanto acutius ſonant.

B *Quia beneplacitum eſt domino in populo ſuo: & exaltabit manſuetos in ſalutem.*

Quid tam benignum, quàm eſt dominus in populo ſuo, quem dignatur conuertere auerſum, ſuſcipere correctum, iuuare pugnantem, coronare uincentem? Dabit enim exultationem humilibus; & inde eriguntur manſueti, unde premuntur elati.

Exultabunt ſancti in gloria: lætabuntur in cubilibus ſuis.

Exultatio ſanctorum non in diuitijs, non in honoribus, neque in ulla eſt proſperitate terrena: ſed in cubilibus ſuis: id eſt, in conſcientia bona, quam tamen non ſibi, ſed gratiæ Dei adſcribunt, ne ſint de hominibus ſibi placentibus, ſed ſint de his, qui in Chriſto gloriantur.

Exultationes Dei in faucibus eorum: & gladij ancipites in manibus eorum.

Gratias agentes Deo de omnibus profectibus ſuis ipſum exaltant, & ad ipſum referunt quod ei placere nouerunt, habentes in manibus ſermonès Dei, qui eſt gladius bis acutus, efficax & carnales affectus diuidere, & peccata reſecare.

Ad fac

Ad faciendam uindictam in gentibus: obiurgationes in po- pulis. C

Poteſtas uerbi, quo infidelium corda feriuntur, non ſolum præſidentibus data eſt, ſed omnibus etiam diſcipulis ueritatis, qui poſſunt arguere errantes, & increpatione ſua deuios reuocare.

Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in uinculis ferreis.

Potentes mundi, & reges, ac nobiles niſi Deum timeant, quem timebunt? ſed prædicatur illis Euangelium Chriſti, & percutiuntur framea bis acuta: annunciatur illis iudicium, & auditis æternis ſupplicijs ſiniſtrorum, ligantur, & compedes ſapientiæ ab initio amoris accipiunt, ut dura præcepta molliant uoluntatem, & ſit obedientibus blandum, quod aſperum uidebatur auerſis.

Vt faciant in eis iudicium conſcriptum: gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius.

Omnium ſanctorum gloria hæc eſt, ut totus mundus ſubijciatur Deo, & diuinis legibus: quarum iuſtitia uniformiter ubique conſcripta eſt, ſi- D
mili obſeruantia ſeruiatur. Ad hoc enim utuntur in omnibus gentibus ſpiritus poteſtate, ut ubique cantetur canticum nouum, & omnis lingua confiteatur, quoniam dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris.

PSALMVS CL.

LAudate dominum in ſanctis eius:

AD CONFESSIONEM pertinet gratiæ, dominum in ſanctis ſuis laudare, cuius habent ſanctificatione quod ſancti ſunt.
Pſalm.67. Vnde & in alio Pſalmo dicitur: Mirabilis Deus in ſanctis ſuis: ut quicquid in illis uirtutum, atque meritorum eſt, totum ad Dei gloriam referatur.

Laudate eum in firmamento uirtutis eius.
Laudate eum in potentatibus eius: laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis eius.

Omnia iſta inſtrumenta laudium Dei ipſi ſancti ſunt, per quos ad Deum multiplex ſonus concinentis cōfeſsionis emittitur: & ideo in omnibus

A bus eorum officijs laudatur Deus: quia omnis canentium motus eius spiritu, quem prædicat, animatur.

Laudant igitur eum in sono tubæ.

Propter excellentissimã Euangelij in Christo declarationem: in omnem enim terram exijt sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Psal. 18.

Laudant eum in psalterio, & cithara.

De superioribus scilicet, & inferioribus, tanquam eum, qui fecit cœlum, & terram, ut psalterio cœlestia, cithara autem terrena laudentur: quia cauum illud lignum, supra quod chordarum resultat extensio, in psalterio superius, in cithara habetur inferius.

Laudent eum in tympano, & choro.

Dum ad similitudinem tympani, quod de sicco extensoq; fit corio, ad confessionem Dei sensus mutæ carnis aptantur, & ad speciem chori societas canentium in omni modulatione concordet, ut nihil diuersum de eo, cui canitur, sentiatur.

B *Laudate eum in chordis, & organo.*

Id est, in quolibet instrumento musico, quod uel pulsu potest sonare, uel flatu.

Laudent eum in cymbalis bene sonantibus.

Dum unusquisque honoratur à proximo, non à se ipso. Cum autem dicitur:

Laudate eum in cymbalis iubilationis.

Euidenter ostenditur per omnia opera musica non corporeos sonos, sed affectus animi designatos: siquidem nulla ratio sinat, ut iubilatio esse possit in cymbalis, nisi ipsa cymbala ad motus animi transferantur: cum enim mens cœptas Dei laudes uerbis non potest explicare, admiratio eius similis fit iubilationi, quæ in eo miratur sono, qui nullis syllabarum comprehẽditur articulis. Nihil ergo extra ipsos sanctos, quibus laus Dei indicitur, cogitetur, nec uile aliquid spiritalibus officijs sentiatur: & quia sapere secundum carnem mors est,

Omnis spiritus laudet dominum. ALLELVIA.

FINIS.

